Uredil in spremno študijo napisal Matej Hriberšek

Maurus Faidiga, *Bosnia Seraphica*

Maver Fajdiga, *Bosna serafska*

3. zvezek

UNIVERZA V LJUBLJANI
FF Filozofska fakulteta

Maver Fajdiga, *Bosna serafska: 3. zvezek*

Glavni in odgovorni urednik: izr. prof. dr. Matej Hriberšek
Prepis latinskega in italijanskega besedila: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF
Prepis nemškega besedila: red. prof. dr. Boris Golec, znanstveni svetnik, ZRC SAZU; asist. dr. Matjaž Grahornik, ZRC SAZU; dr. Vojko Pavlin, ZRC SAZU; dr. Miha Preinfalk, višji znanstveni sodelavec, ZRC SAZU
Redakcija latinskega besedila: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF; izr. prof. dr. David Movrin, FF; izr. prof. dr. Gregor Pobežin, znanstveni sodelavec, ZRC SAZU
Redakcija nemškega besedila: mag. Niko Hudelja, FF
Redakcija italijanskega besedila: doc. dr. Mirjam Premk Podobnik, FF
Sodelujoči: Anja Kustec (vnos popravkov v nemško besedilo), Oddelek za prevajalstvo FF
Spremna beseda, seznam kratic in okrajšav, imensko kazalo: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF
Končna redakcija: izr. prof. dr. Matej Hriberšek, FF
Recenzenta: Martin Bele, Matej Klemenčič
Tehnično urejanje: Jure Preglau
Prelom: Petra Jerič Škrbec

Založila: Založba Univerze v Ljubljani
Za založbo: Gregor Majdič, rektor Univerze v Ljubljani
Izdala: Znanstvena založba Filozofske fakultete Univerze v Ljubljani
Za izdajatelja: Mojca Schlamberger Brezar, dekanja Filozofske fakultete

Tisk: Birografika Bori, d. o. o.
Ljubljana, 2025
Prva izdaja
Naklada: 100
Cena: 50 EUR

To delo je ponujeno pod licenco Creative Commons Priznanje avtorstva-Deljenje pod enakimi pogoji 4.0 Mednarodna licenca (izjema so fotografije). / This work is licensed under a Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International License (except photographs).

Monografija je nastala v okviru raziskovalnega programa št. J7-2604 (Latinske in nemške kronike na Slovenskem), ki ga je sofinancirala Javna agencija za raziskovalno in inovacijsko dejavnost Republike Slovenije iz državnega proračuna.

Knjiga je izšla s podporo Javne agencije za znanstvenoraziskovalno in inovacijsko dejavnost Republike Slovenije v okviru Javnega razpisa za sofinanciranje izdajanja znanstvenih monografij.

Besedilo je bilo pripravljeno z vnašalnim sistemom ZRCola (http://zrcola.zrc-sazu.si), ki ga je na Znanstvenoraziskovalnem centru SAZU v Ljubljani (http://www.zrc-sazu.si) razvil Peter Weiss.

Prva e-izdaja. Publikacija je v digitalni obliki prosto dostopna na https://ebooks.uni-lj.si/ZalozbaUL
DOI: 10.4312/9789612976330

Kataložna zapisa o publikaciji (CIP) pripravili v Narodni in univerzitetni knjižnici v Ljubljani

Tiskana knjiga
COBISS.SI-ID=245335555
ISBN 978-961-297-629-3 (zv. 3)

E-knjiga
COBISS.SI-ID=245379587
ISBN 978-961-297-633-0 (PDF)

Kazalo vsebine

VIII. CONVENTUS ad B. V. Elisabeth Visitantem Pisini In Istria 968

IX. CONVENTUS ad B. V. Mariam in Coelos Assumptam SAMABORINI
In Regno Croatiae. 997

X. CONVENTUS ad B. V. Elisabeth Visitantem BERDOVICII
In Regno Sclavoniae. 1023

XI. CONVENTUS ad B. V. Mariam ab Angelo Salutatam CLANICII 1045
In Regno Sclavoniae. 1045

XII. CONVENTUS ad B. V. Mariam Annuntiatam NAZARETHI 1080
In Ducatu Styriae. 1080

XIII. CONVENTUS ad Sanctissimam Trinitatem CARLOSTADII 1124
in Regno Croatiae. 1124

XIV. CONVENTUS Ad Divum Antonium Patavinum RUNAE 1187

XV. CONVENTUS ad D. Virginem in Coelos Assumptam JASKAE 1219
In Regno Croatiae. 1219

ADDITAMENTA De Hospitiis, et Monialium Monasteriis. 1250
Additamentum I. deHospitio Lauranensi. 1250
Additamentum II. De Hospitio Salcanensi. 1259
Additamentum III.De Monasteriis Monialium. 1283

ELENCHUS seu Series Materiarum in hoc opere contentarum. 1298

13 Avtorske in uredniške opombe 1335

14 Seznam kratic in okrajšav 1362

15 Imensko kazalo – Index nominum 1397

918

VIII. CONVENTUS ad B. V. Elisabeth Visitantem Pisini In Istria

Caput I. De Istria, et Civitate Pisinensi.

I. Istria, seu Histria Regio est ad Ducatum Carnioliae spectans ad meridionalem ejusdem plagam, estque per modum peninsulae efformata, nam ex parte meridionali, occidentali, ac orientali mari Adriatico cingitur. Septentrionem versus Carnioliae per montes Albios conjungitur. Olim multò latius, ac hodie patebat; extendebatur enim ex parte occidentali usque ad *Timavum* fluvium, qui penes Duinum in mare influit, sicque sub se Duinum, Dulcinium, et Tergestum continebat, quae loca hodiè ab Istria exclusa manent, hodie enim pro termino illius ponitur fluvius *Formio*, seu *Rezano*, qui penes Justinopolim in mare illabitur. Ejus longitudo est 60. milliarium, et latitudo 40. ab ortu in occasum, ut refert Mich. Baudrand in lex. geogr. Ant. Ferrarii tom. 1. pag. 358. Meo videri esse intelligendam praedictam dimensionem juxta computationem Italicam milliarium, nam juxta modernos geographos multò minor esse reperitur.

II. Istria varias vicissitudines passa est; etenim circa an. 177. ante Christum natum â Manlio Romani exercitus Duce Romano Imperio subjecti sunt, quod jugum A. C. 7. excutere cum Rege germanorum Marabodo, cui contra Augustum rebellanti sese conjunxerunt, conabantur, sed ad obedientiam revocati sunt, dum ad pacem rediisset Marabodus. Tempore Constantini M. (qui primus ê Romanis Imperatoribus Christianae militiae nomen dedit) Istri fidem Catholicam suscepisse perhibentur, ut refert Valvasor lib. 14. pag. 171. Ad A. C. 400. Istria â Gothis, et Hunnis multum perpessa est, sicut et A. C. 542. quam Totilas Gothorum Rex vastavit. Dein circa A. C. 552. item 590. item 612. Slavi Istriam hostilibus armis invaserunt, anno vero 626. sedem fixam obtinuerunt, et ut credendum ipsi has terras occuparunt, quas quoque Slavonica natio imposterum semper retinuit. Ut videre est in Valvasorio, et apud Christophorum de Jordan de orig. Slav. part. 1. c. 22. n. 17. pag. 148. id quoque confirmat ipsamet lingua Slavica, seu Illyrica, quae apud Istros communis est, quamvis et italica plurimi loquantur.

III. Circa A. C. 788. Istri excusso Graecorum, seu Imperatorum Orientalium jugo se Carolo M. Francorum Regi submiserunt, qui Forojulii, et Istriae proprium Marchionem nomine Ericum dedit, huic Marchioni et alii Comites particularium communitatum subordinati erant, quod etiam in aliis regionibus â Carolo occupatis fieri consuevit. A. C. 799. demortuo Erico successit in Marchionatu Forojulii, et Istriae Cadolochus, huic suffectus fuit A. C. 819. Baldericus, qui regnabat usque ad A. C. 828. dein A. C. 854. circiter erat Marchio Carnioliae, Forojulii, et Istriae Carolomanus Ludovici II. Imperatoris filius, cui die 22. Martii 880. defuncto successit ejus frater Ludovicus, Ludovici successor erat Arnulphus Carolomani naturalis filius, qui obiit anno 898. circa A. C. 920. Henricus I. Romanorum Imperator dictus auceps Istriae proprium dedit Marchionem nomine Winterum, post hunc erat Marchio Istriae Godefridus, qui in bello contra Hungaros anno 944. occubuit. Dein Istriae imperarunt Comites ab Ortenburg, sicut etiam Comites Goritiae, sub quibus Istria in plures partes divisa erat.

IV. Nam Henricus II. cognominatus Sanctus praeter plurimas, quas fecit pro Ecclesiis fundationes, etiam Joanni Patriarchae Aquilejensi anno 1011. donavit Civitatem Petinensem, et Pisinensem arcem, ut habet Franc. Palladius pag. 148. Henricus quoque IV. donavit praeter Forumjulii Patriarchae Aquilejensi et Sighardo etiam Marchionatum Istriae circa ann. 1077. quam donationem Fridericus I. dictus Barbarossa circa ann. 1163. ratam habuit, et confirmavit tempore Udalrici II. Patriarchae Aquilejensis. Otho quoque Comes Meraniae totum jus, quod se ad Istriam habere praetendebat, cessit, et transtulit in Bertholdum Patriarcham Aquilejensem circa A. C. 1251. et hoc modo Istria plures Dominos venerari coepit, videlicet Patriarcham Aquilejensem, Comites Goritiae, et ab Ortenburg, quibus verò partim demortuis, partim bello victis Istria partim ad Venetos, partim ad Duces Austriae devoluta fuit. Ad hos per donationem, et successionem, ad illos per violentiam. […][550]

V. Archiducibus enim Austriae Alberto III. et Leopoldo III. Albertus Comes Goritiae circa A. C. 1374. donavit partem Istriae, ut habet Valvasor. Topog. Carn. lib. 10. pag. 258. Mortuo vero Leonardo ultimo Goritiae Comite, non tantum Istriae pars, se et ipse Comitatus Goritiensis cum Forojulio vi pactorum prius initorum ad domum Austriacam devenit A. C. 1501. Veneti circa annum 1333. tempore Patriarchae Aquilejensis Pagani Istriam ingressi sunt ex parte Polae; Polenses enim, et Valenses pertaesi Patriarchalis regiminis Venetae Reipublicae sese dediderunt, quos, dum eos Patriarcha ad obedientiam revocare studeret, Veneti armis defenderunt. Hac Istriae portione minime contenti Veneti, Patriarchae Ludovico II. qui regnavit ab anno 1418. usque ad annum 1435. vel juxta Palladium annum 1437. non tantum Istriae reliquam partem, sed etiam Forojulium eripuerunt. Praeterea, ut totam Istriam Veneti sub suam redigerent potestatem, etiam Maximiliano I. Romano-

rum Imperatori, et Archiduci Austriae bellum intulerunt, quod ab anno 1507. usque ad annum 1516. duravit. In hoc bello Veneti occuparunt Forojulium, Gradiscam, Goritiam, Civitatem Austriae, Tergestum, Istriam, ac Karssium cum Adelsperga, aliasque interjacentes ditiones, ast haec loca Veneti facta pace denuo Austriacae domui restituere debebant. Aliud bellum inter Rempublicam Venetam, et Domum Austriacam exortum fuit anno 1612. propter piratas Segnienses, ut jam suprà de Convent. Seg. innui, qui plures Venetas naves spoliarunt. Res composita erat anno 1617. remanentibus cuilibet parti iis civitatibus, et locis, quae qualibet ante bellum possidebat.

VI. Ab hoc tempore Istria semper duobus Dominis subjecta manet, nempe Domui Austriacae, et Reipublicae Venetae, haec possidet partes occidentalem, et meridionalem, illa orientalem, et septentrionalem: ~~pars~~ Veneta Istria in amplitudine superat Austriacam. In Istria Veneta principalis est Civitas Justinopolis, vulgo *Capo d' Istria:* in Austriaca Pisinum, germ. *Mitterburg*, vulgo *Pasina*. In tota Istria quatuor numerantur Sedes Episcopales, nempe Justinopolitana, Parentina, Polensis, et Petinensis, priores tres in Istria Veneta, ultima in Austriaca. Istria fuit circa an. 1377.[†] ab Archiducibus Austriae Alberto, et Leopoldo Ducatui Carnioliae incorporata, quae prius â propriis Marchionibus gubernabatur, ut jam supra insinuatum est.

VII. Pisinum est civitas principalis, licet non sit magnitudinis adeo vastae, Comitatus Pisinensis, qui et alias quinque Civitates sub se continet nempe *Antignanam, Berschez,* ubi est parvus portus marinus, *Lauranam* similiter suo portu provisam, *Petinam*, et *Gallignanam*. Ecclesia Parochialis, cujus Parochus Praepositi titulo gaudet, erecta fuit anno 1266. in honorem S. Nicolai, ut notat P. Martinus Bautscherus his verbis: *Anno 1266. Pisini in Istria erigitur Sacra Aedes Divi Nicolai, cujus Rector titulo Praepositi gaudet.* Praepositus Pisinensis ordinarie est etiam Vicarius foroneus Episcopi Parentini, in cujus Dioecesi Pisinum est. Postquam Istria ad Domum Austriacam devenerat, Comitatum Pisinensem Ferdinandus III. Rom. Imp. dedit anno 1644. Antonio, et Hieronymo Comitibus â Flangini Venetis in arendam, ab his Comitibus devenit in potestatem Ferdinandi Principis â Portia, cui Imperator, ut Archidux Austriae, etiam attribuit jus Patronatus super omnia beneficia, eumque absolutum hujus Comitatûs Dominum declaravit. Quia verò hac donatione Comitatus Pisinensis separatus fuit â Carnioliae Ducatu, ejusdem status Leopoldo I. Imper. supplicarunt anno 1663. et 1664. pro ejus unione, quae, ut suum sortiretur effectum, Inclyti Status de consensu suae Caes[tae] Majestatis Comitatum emerunt â praedicto Principe â Portia f. . illumque Serenissimo Principi Joanni Waychardo ab Aversperg dederunt reservatis omnibus juribus privilegiis et praeemi-

nentiis â Provincia Carnioliae dependentibus. Hunc Comitatum praedictus Princeps ab Aversperg sequentibus dominiis videlicet *Wachsenstein, Kershan, Zepitsch, Bellay,* et *Pasperg* adauxit, quae per emptionem suae subdidit jurisdictioni. Posterioribus temporibus Comitatus iterum divisus, et ad alienas manus devolutus est, quem hodie possidet quidam Marchio de Monte Cuculi cum omnimoda tamen dependentia â Carnioliae Ducatu. In Civitate est munitissima Arx, in qua Capitanei Pisinenses residere solent, sub qua est magnum quoddam foramen vulgò *Foiba* dictum, quod aquam ex montibus tempore nimboso in magna quantitate decurrentem deglutit.

Caput II.
De Conventus in Civitate Pisinensi aedificatione pro Fratribus Minoribus, ejusdemque restauratione.

I. P. Franciscus Glavinich de orig. Prov. Bosnae Croat. fol. 26. primordia hujus Conventus reponit ad annum 1481. qui aedificatus fuit communi Capitanei, Vice-Comitis, Judicum, et oppidanorum Pisinensium, ut loquitur Sixtus IV. in Bulla concessiva facultatem aedificandi Conventum incip. *Inter caetera desiderabilia* de dato Romae anno 1481. tertio nonas Julii, unde Conventus Communitatem Pisinensem pro suo agnoscit fundatore. Hallucinatur autem P. Glavinich, quod loco cit. asserat, Conventum fuisse aedificatum sub Urbano VI. id enim clarè desumitur ex praecit. Bulla Sixti IV. infra dee verbo ad verbum ex Originali transumenda, anno 1481. Sixtum IV. non Urbanum VI. in Petri cathedra sedisse; nam Urbanus VI. ferme 100. annis Sixtum praecessit; erat enim Urbanus electus Pontifex Romanus anno 1378. demortuus anno 1389. Fuit igitur Conventus aedificari coeptus anno 1481. aut sequenti sub Pontificatu Sixti IV. ex Ordine Minorum, clavum Romani Imperii moderante Friderico III. aut IV. Secundum eos, qui Fridericum Pulchrum Romanis Imperatoribus adnumerant, Ordinem verò Seraphicum gubernante P. Francisco Nanis dicto Samson italo Provinciae Tusciae.

II. Porro Bulla Sixti IV. in qua concedit facultatem aedificandi Conventus hujus est tenoris:

Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei
Venerabili Fratri Episcopo Parentino salutem,
et Apostolicam benedictionem.

Inter caetera desiderabilia cordis nostri illud potissimè intensis desideriis affectamus, ut ubique Majestas Altissimi collaudetur, in benedictionibus gratiarum, suique nominis cultus amplietur, et ut Sacra Religio, illiusque regularis observantia semper propagetur, piis fidelium votis Apostolici favoris suffragia, quantum cum Deo possumus, libenter impartimur

922

sane pro parte dilectorum filiorum Capitanei, Vice Comitis, Judicum, ac universorum Oppidanorum Oppidi Pisini de Istria tuae Dioecesis Nobis exhibita petitio continebat, quod ipsi zelo devotionis accensi cupientes terrena in Ecclesiastica, et transitoria in aeterna felici commercio commutare pro ipsorum, et singulorum aliorum Christi fidelium animarum salute, nec non Divini cultus augmento, et Christianae Religionis propagatione unam domum cum Ecclesia sub invocatione beatae Mariae de Gratiis, Campanili, Campana, Cimiterio, ortis, ortalitiis, et aliis officinis necessariis pro usu, et habitatione nonnullorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci sub regulari observantia degentium extra muros, et in territorio dicti Oppidi Pisini, in loco ad hoc congruo, et honesto, et de quo tibi videbitur, de bonis â Deo sibi collatis erigere, construere, et aedificare, seu construi, et aedificari facere proponant, dummodo super hoc auctoritas suffragetur Apostolicae Sedis, et eis licentia concedatur. Quare pro parte Capitanei, Vice-Comitis, Judicum, ac universorum Oppidanorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Domum cum Ecclesia, et aliis necessariis officinis hujusmodi erigendi licentiam concedere, aliasque super his opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de praemissis certam notitiam non habemus, quique ad Ordinem hujusmodi singularem gerimus devotionis affectum, ipsorum pium propositum, et laudabile desiderium hujusmodi plurimum in Domino commendantes, nec non consideratione Charissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti Nobis super hoc humiliter supplicantis hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuae per Apostolica Scripta mandamus, quatenus, si est ita, Capitaneo, Vice-Comiti, Judicibus, ac universis Oppidanis praedictis unam Domum cum Ecclesia, Campanili, Campana, Cimiterio, Refectorio, claustro, ortis, ortalitiis, et aliis officinis necessariis pro usu, et habitatione perpetuis Fratrum praedictorum sub hujusmodi regulari Observantia degentium in loco ad hoc congruo, et honesto absque alicujus praejudicio erigendi, ac construi, et aedificari faciendi, ac eisdem Fratribus Domum ipsam pro usu, et habitatione praefatis recipiendi, illamque perpetuò inhabitandi auctoritate nostra licentiam concedas jure tamen Parochialis Ecclesiae, et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nos enim, si licentiam hujusmodi per te vigore praesentium concedi contigerit, ùt praefertur, Guardiano, et Fratribus, qui illam inhabitabunt pro tempore, ut omnibus, et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, et indultis aliis Fratribus, et Domibus dicti Ordinis in genere concessis, et concedendis, et quibus illi etiam in genere potiuntur, et gaudent, aut uti, potiri, et gaudere liberè, et licitè valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium de specialis dono gratiae indulgemus. Non

obstantibus Constitutione fel. record. Papae Bonifacii VIII. Praedecessoris Nostri inter alia prohibente, ne quivis Ordinum mendicantium Fratres in aliqua Civitate, castro, villa, vel loco domos ad habitandum de novo recipere, vel receptas ampliare praesumant sine Sedis praedictae licentia speciali faciente de hujusmodi prohibitione mentionem, et aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo; tertio nonas Julii, Pontificatus nostri anno decimo.

III. Quamvis nullae extent litterae terrae Principis mediantibus quibus ab eodem facultas aedificandi Conventum data dignosceretur, minime tamen ambigendum est, Ejusdem benignum accessisse consensum, imo et ipsemet terrae Istriae Dominus pro facultate erigendi Conventum apud Romanum Pontificem Sixtum IV. interpellavit, ut ex his verbis: *Nos igitur …… consideratione charissimi in Christo Filii nostri Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti nobis super hoc humiliter supplicantis hujusmodi supplicationibus inclinati* etc. manifeste colligitur. Similiter etiam plures alii Imperatores, et Reges ipsimet Fratres ad suas terras advocarunt, utque Fratres loca, et Domos ab ipsis oblati licite acceptare valerent, etiam ipsi licentiam â Sede Apostolica petierunt, et obtinuerunt, ut suprà part. 2. c. 12. §. 1. n. 4. et 5. fol. 181. de Ludovico I. Hungariae Rege, et Sigismundo Romanorum Imperatore, ac pariter Hungariae Rege ostensum est. Saepius quoque contigit, quod fundatores Conventuum ipsimet â terrae Principibus facultates aedificandi Conventum petierint, et obtinuerint, ad illosque Principum Rescripta directa erant, in quorum manibus etiam conservabantur: unde si Fratres similes facultates ostendere non possunt, non est illico inferendum, eos sine consensu terrae Principum, aut contra eorum voluntatem domos, et loca occupâsse.

IV. Conventus Pisinensis ab initio attributus fuisse censendus est Provinciae Dalmatiae regularis Observantiae, quod patet ex Catalogo Provinciarum anno 1506. compilato, in quo Conventus Pisinensis Provinciae Dalmatiae adnumeratus reperitur. Tum quia, si Conventus Pisinensis ab initio fuisset assignatus Provinciae Bosnae, indubiè ille anno 1514. quo anno Provincia Bosnae divisa fuit in Bosnam Argentinam, et Bosnam Croatiam, posteriori obvenisset, ast P. Franciscus Glavinich de Orig. Prov. Bosnae Croatiae pag. 21. dum enumerat Conventus, quos post divisionem Provinciae Bosnae Croatiae occupavit, de Conventu Pisinensi altum tenet silentium. Pisinensis igitur Conventus una cum Conventu Labacensi, et Neostadiensi consignatus fuit Provinciae Bosnae Croatiae anno 1559. eo nempe tempore, quo Fratres â Turcis exustis, et destructis eorum Conventibus maxime novis domibus, et Conventibus, in quibus hinc inde vagantes coadunarentur, indigebant. Id quoque affirmat P. Joseph Maria de Ancona in Continuat. Annal. Min.

P. Lucae Waddingi ad ann. 1559. tom. 19. fol. 181. n. 149. ubi ait: quod Conventus Pisinensis ad instantiam Ferdinandi I. Romanorum Imperatoris avulsus fuerit â Provincia Dalmatiae et incorporatus Provinciae Bosnae Croatiae.

V. Conventus primus exiguae erat molis, vixque 12. Fratribus capiendis sufficiens, nam major pars illius supra Refectorium modernum, nam prius ibi erat, ubi nunc est Arcularia, aedificata fuit anno 1714. sub Guardianatu P. Eusebii Bauzher, ut patet ex testimonio Simonis Pillepich Aedilis, qui sub die 17. Augusti 1714. testatur, quod 694. lir. et 13. solidos in subsidium aedificii perceperit. Ex alio contractu inter D. Nicolaum Lardea Conventus Procuratorem, et praedictum Simonem Pillepich celebrato apparet, quod Conventus aedificium ante annum 1714. inchoari debuit, quia hoc anno supra novum aedificium tectum appositum erat, cujus appositioni vi praedicti Contractus initium dari debuit die 25. Junii anni 1714. unde muri principales jam erecti erant, qui tamen intra tam breve tempus vix elevati fuisse censendi sunt. Interim aedificium Conventus ante annum 1717. non fuit absolutum, ut ex Chronographico supra portam Refectorii apposito liquet sequentis tenoris:

SVpernae proVIDentIae ConseCratVM

Anno mox praecedenti factum fuit lavatorium in Refectorio marmoreum munificentia R'mi D. Joannis Fattori Praepositi Pisinensis, prout indicat supra posita inscriptio sequentis tenoris:

Opus munificentiae Perill'ris, et R'mi D. Joannis
Fattori Abbatis infulati S. Jacobi in Insula
Hungariae transdanubiana S. C. M. Capelani Proto-
Notarii Apostolici, Vicarii in Spiritualibus ex par-
te Imperii, nec non Praepositi Pisinensis conse-
cratum Anno Domini MDCCXVI.

Hujus benefactoris beneficentia etiam attribuitur lavatorium marmoreum in Sacristia anno 1707. factum, ut ex apposito ejusdem insigni desumitur.

VI. Conventus modernus sat commodus est, tresque in unica contignatione habet ambitus, quorum novus supra Refectorium meridiem versus ex utraque parte habet cellas 13. ejusque extremitas occidentem versus respicit hortum dictum *Dolaz*, alterius extremitatis fenestra orientem versus *Foibam* intuenti objicit: alter ambitus â fenestra occidentali prioris ambitus protenditur usque ad muros Ecclesiae, habetque 9. Cellas: penes murum Ecclesiae post Sanctuarium ejusdem supra Sacristiam sunt Cellae 2. Sicque universim sunt Religiosorum Cellae 24. Religiosi, qui hunc incolunt Conventum, numerantur ordinariè 19. aut 20. qui ex puris fidelium eleemosynis, et Missarum stipendiis vivunt.

Caput III.
De pratis, faenilibus, terris olim Conventui legatis, ac horto intra Conventus muros concluso.

I. Sicut in plerisque aliis Conventibus, sic et in hoc olim

aliqua bona immobilia â piis fidelibus propter aspera illius aevi tempora Fratribus Minoribus in suis praesertim testamentis relicta erant, quae verò melioris aevi aspectibus denuo alienata, et divendita fuêre. Et praeprimis D. Andreas Surgo anno 1577. legavit Ecclesiae S. Mariae in Pisino sequentia: Domum unam positam in Suburbio Pisini cum omnibus pertinentiis juxta viam publicam tendentem Oppidum Pisinum versus, et confiniantem, cum domo haeredum quondam Joannis Antonii Arietti, ex alia parte confiniantes cum Domo Domini Andreae Cicuta Plebani veteris Pisini salvis verioribus confinibus, si qui forent. Item unum agrum de sub Ecclesia divi Antonii confiniantem cum agro D. Nicolai, et super viam tendentem pontem versus: Item unum pratum, positum in districtu Pisini juxta Farnassam, ubi dicitur Brestoviza, cum suis pertinentiis: Item aliud pratum positum juxta Sopaz, et unum hortum positum sub Praepositura Pisini apud Grablia: Item unam Boscam positam in Brestoviza infra suos confines, ubi dicitur Oresye. Hucusque verba praedicti legati Instrumenti verum, quantum ex connexis Scripturis colligitur, hoc legatum non fuit ad effectum deductum.

II. Aliud pratum emit pro Conventu Pisinensi D. Joannes Tolzay ejusdem Conventus Procurator situm in territorio Pisinensi anno 1651. â D'na Helena Jussich. Anno 1662. Mathias Taceucich Petinensis legavit Conventui partem sacam terreni *Zoglishie* dicti, et partem domus Petinae sitae. Anno 1676. Andreas Budich reliquit Conventui unam vineam sitam in *Brestoviza*. Anno 1677. Domina Ursula relicta Vidua D. Josephi Cavallieri cessit unum hortum infra Ecclesiam nostram sub via, qua itur in *Vertischie*. Anno 1663. fuit quoddam pratum sub Lindar â Mathia Clenovar Petro Piucich pro 60. libris, dein fuit anno 1684. idem pratum quoad usum relictum â Laurentio Slokovich Conventui Pisinensi, donec non redimatur, quod anno 1735. per Joannem Clenovar de Lindar solutis 60. L. redemptum fuit. Anno 1681. D. Georgius Fattor Pisinensis legavit Conventui unum pratum cum suis pertinentiis positum in territorio *Drasey* cum onere, ut sui haeredes in Coemiterio ante fores Ecclesiae gratis sepeliantur. Anno 1699. Antonia vidua Joannis Prelaz donavit Conventui unam sylvulam versus Vermo, cum una vallicula pro faeno. Anno 1700. Marinus Maretich morti proximus hoc condidit testamentum, totam suam substantiam legavit suis prolibus Marino filio, et Catharinae filiae, et si hi duo haeredes sine prole decederent (uti etiam decesserunt) tota substantia consignaretur Conventui Pisinensi erga dicendas 24. Missas annuatim. Post mortem Catharinae ejus maritus mansit in possessione praedictorum bonorum, unde et Conventus ab obligatione celebrandi Missas liber remansit.

III. Omnia supradicta bona stabilia, quae possidere Regulae Fratrum Minorum repugnat, successu temporis abalienata fuêre; minimè enim Fratres privilegio Bullae Sixtinae frui poterant; dum eorum vitae, et amictus necessaria per humilem mendicationem acquiri poterant. Reservata tamen in praedictorum bonorum abalienatione erant quaedam prata in territorio Pisinensi sita pro alendis animalibus, quae ob defectum benefactorum conducendis eleemosynis necessaria judi-

cantur. Interim ad puritatem Regulae c. 6. *Fratres nihil sibi approprient* servandam etiam horum pratorum dominium directum, omnisque proprietas anno 1725. aut haeredibus, aut in horum defectu aliis Ecclesiis, et Dominiis resignata fuit, retento unico usufructu, quem Fratres per modum eleemosynae ad instar aliarum eleemosynarum per emendicationem acquisitarum â Dominis directis humiliter petere obligantur, nec ullam, si praedicta eleemosyma denegaretur, civilem actionem instituere possunt.

IV. Porro unius Prati in *Drasey* dominium in se suscepit tanquam haeres R'mus D. Joannes Fattori Praepositus Pisinensis, ut ex ejusdem attestatione patet sequentis tenoris: Fù dato dal q'm mio Padre Gieorgio Fattori un prato finile sistente in Drasey alli R'di Padri Francescani del Convento di Pisino, accio possino servirsi di quel fieno nelli loro bisogni, sopra questo prato però jo come herede di sud'to Prato son attualm'te Patrone, non potendo li Padri secondo la loro Regola haver il jus dominii sopra alcuna cosa, che poi loro sfalzino quest' herbba, questo se gli concede per pura carità, et elemosina, acciò che preghino Iddio per quell' anima, cosi che il tutto confermo jo sotto scritto, et in fede di ciò hò posto mio ordinario sigillo.

Pisino li 4. Ag'to 1725.

(L. S.) Io Abbate Gio. Fattori Prep'to m'ppa

V. Quia verò aliorum pratorum Domini directi, nec eorum haeredes, quibus resignatio fieret, non amplius extabant, Idem R'mus Dominus Praepositus eorum proprietatem nomine suae S. Nicolai Ecclesiae suscepit, ut ex ejusdem pariter attestatione his verbis concepta patet:

Li reverendi Padri Francescani del Convento di Pisino hanno cesso alla Chiesa Parochiale di S. Nicolò di questo luoco cinque prati, ò finili, che furono lasciati di molti anni fà da pii benefattori, non potendo loro secondo la loro Regola, et constitutioni haver il jus Dominii, et proprietatis sopra di quelli (non trovandosi piu heredi quelli benefattori al Mondo) et la detta Chiesa hà accetato questo jus, se poi in occorenza di qualche bisogno di fieno per li loro animali sfalzarano quell' herbba, questo se li concederà, et darà per pura carita, et elemosina, et non in altro modo. Li nomi di detti prati, et il sito delli medemi è registrato nel libro della Chiesa di S. Nicolò, e per la verità mi son sotto scritto, et posto mio sigillo ordinario.

(L. S.) Io Abbate Gio: Fattori Prep'to m'ppa.

VI. Praeter praedicta faenilia habet Conventus contiguum hortum cum una silvula muro cinctum pro seminandis herbis Culinae inservientibus; circa hortum crescit gramen pro pascendis animalibus necessario intertenendis, silvula Religiosorum in-

servit refocilationi. Parti horti aqua ex monte tempore grandioris pluviae multum damni causat, quem ex parte Orientali continuo rodit. Caeterum Conventus nunc nil possidet, quod Sacrae Regulae adversaretur.

Caput IV.
De Capellania Arcis, et in Gallogoriza, de Legato Caroli Archiducis, et lignatione.

I. Conventus Pisinensis ab antiquo habebat Officiaturam in Arce Pisinensi, vi cujus qualibet Septimana obligabatur ibidem tres Missas juxta intentionem fundatoris celebrare erga annuos f. 50. Carn. mon. seu f. 42. Xr' 30. germ. mon. quam fundationem Conventus pacifice possidebat, donec Ferdinandus S. R. I. Princeps ab Aversperg Pisini resideret: ast dum Princeps Pisino movisset, ac sui loco gubernatorem, et Capitaneum constituisset, quemdam D. Rampel fratrem R'mi D. Praepositi, continuò hi duo fratres inter se colludentes Patres Franciscanos hoc beneficio privarunt, illudque alteri Sacerdoti Saeculari contulerunt, sub praetextu, quod Capitaneus opus habeat uno Capellano, qui in Arce resideat. Post annos tres, dum Princeps veniret Pisinum, P. Guardianus loci nomine Conventûs supplicem porrexit libellum pro restitutione dictae Officiaturae, â quo etiam favorabile tulit responsum hujus tenoris:

Si concede, e si conferisce benignamente ai P. P. Supplicanti l' Officiatura della Capella situata nel Nostro Castello di Pisino per sempre, con obligo loro d' applicare le Messe â Nostra intentione, e d' osservare il tempo â Noi commodo nel celebrarle, come se li insinuerà. Pisino a 9. 8'bre 1683.

II. Videns R'mus D. Praepositus hoc modo dictam Officiaturam denuo Conventui esse collatam, et quidem pro semper, omnem movit lapidem, ut Officiatura haec ad P. P. Franciscanos non deveniret, unde voluit hanc Officiaturam permutare cum alio beneficio Sanctissimi Rosarii, erat enim persuasus, se posse facilius hoc modo Fratres utroque beneficio privare, sed nec hoc eidem e voto successit. Tandem eo instigante perrexit Sacerdos, qui hoc beneficio fruebatur, ad ipsum Principem querulando, et fingendo, quod toto in populo magna admiratio per sui â beneficio amotionem excitata sit, communisque circumferatur rumor, quod P. P. Franciscani se frusto panis, ac quotidianis alimentis spoliaverint, et quod ratione hujus actûs multi benefactores Franciscanorum iis abscondant pietati, ac misericordiae viscera, timendumque esse, ne fideles totaliter eisdem subtrahant charitatis subsidia, quod imminens damnum averti haud potest, nisi praedicta Officiatura eidem denuo conferatur: Ast, ut cognovit Serenissimus Princeps, haec omnia ex livore tabescente proficisci animo, Sacerdos cum suo ingenioso figmento repulsus est, dictamque Officiaturam perpetuo penes Conventum esse voluit.

928

III. Dum Comitatus Pisinensis devolutus esset ad Excel'mum Dominum Josephum Ludovicum Turinetti Marchionem de Priè, Administrator Pisinensis D. Pasqualinus Godinich solutionem pro dicta Officiatura dare renuit asserens, â Marchione esse omnes pensiones, et eleemosynas Regularibus dari solitas suspensas, non considerans hanc eleemosynam non esse liberam, sed oneratam, utpote quae habet annexum onus certarum Missarum. Unde Guardianus pro tempore P. Marcus Cragui praedicto Marchioni supplicuit, quatenus per suum Administratorem non tantum restantem eleemosynam Conventui tribui, sed etiam dictam Officiaturam pro futuris temporibus confirmare benignè dignaretur: qui justis petitionibus P. Guardiani deferre volens et restantem eleemosynam pendi jussit, et Capellaniam (quam Conventus usque in hodiernam diem imperturbate peragit) confirmare benignè dignatus est sequenti Rescripto:

Visto il tenore del presente Memoriale, mandiamo al V. Amministratore del nostro Contado di Pisino S. Pasqualino Godinich, di pagare à gl' introscritti Padri Riformati di San Francesco del Convento di Pisino li quatro quartali, quando, come espongono, ne vadino ancor creditori per le tre Messe, che celebrano in cad'a settimana nella Capella del Castello, e le feste, e cio â rag'e di fiorini cinquanta da lire quattro e mezza Imp'li cad'o, ogni anno, e di continuare ovè essi Padri pure adempiscano alla celebratione delle Messe pred'e à pagar loro da somma di quartale in quartale maturato repartitamente sino â nostro nuovo Ordine. Dat. in Vienna li 31. Agosto 1715.

Marchese Ercole Giuseppe Ludovico Turinetti

(L. S.) Concordat cum Originali ita testor ego Joannes Josephus de Marburg S'ae Caes'ae Mat'tis Consiliarius, ac Capitaneus Civitatis Pisini.

IV. Aliam Officiaturam fundatam â Principe de Portia in quadam Capella sita sub Gollogoriza, in qua erga stipendium 15. scutorum Conventus qualibet Septimana tres Missas celebrare obligabatur juxta intentionem fundatoris: R'ndi Domini Petrini, quorum antesignanus erat R'mus D. Jacobus Rampl Vice-Praepositus, omnem conatum adhibuerunt, ut praedicta Officiatura ad illos devolveretur, unde per Procuratorem D. Friderici Seripi Capellani Principis de Portia, ad quem tunc dictum beneficium pertinebat, egerunt tam diu, donec optatum suum finem obtinerent. Quia verò anno 1659. sub dato Luxemburgi die 10. Maji praedictus D. Fridericus Seripi non obstante, quod per suum Procuratorem praedictum beneficium jam Dominis Petrinis collatum fuerit, voluit, ut beneficium penes Franciscanos maneat, quod et aliis litteris sub dato Viennae die 12. Augusti ejusdem anni confirmavit, egit R'mus D. Praepositus, ut beneficium ad Suam Ecclesiam S. Nicolai transferatur, quod etiam sua importunitate obtinuit, ut hoc modo P. P. Franciscanos â dicto beneficio repellere posset, qui dein dicto beneficio, ut litibus finis imponatur, ultro renuntiarunt.

V. Carolus Archidux Austriae anno 1580. de dato Graecii die 27. Junii certam tritici, et vini eleemosynam ex arce Pisinensi quotannis per modum purae, et liberae eleemosynae dandam assignavit videlicet 10. modios tritici, et 5. urnas vini, nunc Conventus tantum percipit 6. modios tritici, et totidem urnas vini. Archiducalis Resolutio fuit praesentata D. Antonio Wassermann Capitaneo Comitatus Pisinensis die 27. Septembris anni 1580. quae hujus est tenoris:

Carl etc.

Getreuer, Lieber. Unser gnediger beuelich ist an Euch, das Ihr dem Guardian des Franciscaner Closters alda zu Mitterburg anjezo, und hinfüran Jährlich zehen Spodi weiz, und finf Spodi Wein, so wie Ihme, und seinen dortigen Closters bruedern, alß ein almusen, auf wolgefallen genedigst bewilliget haben, ordentlich reichen, und zu stellen lasset, welche Außgaab Euch hierauf, und gebürender Quittung bey Reittung an eueren bestandt passirlich seyn solle. Daran beschicht unser genediger Willen, und Meinung. Geben in unserer Stadt Graz den 27 Junii A^{to} 1580.

Carolus

Ad mandatum Domini Archiducis proprium
Mar. Schrattenbach

VI. Lignorum focalium provisio in hoc Conventu Superioribus focalibus multum facessit negotii: etenim quolibet anno P. Guardianus se recommendare debet apud judices alicujus communitatis, qui simul convenientes deliberant, et consultum faciunt, an, et quot arbores Conventui dare vellent: facta consultatione, obtentus communis, vel saltem majoris partis assensus insinuatur P. Guardiano, qui habiti consensûs confirmationem â Capitaneo petere debet. Impetrata confirmatione fit â Communitate assignatio arborum, quas Conventus suis expensis caedere debet. Ligna caesa partim per domestica animalia, partim curribus aliunde emendicatis ad Conventum adducuntur.

Caput V.
De Domo Geminensi, et Hospitio Raspurgi aedificando.

I. Cum Fratres Conventus Pisinensis ad collecturas per Comitatum Pisinensem exeuntes in plerisque locis honesta diversoria haud reperiant, R^{mus} D. Antonius Bianchi de Waisenhaus Canonicus Giminensis quamdam suam domum Gimini sitam Conventui Pisinensi quoad usum facti reservato sibi jure proprietatis (quod illo demortuo translatum fuit ad Ecclesiam Parochialem S. Michaelis Archangeli illius loci) donavit Conventui Pisinensi, ut Fratres sive ad habendas inibi Conciones quadragesimales, sive ex quacunque alia causa

930

illuc adventantes honestum hospitium habere valerent, prout ex ejusdem die 9. Maji 1701. confecto donationis instrumento clarius patet, quod hujus est tenoris:

Nel Nome di Giesu Christo Nostro Salvatore nell' anno corrente della sua Sanctissima Natività 1701. Ind'ne 9'na giorno di lunedi li 9. del Mese di Maggio fatto in Pisino nella casa della solit' habitatione di me Nottaro sottoscritto alla presenza delli sottoscritti testimonij etc. Constituto quivi il Molt' Ill're, e Molto R'ndo D. Antonio de Bianchi â Waissenhaus Canonico di Gimino, quale spontaneamente per sempre donna irrevocabil'le al Venerabil Convento di S. Francesco di questo luoco, per quale qui presente Molto R'ndo Padre Gioachimo di Gratia Guardiano del med'mo Convento assieme meco Nottaro accettanti tale donatione etc. Una Casa â palmento posta in Gimino nominata Chersevanca col suo Balladore, et Scalla, entro la stua Asy, habentie, et pertinentie, confina da levante con la Casa di M'o Giacomo Bacich fabro, da ponente, et tramontana Casa d'Antonio Suffich q'm sime, a meridie strada publica salvi etc. la qual Casa possono goder perpetuamente li Padri di questo Convento, et di questa servirsi per alloggio nel tempo delle cerche, et quando occorresse etc. con questa condizione, et patto espresso, che essi Padri Francescani in aliun tempo non possano vender, alienar, ne permuttarla, altrimente resti caduca questa donatione, et la Casa predetta caschi all' antedetto Mons'r Donatore, ò suoi heredi, che tunc temporis s' attrovassero etc. Risservandosi esso Mons're Donatore di deffendere contra quoscunque, che potrebbe apportar qualche pregiud'e alla sudetta Casa con fabrica, ò altro, et doppo la di lui morte li di lui heredi possano effettuare il simile. Dichiarando in oltre esso Mons'r Donatore d'essere la predetta Casa libera d' ogni livello; hipoteca, et qualsivoglia altro aggravio; come l' altre Case in quella terra etc. promettendo la presente donatione haver per sempre ferma; rata, et grata sott' obligatione, et hipoteca di tutti, et cadauni beni mobili, et stabili, presenti, e venturi ubique essistenti etc. renuntiand' ad ogni eccettione in forma juris amplissima etc. Desiderando esso Mons're Donatore, che per sua cautela la presente donatione fosse ratificata dal Padre Provinciale, ò altri Superiori in termine di Mesi sei, acciò in contrario evento possa altrimente disponere della stessa Casa etc. et per fermezza di ciò si è sottoscritto di pugno proprio etc. Presenti Michiel Uchmar, et Giorgio Terdoslavich ambi habitanti in questo luogo etc.

Antonio Bianchi de Waisenhaus Can'co affermo ut sup'a m'ppa.

(L. Sign.) Et Io Gio. Slocovich per la Sac. Imp'le facoltà Not - taro pub'co alle cose pred'e fui intervenuto, richiesto hò stipulato il presente Instromento, et poscia dall' Originale estratto fedelmente, et per fede mi sono sottoscritto etc.

II. Praefatae domus donationem modo nobis licito postmodum Venerabile Diffinitorium sub die 23. Julii ejusdem anni 1701. sequenti Decreto (quod etiam ipsemet R'mus D. Donator gratanter acceptavit) ratam habuit:

Hospitium â Praenobili, ac A. R'do Domino Antonio di Bianchi in Gimin Conventui nostro Pisinensi pro collectoribus nostris eò adventantibus oblatum Ven'ble Diffinitorium ad purum usum sine alio jure, quam facti acceptat, et id acceptatum praedicto D'no Donanti hocce Decreto insinuat. Ita conclusum in pleno diffinitorio die 23. Julii 1701.

Fr' Ludovicus â Gallenfels Diff'or
et Ven'blis Diff'rii Secretarius m'ppa

Adi 26. Ag'to 1701. in Gimino. Gratie à Dio, et alla Serafica Religione d' haver accettato l' entroscritta mia obligatione, ò sia oblatione, la qual vista laudo, et per notificata confermo.

Antonio Bianchi di Waissenhaus Can'co
affermo ut sup'a m'ppa

III. Aliud Hospitium fuit nobis oblatum in Civitate Raspurgensi, italice *Pinguente*, Illyris *Pinguente*, vel *Buset* in Istria Veneta anno 1727. ad quod etiam accessit consensus Serenissimae Reipublicae Venetae, quod ex copia authentica patet, quae sic sonat:

Aloysius Mocenico Dei Gratia Dux Venetiarum etc. Universis et singulis, ad quos hae nostrae pervenerint, significamus cum Senatu: Che stante la scarsezza de Sacri Operarij nella Vigna del Sig're, de quali abbisognano li sudditi nostri in Pinguente, come ci asserisono quel pubblico Rappresentante, e li Consultori nostri in jure, sia approvata la parte à tutti voti presa in quel consilio di ricever in esso Castello li P. P. Riformati di S. Francesco, giusta da parte stessa accompagnata con lettere di quel Capitaneo in data di 21. del passato Marzo cosiche quella popolatione habbi à beneficio Spirituale quell' appoggio, che tanto se gli rende necessario i dovendo però precedere le licenze Ecclesiastiche, giusto à quanto raccordano li Consultori nostri in Jure. Quare auctoritate supradicti Consilii mandamus vobis, ut exequi faciatis. Datum in Nostro Ducali Palatio die XXVII. Novembris Indictione VII. 1728.

Angelo Nicolloti Seg'ro
Dom'co Brad'e Coad're Pre' etc.

Noi Angelo Zustinian per la Ser'ma Republica di Venetia Cap'o di Raspo, ê sua Giurisdittione, à qualunque attestiamo essere Molto R'ndo Dom'co Brodamante tale, quale si sottoscrisse, alle di cui sottoscrittioni quì, et in qualunque luoco si può prestare piena fede. In quorum fidem etc. Pingetc. 24. Genaro 1729.

Anzolo Zustinian Cap'o di Raspo
Gio. Bat'ta Gavardo Can're Pre' etc. di Raspo

932

IV. Non obstante facultate de aedificando Hospitio Raspurgi Serenissimi Senatus Veneti, successu temporis multa impedimenta emerserunt, quae possessionem hujus loci, licet jam Ecclesia cum una domo et horto adjacente pro Fratrum usu assignata fuisse capere prohibebant. Requirebatur enim consensus Summi Pontificis, qui haud acquiri potuisset reclamantibus Patribus Observantibus Justinopolitanis. 2^tdo^ requirebatur consensus Aulae Viennensis, ut Fratribus in Istria Austriaca commorantibus liceret communicare cum Fratribus in Istria Veneta degentibus, qui etiam vix, aut ne vix quidem obtinendus sperabatur. 3^ttio^ absterrebat Patres ab acceptando Hospitio nimius in statu Veneto in Regularium regimen politicae potestatis influxus, non obstante […][551] promissione Gubernatoris vulgo Potestà Raspurgensis, quod regimen Fratrum totaliter relinquendum sit Superiorum dispositioni. Ob has proinde causas hospitium hocce non fuit â Provincia acceptatum. Tum etiam, quia hoc anno 1729. Gubernator Raspurgensis, qui hoc negotium perurgebat, aliò translatus fuit.

Caput VI.
De Ecclesiae aedificatione, Altarium erectione, eorumque Consecratione, de Cryptis, et Coemeterio, de Confraternitatibus, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De Ecclesiae aedificatione, Altarium erectione, eorumque consecratione.

I. Quae fuerit causa motrix? quod populus hanc Ecclesiam Conventus nostri aedificaverit, nulla adsunt instrumenta, ex quibus causa certa aedificatae Ecclesiae erui posset. Si verò perpetuae traditioni fidem deferre volumus, eam fuisse prorsum miraculosam, ac supernaturalem reperiemus. Traditur namque, quod in Castello Pisinensi eo in loco, ubi nunc carcer est, dictus *Passiak*, fuerit Capellula, in qua posita erat quaedam statua B. V. Mariae; Arcem illius illo tempore possessor reparare, et fortificare, ac obinde Capellam aliò transferre cogitabat. Et ecce! in una nocte audiebatur quidam strepitus mixtus coruscationibus, tonitruis, ac insolito quodam splendore: sequenti die invenerunt incolae statuam ex dicta Castelli Capella ablatam, et in eo loco collocatam, ubi nunc ara major Conventus Ecclesiae stat, quam translationem homines non naturaliter, sed Angelico ministerio peractam agnoscentes concluserunt Divinam Providentiam, et infinitam Sapientiam hunc locum praeelegisse, in quo Beatissimam Virginem Mariam speciali devotione honorari desiderat: permotus hoc manifesto miraculo populus in ejusdem honorem propediem unam Ecclesiam construere

coepit, ubi B'ma Virgo Maria tantis gratiis, quas cum fiducia ad se properantibus, suumque auxilium invocantibus elargiebatur, et miraculis coruscare coepit, ut communiter â devoto populo B'ma Virgo Maria Gratiarum, seu de Gratiis appellaretur. Obinde etiam sigillum majus Conventus hanc servat inscriptionem: *Sigillum majus Conv. Pisinen. B. V. Gratiarum*.

II. Quo vero anno haec miraculosa translatio statuae B. V. Mariae facta fuerit? non est compertum: id tamen certum est, quod facta fuerit intra annum Christi 1463. et 1477. prout ex diversis scripturarum instrumentis [colligi potest] ⊤.[552] Quod praedicta statua anno 1463. adhuc in Castelli Capella fuerit, patet ex testamento, quod in Praepositura Pisinensi asservatur, Pauli Grego anno 1463. facto, ubi praedictus Paulus de quadam domo Pisini sita legat Ecclesiae B. V. Mariae in Castello, seu arce quamdam quantitatem olei. Quod verò anno 1477. translatio jam fuerit facta, ac Ecclesia aedificata patet itidem ex Testamento Antonii Vogrinich manu publici Notarii die 20. Januarii 1477. conscripto, in quo legat Ecclesiae S. Mariae in Pisino certam quantitatem argenti pro 2. calicibus. 50 Ducatos, ac aliqua bona immobilia: Verba testamenti ad rem spectantia sic sonant: *Item reliquit aliquam quantitatem de argento, de quo jussit fieri duos Calices ad Ecclesiam Sanctae Mariae novae in Pisino … Item reliquit de illis centum ducatis, quos tenetur dare Raphael de Gorizia olim Helenae uxori suae pro dote, et nomine dotis, quinquaginta … Ecclesiae Sanctae Mariae novae in Pisino, scilicet altari S. Catharinae in eadem Ecclesia: item alia omnia sua bona, exceptis praemissis* (quae Consanguineis legaverat) *et etiam alia bona sua, quae reliquit, et donavit sibi olim Helena uxor sua legitima … jure legatorum reliquit Ecclesiae S. Mariae novae in Pisino … Sin erit Monasterium cum conditione, quod Fratres, seu Monachi ibidem commorantes debeant, et teneantur officiare altare S. Catharinae in eadem Ecclesia.*

III. Ex hac testamentaria Antonii Vogrinich dispositione clarè eruitur, quod Ecclesia isthaec anno 1477. jam extiterit, quae ob recentem sui constructionem appellabatur *nova*, quod praedicatum brevi tempore evanuit, nam post paucos annos propter plurimas obtentas gratias B'ma Virgo Gratiarum seu de Gratiis vocitari coepit, prout etiam Maximilianus I. Romanorum Imperator in suis litteris de anno 1503. nominat hanc Ecclesiam *B. V. Gratiarum*. Quod verò praefatus Antonius Vogrinich in suo testamento per verba: *Sanctae Mariae novae in Pisino*, hanc ipsissimam Ecclesiam indigitârit: illa sui testamenti verba: *Sin erit Monasterium* sufficienter exprimunt, quid enim verba illa aliud denotant? quam quod Cives Pisinenses jam anno 1477. proposuerint, huic Ecclesiae adjungere Monasterium, quod propositum anno 1481. executioni dedêre. Post aliquorum annorum evolutionem Ecclesia haec titulum sub invocatione B. V. Mariae Elisabeth visitantis assumpsit:

934

Unde Ecclesiae hujus patrocinium nunc quolibet anno celebratur in festo Visitationis B. V. Mariae die 2. Julii.

IV. Dum Fratres Minores Pisinum introducti fuissent, eisque Ecclesia consignata, populus Pisinensis non tantum Conventum extruxit, sed etiam Ecclesiam (quae habet in longitudine orgias 13. pedes 4. in latitudine verò dempta Capella Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae orgias 4.) ampliavit, ac ad modernam formam redegit, quae anno 1484. totalem sui perfectionem assecuta fuisse creditur, utpote quae hoc anno Consecrationis beneficium obtinuisse fertur. Anniversaria Dedicationis memoria recolitur quotannis Dominica proxima post festum Visitationis Beatae Virginis Mariae.

V. Arae in Ecclesia Pisinensi numerantur quinque: *1ma* est Ara major Visitationis B. V. Mariae. *2da* S. P. N. Francisci. *3tia* S. Antonii Patavini. *4ta* S. Annae Matris gloriosissimae Dei Genitricis Mariae, et S. Notburgae. *5ta* Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae. Ara major, quae quotidiano pro animabus gaudet privilegio, ex marmore erecta est anno 1726. sub locali gubernio P. Joannis Capistrani Zuppardi munificentia D. Michaelis Greblo, qui 400. Ducatos contribuit, ut claret ex contractu inter ipsum, et Dominum Dominicum Cavalieri lapicidam Giminensem die 22. Januarii anni praedicti celebrato. Consecrata verò erat die 21. Novembris 1744. sub Guardianatu P. Benigni Gerini una cum Ara, et Capella Immaculatae Conceptionis B. Virginis Mariae ab Ill'mo, et R'mo D. D. Bonifacio Cechotti Episcopo Petinensi hujus olim Provinciae Alumno. Instrumentum Consecrationis, aut licentia Episcopi Parentini, quae indubie obtenta fuit, non adest.

VI. Ara S. P. N. Francisci quae feria 2'da pro membris ejusdem Sancti Archiconfraternitatis privilegiata est, erecta fuit ex marmore anno 1776. cujus fundator est D. Martinus Urbaniz hujus Conventus Vice-Procurator. Ara S. Antonii de Padua erecta fuit sub Guardiano P. Andrea Hualle impensis Reverendissimi Domini Antonii Stancovich â S. Vincentio, quae pro Confratribus Confraternitatis S. Antonii feria 3'tia privilegiata est. Ambae hae duae Arae consecratae erant die 12. Augusti anno 1776. ab Ill'mo, et R'mo D. D. Aldrago Antonio de Picardi Episcopo Petinensi obtenta praeviè licentia Episcopi Parentini, in cujus Dioecesi Ecclesia sita est, sequentis tenoris:

> Gaspar de Nigris Dei, et Apostolicae Sedis gratia
> Epicopus Parentinus Com. ac D'nus Ursariae etc.

Ut Ill'mus, et R'mus Dominus D. Aldragus, Antonius de Picardi Episcopus Petenensis duo Altaria unum ad honorem S. Francisci, alterum verò S. Antonii erecta in Ecclesia

935, 936b,c
N'o 40.

Patrum Min. Reformatorum S. Francisci Castri Pisini nostrae Parentinae Dioecesis â parte Austriaca consecrare juxta ritum S. Matris Ecclesiae, et praescriptum â Pontificali Romano, et in eadem Ecclesia occasione hujusmodi Consecrationis Missam in Pontificalibus celebrare possit, et valeat T. P. assensum nostrum in Domino concedimus, et facultatem impertimur. In quorum fidem etc. Dat. Parentii ex Cancellaria nostra Ep'ali die 9'na Augusti 1776.

(L. S.) Gaspar Ep'us Parentinus

Paulus Chiurco Can'cus Th.
Cancel'rius Ep'alis.

VII.[553] Instrumenta Consecrationis horum duorum Altarium sic sonant:

In Ara S. Francisci

MDCCLXXVI. die 12. Mensis Augusti ego Aldragus Antonius de Piccardi Episcopus Petinensis consecravi Altare hoc in honorem Sancti Francisci Seraphici, et Reliquias Sanctorum Hermagorae I. Episcopi Aquilejensis, Lazari Mart. Tergestini una cum veteribus Reliquiis in eodem inventis, videlicet ipsius S. Francisci, Nicephori Mart. et Bernardi Abat. in eo inclusi, et singulis Christi Fidelibus hodie unum Annum, et in die Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessi.

In Ara S. Antonii Patavini.

MDCCLXXVI. die 12. Mensis Augusti ego Aldragus Antonius de Piccardi Episcopus Petinensis consecravi Altare hoc in honorem Sancti Antonii Patavini, et Reliquias SS'um Hermagorae I. Episcopi Aquilejensis, et Sanct. Lazari Mart. de Tergesto una cum veteribus Reliquiis in eodem inventis in eo inclusi, et singulis Christi Fidelibus hodie unum Annum, et in die Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessi.

VIII. Quarta Ara S. Annae Matris B'mae Virginis Mariae et S. Notburgae (prius enim duo separatae Arae erant) erecta fuit ex marmore anno 1772. sub Guardianatu P. Florentiani Jeperscheg munificentia Ad'm Reverendi Domini Antonii Trost Pisinensis, consecrata verò erat anno sequenti videlicet 1772. ab eodem Ill'mo, et R'mo D. D. Aldrago Antonio de Picardi Episcopo Petinensi de licentia Episcopi Parentini scriptotenus obtenta hujusmodi tenoris:

Gaspar de Nigris Dei, et Apostolicae Sedis gratia
Episcopus Parentinus, Co. ac D'nus Ursariae etc.

935, 936b,c

Ut Ill'mus, et R'mus D. D. Episcopus Petenensis Altare S. Annae situm in Ecclesia Patrum Ord. Min. Strict. Observ. S. Francisci in loco Pisini nostrae Parentinae Dioecesis â P. A. consecrare possit, et valeat juxta praescriptum Pontificalis Romani, licentiam, et assensum in Domino concedimus, et elargimur. In quorum fidem etc. Dat. Parentii ex Cancel'ria nostra Ep'ali die 27. Septembris 1772.

(L. S.) Gaspar Ep'us Parentinus

Paulus Chiurco d. M.
Can'cus Th. Cancel'rius Ep'alis.

IX. Arae Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae labor inchoatus fuit sub Guardianatu P. Alexandri Bresciak anno 1729. Ara (quae pro membris Confraternitatis Immaculatae Conceptionis feria 6'ta privilegiata est) fuit deaurata anno 1734. tempore Guardianatus P. Honorii Kopffer per D. Joannem Fajenz deauratorem Fluminensem. Hoc tempore fuit etiam Ecclesia pro duobus passibis Coemetrium versus extensa, fornix quoque sub Choro, et in Capella praedicta factus, ut patet ex contractu die 4. Aprilis anno 1729. inter A. R. D. Antonium Dernevich Procuratorem Conventus, et D. Sebastianum Praprotnik Aedilem facto. Fuit quoque anno 1732. Campanili apposita Cupula,

936a

quod ex alio inter eosdem die 4. Julii 1732. celebrato contractu colligitur. Consecrata erat haec Ara die 21. Novembris 1744. cum Ara majori, ut suprà visum. Sciendum quoque est, quod statua miraculosa B. V. Mariae, quae fuit ex Ara ad hunc locum mirabiliter translata, nunc, ob quam causam? ignoro, reposita sit in Capella domestica, dicta infirmorum, quae tamen tempore magnae siccitatis, aut aliae publicae necessitatis in Ecclesia publicae fidelium venerationi exponitur, qua exposita populus ferme semper petitam obtinet gratiam.

§. II.
De Cryptis, et Coemeterio Pisinensi.

I. In Ecclesia Pisinensi plures efformatae sunt Cryptae, quae plerumque ad Conventum spectant praeter duas, quarum una est familiae Milosichianae, altera in medio Ecclesiae familiae Domicelli cum hac inscriptione:

Joannes Paulus Domicelli â Schönhaus
Juris utriusque Doctor pro se, familia
Ferdinandi Pichler Medici Pisini, et
Confratribus S. P. Francisci curavit
fieri MDCCII.

Paulo infra sunt duae Cryptae pro tumulandis nostris Confratribus factae anno 1713. in quarum sinistra legitur haec Chronographica inscriptio

D. O. M.
Dona req**VI**e**M** **C**oet**VI** Seraph**IC**o.

In altera

D. O. M.
H**IC** trans**I**ens **ID**e**M** e**X**pe**C**tans.

II. Ante portam Ecclesiae est parvum Coemeterium pro sepeliendis domesticis famulis, si quem in actuali servitio decedere contingeret, in quo etiam nonnulli extranei sepeliri solent. Circa usum stolae in nostra Ecclesia olim inter R'ndum D. Praepositum, et Conventum exorta erat quaedam disceptatio, quae tamen amicabiliter composita fuit, pro majori firmitate confectum fuit cum subscriptione utriusque partis sequens Instrumentum:

In Dei Nomine Amen.

Ad complanandas differentias, quae retroactis temporibus nascebantur, et etiamnum oriri possent in defferendis, ac suscipiendis defunctorum cadaveribus in Coemeterio, sive Conventus nostri Ecclesia tumulandis, de mutuo subscriptorum

consensu, ad servandam inter utramque partem laudabilem harmoniam, matura deliberatione conclusum est, ut posthac memorata defunctorum cadavera in Ecclesiae nostrae valvis deposita omnino suscipiantur, servato tamen ordine ubilibet apud claustrales practicato: videlicet ut R'ndi Domini Curati Praepositoriales cadavera associantes, in nostrae Ecclesiae valvis decantatum *Miserere* solito modo concludant cum *Requiem aeternam* etc. absque ulteriori aquae benedictae aspersione, cum haec superflua videatur, nam deposito cadavere in alienae jurisdictionis loco talis benedictio minime practicatur. Quibus peractis facta per Patrem Officiatorem nostrum solita cadaveris aspersione, erit ad placitum Reverendis Dominis Curatis recedere, vel etiam cum, aut sine stola introire Ecclesiam nostram vel Missam lecturi, vel per eamdem pertranseundo domum regredi, et haec intelligenda supponuntur, seclusa omni omnium futurorum temporum in dictum nostrum Coemeterium, aut Ecclesiam jurisdictionis alicuius praetensione. Quare in hujus Conventionis amicabilis firmitatem proprii nominis subscriptione praedicta cuncta ratificamus. Datum Pisini die 18. Mensis Martii 1743.

Fr' Candidus Bassa Con'or, lect. Theologus
Discretus Con'tus m'ppa
Fr' Petrus Moysè Ss. Theologiae lect. Gn'lis Concionator Ordinarius, Discretus Conventus m'ppa
Fr' Alexander Bresciach Con'or, Vicarius Conventus, et Discretus m'ppa (L. S.)
Fr' Cyrillus Makai Con'or, et Guardianus Con'tus m'ppa
Antonius Vitus Franul Praepositus Pisinensis m'ppa (L. S.)

§. III.
De Confraternitatibus, Sacris Reliquiis, aliisque piis exercitiis.

I. In Ecclesia nostra Pisinensi tres Canonicè erectae reperiuntur Confraternitates: *prima* est Cordigerorum S. P. Francisci communis omnibus Ordinis, et Provinciae Ecclesiis. *2tda* Est S. Antonii Patavini erecta anno 1676. *3tia* est Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae erecta 1747. Hujus Confraternitatis Confratres, et Consorores multa pietatis exercent opera, qui etiam festum, et octavam Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae singulari concelebrant Pompa: insuper solemne celebrat triduum pro animabus defunctorum Confratrum, pro quo triduo, ut erga defunctos major in fidelium cordibus excitetur miseratio, Clemens XIII. ad preces Patrum Conventus Pisinensis concessit sub die 30. Januarii 1765. pro integro triduo Indulgentiam plenariam semel ab unoquoque lucrifaciendam, nec non omnes Missas, quae praedicto triduo in nostra Ecclesia

938

pro Confratribus ad quamcunque Aram celebrabantur, iis perinde suffragari voluit, ac si ad Altare privilegiatum celebratae forent, prout id clarius patet ex Pontificio Rescripto hujus tenoris:

Sanctissimus Dominus noster CLEMENS Papa XIII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, verè paenitentibus, confessis, ac Sacra communione refectis, qui Ecclesiam supradictam tribus diebus continuis ab Ordinario semel tantum designandis, devote singulis annis visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, juxta mentem Sanctitatis suae, pie oraverint, Indulgentiam plenariam etiam fidelibus defunctis applicabilem, semel tantùm spatio dicti Tridui per unumquemque Christifidelem lucrifaciendam, benignè concessit. Insuper clementer indulsit, ut Missae defunctorum, durante triduo praedicto, diebus tamen non impeditis ad quodcunque Altare dictae Ecclesiae celebrari possint, et animabus, pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad Altare privilegiatum celebratae fuissent, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti ad septennium tantùm valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Voluit etiam, si similis gratia pro alia quacunque anni die in dicta Ecclesia jam concessa sit, praesentem nullam esse. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis die 30. Januarii 1765.

Gratis (L. S.) S. Borgia S. Congr. Indulg. Secret.

Die 29. Junii 1765. R'mus D. Vicarius Generalis sic instante A. R. P. Guardiano Minorum Observ. Reformatorum Conventus Pisini, ad effectum lucrandi Indulgentiam â Santissimo Domino Nostro D. Clemente Papa XIII. Ecclesiae Visitationis beatae Mariae Virginis, videlicet 16. 17. 18. mensis Decembris intra tempus, ùt in supradicto Decreto contentum designavit, et ita etc. omni etc.

Valentinus Valentini Vicarius Generalis

II. Cum in Ecclesia hac Pisinensi in festo Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis, ac tota ejus octava tam copiosa multitudo populi conveniat, ut omnes Christifideles lucrari nequeant Indulgentiam plenariam, qua Religio gaudet â jure Institutionis: idcirco supplicatum extitit Sanctitati Suae Clementi XIII. pro gratia extensionis ejusdem Indulgentiae plenariae, nempe ut spatio octidui, semel tantum sit lucranda ab omnibus Christifidelibus visitantibus supradictam Ecclesiam. Petitam gratiam Pontifex sequenti Rescripto indulsit:

Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS Papa XIII. Indulgentiam plenariam, ut asseritur, Ordini Minorum Observantium Sancti Francisci generaliter concessam pro festo Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, ad totam Octavam in praefata Ecclesia, semel tantum spatio dicti Octidui, per unumquemque Christifidelem lucrifaciendam benignè extendit, servato in reliquis tenore primaevae concessionis. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 4. Februarii 1765.

(L. S.) S. Borgia Sac. Congr. Indulgentiarum Secret.

Die 10. Octobris 1765. in Curia Episcopali Parentina.

concordat cum Originali. Publicetur, et exequatur, prout stat, et jacet. In fidem etc.
Valentinus Valentini Vicarius Generalis
Paulus Chiurco Cancel'rius Ep'alis.

III. Praeter Reliquias Sanctorum, quae Altaribus impositae sunt, reperiuntur in specialibus capsis, seu thecis impositae sequentium Sanctorum Reliquiae:

1'mò Particula S. Crucis D. N. J. C. cum authentica, quam P. Silvanus Lachner p. t. Guardianus Ecclesiae donavit.

2'dò Particula S. Antonii Patavini cum authentica, quam donavit R'mus D. Vincentius L. B. de Argento Canonicus Tergest.

3'tiò Particula ex Sacro osse S. Notburgae Virginis cum auth.

4'tò Particula de corpore S. Juliani Mart. Ord. Min. S. Francisci Regularis Observantiae cum authentica.

5'tò Particulae ex ossibus Ss. Mauri, et Eleuterii Martyrum cum authentica.

6'tò Particulae ex ossibus Sanctorum Martyrum Constantii, Probi, Pacifici, et Amati extractis ex Coemeterio S. Laurentii cum authentica.

7'mò Particulae ex ossibus Ss. Justini, Honesti, Clari, et Theophili Martyrum extractis ex Coemeterio S. Laurentii cum authentica.

IV. Via S. Crucis â devoto hujus Civitatis populo cum magna devotione frequentatur, quae pro majori populi commoditate quolibet mense semel Sacerdote praeeunte, et stationum mysteria praelegente publicè ducitur. Floret quoque Tertius paenitentium Ordo S. P. Francisci, cui plures personae Nobiles, ac Sacerdotes Saeculares inscripti sunt. Duo instituti sunt Concionatores Illyrici, quorum unus diebus Dominicis, alter diebus festivis ê Cathedra populo Verbum Dei proponit. Saepius quoque nostri Concionatores per quadragesimam ad diversa loca Istriae evocantur ad habendas conciones quadragesimales. Interdum in subsidium Parochorum ad excipiendas fidelium Confessiones excurrunt. Alii aliorum ad nostram Ecclesiam diebus Dominicis, ac majoribus anni Sollemnitatibus confluentium Confessiones audiunt.

Caput VII.
Catalogus Fratrum (qui innotuerunt) in hoc Conventu pie in Domino defunctorum.

940

1652. 13. Febr. A.V.P. Franciscus Tremanino Brixiens., Ex-Diff'or, et act. Guard. ann. Rel. 48.
…… 8. Sept. Rel. Fr' Ladislaus Germik laic. ann. Rel. 2.
1660. 5. Sept. M.V.P. Bernardinus Valenchich Guard. act.
1664. 14. Feb. M.V.P. Joannes Baptista Millossich saep. Guard. et act. Vicar. natione Pisinensis ann. Rel. 44.
1666. 28 Nov. M.V.P. Henricus Urtica Camnic. fuit Guard. ann. Rel. 32.
1679. 23. Mart. Rel. Fr' Antonius Antonelli laic. Salcan. ann. 39. Rel. 32.
…… 20. Nov. Rel. Fr' Sebastianus Schiffer laic. Carn. an. Rel. 16.
1681. 3. Maji Rel. Fr' Alexius Stokinger laic. Camn. an. 42. Rel. 20.
1687. 2. Dec. Rel. Fr' Zacharias Reja Cler. Camn. ann. Rel. 5.
1689. 21. Apr. Rel. Fr' Thomas Greiner laic. Carn. ann. 46. Rel. 24.
1690. in Aug. VP. Julianus Gollob Gorit. ann. 44. Rel. 25.
1693. 11. Oct. V.P. Jeremias Schalostnig Lab. ann. 42. Rel. 20.
1696. 15. Feb. M.V.P. Ezechiel Grudin saep. Guard. et Vic. act. ann. 40. Rel. 21.
1697. 13. Jul. Rel. Fr' Joan. Baptista Grudin laic. ann. Rel. 4.
…… 1. Nov. M.V.P. Hyacinthus Castelz Guard. ann. 61. Rel. 42.
1698. 10. Nov. V.P. Octavius Paccassi Gorit. ann. Rel. 11.
…… 22. Dec. Rel. Fr' Valentinus Mochorich laic. Vippac.
1699. 15. Jan. M.V.P. Jacobus Columbichus Forojul. ex Cormono, Con'or saep. Guard. ann. 62. Rel. 42.
1701. 17. Apr. V.P. Gregorius Oman Lab. ann. 53. Rel. 35.
1702. 3. Sept. Rel. Fr' Stephanus Rubinich laic. Croat. an. 68. Rel. 42.
1705. 6. Sept. Rel. Fr' Primus Stör laic. Chyr. Bav. ann. Rel. 17.
1708. 3. Oct. Rel. Fr' Carolus Pesocki laic. Vippac. an. 35. Rel. 17.
1715. 10. Sept. A.V.P. Marcus Cragui Con'or saep. Guard. et Ex-Diff'or, Guard. act. ann. 62. Rel. 41.
1716. 19. Jan. Rel. Fr' Fabinnus Bessiak laic. ann. Rel. 23.
1723. 9. Dec. V.P. Hilarion Leban Gorit. ann. Rel. 17.
…… 19. Dec. Rel. Fr' Mathias Mrak laic. ann. Rel. 30.
1725. 7. Febr. V.P. Tiburtius Boni Flum. Vic. act. an. 42. Rel.24.
1727. 15. Dec. M.V.P. Bonavita Zelner Bav. fuit Mag. Novit. Vic. act. ann. 58. Rel. 43.
1729. 17. Sept. Rel. Fr' Martinus Margan laic. Flum. an. Rel. 5.
1735. 16. Aug. Rel. Fr' Nicolaus Resner laic. ex Palat. Super. ann. 31. Rel. 5.
1736. 29. Mart. Rel. Fr' Franciscus Bessiak laic. an. 87. Rel. 54.
…… 25. Aug. Rel. Fr' Joannes Lospichler laic. Bav. an. 64. Rel. 37.
…… 20. Sept. Rel. Fr' Didacus Kumar laic. ann. 56. Rel. 29.
1737. 24. Dec. M.V.P. Eusebius Bauzer saep. Vic. et Guard. Gorit. ann. 74. Rel. 49.
1738. 10. Dec. Rel. Fr' Lucas Raisperger laic. ann. 53. Rel. 28.
1739. 2. Jan. Rel. Fr' Dismas Scheüring laic. Tyr. ann. 46. Rel. 17.

1740. 27. Sept. Rel. Fr' Paulus Skoffiz laic. Camn. an. 40. Rel. 10.
…… 12. Oct. V.P. Thaddaeus Beati Gorit. ann. 35. Rel. 15.
1742. 2. Jun. Rel. Fr' Petronius Althamer laic. ann 54. Rel. 21.
…… 9. Nov. Rel Fr' Monaldus Cechotti laic. Gorit. ann. 56. Rel. 34.
…… 15. Nov. V.P. Adauctus Dujaz Salcan. ann. 31. Rel. 10.
1745. 20. Feb. Rel. Fr' Alexius Clempsche laic. ann. 71. Rel. 45.
1749. 25. Oct. Rel. Fr' Simon Hernegger laic. Austr. ann. 45. Rel. 21.
1750. 20. Aug. M.V.P. Candidus Bassa, Con'or, lect. Theol. an. 63. Rel. 42.
1753. 10. Febr. V.P. Sebastianus Pasquan Con'or fest. an. 33. Rel. 13.
…… 5. April. V.P. Silvester Suppan ann. 51. Rel. 30.
…… 22. Apr. M.V.P. Alexander Bresciach Con'or, et pluribus annis Guard. Vic. et Novit. Mag. ann. 70. Rel. 51.
…… 11. Dec. Rel. Fr' Philippus Majeritsch laic. an. 36. Rel. 10.
1755. 30. Dec. V.P. Antoninus de Martinis Forojul. ann. 70. Rel. 47.
1756. 1. Aug. Rel. Fr' Cantianus Mayr laic. Salisb. ann. 47. Rel. 17.
1758. 9. Dec. V.P. Jodocus Schäffer Lab. ann. 43. Rel. 25.
1759. 1. Aug. MVP. Nicolaus Premur Con'or, Guard. act. ann. 44. Rel. 23.
…… 19. Aug. V.P. Dismas Secou Con'or ord. act. Flum. an. 37. Rel. 20.
1764. 2. Jan. V.P. Franciscus Locatelli Gradiscan. ann. 69. Rel. 51.
1765. 14. Dec. Rel. Fr' Patritius Solnishko laic. Clagenf. an. 56. Rel. 37.
1767. 14. Jul. M.V.P. Theodoricus Paganetto lect. Gener. Con'or Ord. Flum. ann. 49. Rel. 30.
1768. 14. Jan. MVP. Narcissus Kuss, Con'or, Ss. Theol. lect. saep. Guard. et Vic. act. ann. 58. Rel. 39.
1769. 14. Oct. Rel. Fr' Fabianus Locatelli laic. ann. 64. Rel. 45.
1770. 29. Jan. V.P. Martinianus Puz Lab. ann. 54. Rel. 36.
1771. 14. Sept. V.P. Josephus Vipaviz Lab. ann. 61. Rel. 41.
1774. 6. Aug. Rel. Fr' Julianus Jambschig laic. Lab. deaur. ann. 56. Rel. 31.
1776. 11. Jul. VP. Valerianus Omersa Camnic. Org. Religiosus simplicitate, modestia, charitate, mansuetudine, et in adversis patientiâ praefulgidus ann. 61. Rel. 42.
1778. 23. Oct. Rel. Fr' Zenno Hoss, laic. Suevus, an. 53. Rel. 29.
1781.[554] 13. Maji VP. Domnus Pirrich Gorit. an. 59. Rel. 39.
1783. 26. Jun. VP. Fabius Mohortschitsch Carn. Haidov. an. 39. R. 19.
1784. 28. Mart. RF. Goar Meshuttar laic. chyr. Carn. Lab. an. 30. R. 8.
1785. 22. Mart. RF. Georgius Stor laic. Coq. Carn. Tuhain. an. 40. R. 19.
…… 12. Nov. RP. Hilariscus Astler Herbipol. ann. 67. Rel. 43.
1786. 9. Febr. RP. Casparus Thomasetti Venet. quondam Terrae Sanctae incola ann. 69. Rel. 48.

942

Caput VIII.
Elenchus Patrum Guardianorum (quorum notitia haberi potuit) Conventus Pisinensis.

M.V.P. Georgius N. 1577.
M.V.P. Ludovicus Volar 1620. 1621. 1622.
M.V.P. Benedictus Maurich 1623.
A.V.P. Bernardus Horcha Diff'or act. 1632. 1633.
M.V.P. Joannes Maria de Goritia 1640.
M.V.P. Leonardus Buttorchich 1641. 1642. 1643.
M.V.P. Joannes Baptista Millosich 1644. 1645. 1646.
A.V.P. Franciscus Tremaninus Ex-Diff'or 1647. 1648. 1649. 1650. 1651.
A.V.P. Dominicus Pizzulini Prov'iae Diff'or act. 1652.
A.V.P. Petrus â Flumine lect. Ex-Diff'or 1653.
M.V.P. Vincentius Comel 1654. 1655. 1656.
M.V.P. Mathias Bassin 1657. 1658.
M.V.P. Bernardinus Valenchich 1659. 1660.
A.V.P. Joannes Maria Tarvisanus Con'or, Ex-Diff'or 1661. 1662. 1663.
M.V.P. Laurentius Thomassich Con'or el. 21. Apr. 1664.
M.V.P. Didacus Figar Con'or el. 15. Nov. 1664. 1665.
A.V.P. Hilarion Gorzar Ex-Diff'or 1666.
M.V.P. Andreas Romani 1667.
M.V.P. Bonifacius Pullin Con'or 1668.
M.V.P. Michael Oberschnel 1669.
M.V.P. Paulus Flessar Con'or 1670. 1671.
M.V.P. Joannes Baptista Lauritsch Con'or 1672.
M.V.P. Ludovicus â Prem Con'or, lect. gener. 1673.
M.V.P. Bernardinus Rodar 1674.
M.V.P. Michael Angelus Oberschnel Con'or, lect. 1675. 1767.
M.V.P. Angelus de Gratia 1677.
M.V.P. Bernardinus Rodar 1678. 1679. 1680.
M.V.P. Angelus de Gratia Con'or, lect. Theol. 1681. 1682. 1683.
M.V.P. Bartholomaeus Zulliani Con'or, lect. Theologus 1684. 1685. 1686.
M.V.P. Antonius Kraa Con'or, lect. gener. 1687.
M.V.P. Ezechiel Grudin Con'or 1688. 1689.
M.V.P. Balthasar Mussig Con'or, lect. 1690.
M.V.P. Jacobus Columbichius Con'or 1691. 1692.
M.V.P. Ezechiel Grudin Con'or 1693. 1694.
M.V.P. Marcus Cragui Con'or 1695. 1696. 1697.
M.V.P. Eusebius Bauzer 1698.

M.V.P. Felix Chiarpei Con'or 1699.
M.V.P. Joachimus de Gratia 1700. 1701.
M.V.P. Angelicus Direin Con'or, lect. 1702. 1703.
M.V.P. Eusebius Bauzher 1704. 1705. 1706.
M.V.P. Joachimus de Gratia 1707. 1708.
M.V.P. Antonius Fanton Con'or 1709.
A.V.P. Zacharias Battich Con'or, quarto Ex-Diff'or 1710.
M.V.P. Eusebius Bauzher 1711. 1712. 1713.
A.V.P. Marcus Cragui Con'or, Ex-Diff'or 1714. 1715.
M.V.P. Henricus Duger Con'or, lect. Theologus 1716. 1717. 1718.
A.V.P. Petrus Stibelli Con'or, lect. gener., Ex-Diff'or 1719.
M.V.P. Henricus Duger Con'or, lect. Theol. 1720. 1721. 1722.
M.V.P. Eusebius Bauzher 1723.
M.V.P. Joachimus de Gratia 1724.
M.V.P. Joannes Capistranus Zuppardi Con'or 1725.
M.V.P. Alexander Bresciach Con'or 1726. 1727. 1728.
M.V.P. Franciscus Suppanchig Con'or 1729.
M.V.P. Aloysius Mayrhoffer Con'or, lect. gener. 1730.
M.V.P. Honorius Kopfer Con'or 1731. 1732. 1733.
M.V.P. Benignus Gerini Con'or, lect. gener. 1734.
M.V.P. Honorius Kopfer Con'or 1735.
M.V.P. Josephus Bachovitsch Con'or 1736. 1737. 1738.
M.V.P. Aurelius Zheuko Con'or, lect. gener. 1739. 1740. 1741.
M.V.P. Cyrillus Makai Con'or 1742.
M.V.P. Benignus Gerini Con'or, lect. gener. 1743. 1744.
A.V.P. Franciscus Corradini Con'or, Ss. Theol. lect. Ex-Diff'or 1745.
M.V.P. Honorius Kopfer Con'or 1746. 1747. 1748.
M.V.P. Alexander Bresciach Con'or 1749.
M.V.P. Hieronymus Markillitsch Con'or, Ss. Theol. lect. 1750.
M.V.P. Silvanus Lachner 1751. 1752. 1753.
M.V.P. Chrysogonus Schustertschitsch Con'or, Ss. Theol. lect. 1754.
M.V.P. Gratianus Percopiz Con'or, lect. Theol. 1755.
M.V.P. Silvanus Lachner 1756.
M.V.P. Cyprianus Cyganich Con'or, lect. gener. 1757.
M.V.P. Nicolaus Premur Con'or 1758.
M.V.P. Adamus Kobler Con'or 1759.
M.V.P. Borgias Fabris Con'or 1760. 1761.
M.V.P. Casparus Rubida Con'or lect. 1762. 1763. 1764.
M.V.P. Illuminatus Tricarico Con'or 1765.
M.V.P. Casparus Rubida Con'or, lect. 1766. 1767. 1768.
M.V.P. Daniel Arzon 1769.
M.V.P. Florentianus Jeperscheg Con'or, lect. gener. 1770.

944

M.V.P. Probus Pensky Con'or 1771.
M.V.P. Andreas Hualle Con'or 1772. 1773. 1774.
M.V.P. Simon Kappus Con'or 1775.
M.V.P. Lambertus Fabian Con'or, Ss. Theol. lect. 1776. 1777.
M.V.P. Remigius Baschnig Con'or 1778. 1779. 1780.
A.V.P. Martinus Repeti Ex-Def'or 1781. 1782.
M.V.P. Victor Brattusch Con'or, lect. Gn'lis 1783.
M.V.P. Heribertus Fabiani Con'or 1784. 1785. 1786. 1787.
A.R.P.[555] Nicephorus Fachinetti Df'or, Con'r, Lector Phl'iae fuit Guardianus usque ad annum 1813 inclusive.
M.V.P. Seraphinus Poder Con'r 1814. 1815. 1816.
M.V.P. Jacobus Marentschitsch 1817. 1818. 1819. 1820. 1821. 1822. 1823.
Anno 1823.[556] M.R.P. Ludovicus Vraničh Con'or 824. 825. 826. 827. –
~ 1827. M.R.P. Carolus Grasel, Direct. schol. 828. 829. –
~ 1829. M.R.P. Augustus Fornasari, Praesidens, dein Guard. 830. 831. 832. –
~ 1832. M.R.P. Hermagoras Roina, Diret. 833. 834. 835. 836.–38. –[557]
~ 1838. M.R.P. Albertus Schubiz, 839. 840. 841. –
~ 1841. M.R.P. Hieronymus Janković. Catech. 842. 843. 844. 845. 846. 847. –
~ 1847. M.R.P. Leo Osredkar, Gym. Catech. 1848. 1849. 1850. –
~ 1850. M.R.P. Chrysologus Greznik, Gym. Prof. 1851. –
~ 1851. M.R.P. Felix Vrezic, Gym. Prof. et Dir. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. –
~ 1859. M.R.P. Wilhelmus Ricolli, Gym. Prof. 1860. 1861. 862.
~ 1863. M.R.P. Felix Vrezić, Gym. Dir. 1864. 1865.
~ 1865. M.R.P. Seraphinus Pramberger, Gym. Prof. 1866–1869. –
~ 1869. M.R.P. Gratus Pfeifer, Gym. Prof. 870. 871. 872. 873. 874.
~ 1874. R.P. Julius Brunner, Org. 1875. 1876. 1877. 1878. 1879.

Sigillum

Conventus Pisinensis praesefert figuram B'mae Virginis Mariae Elisabeth Visitantis cum hac inscriptione: SIG. CONVENT. PISINE. S. FRANC. REFORM.

13. 9'bris 1779.

IX. CONVENTUS ad B. V. Mariam in Coelos Assumptam SAMABORINI In Regno Croatiae.

Caput I. De Oppido Samaboriensi, de antiqua Ecclesia, ejusque Fratribus Minoribus consignatione.

I. Oppidum Samaboriense in regno Croatiae situm tribus milliaribus Zagrabiae remotum, communiter *Szamabor* etiam in vulgari idiomate appellatur. Hoc oppidum, quod suum habet Judicem, in Comitatu, ac Dioecesi Zagrabiensi situm, olim erat in valle fodinas versus propter metum Tartarorum, ac Turcarum, qui suis hostilibus excursionibus, et vastationibus multa damna his regionibus intulerunt, conclusum, et hodierna Arx eidem per modum propugnaculi, ac fortalitii defendebat. Porta Oppidi, quae hodie etiamnum visitur, olim erat ad orientem eidem, quae hodie ad occidentem est, etenim, repressis et confractis Turcarum viribus, Incolae oppidi sua domicilia successive ex ea valle (ubi adhuc remanet antiqua Ecclesia Parochialis S. Michaelis Archangeli cum domo Parochiali, et nonnullis aliis exiguis domibus) extra portam, et in apertum campum extenderunt, ubi nunc sat spatiosum visitur oppidum, in cujus fine Conventus Fratrum Minorum situs est.

II. Ecclesia antiqua eo in loco, in quo hodierna stat, aedificata fuit tempore Belae IV. Hungarorum ┬ […][558] Regis anno circiter […][559] 1235. in honorem B. V. Mariae in Coelos Assumptae, ut refert P. Glavinich de orig. Prov. Bosnae Croatiae fol. 30. Cum enim praedictus Rex suum Regnum â Tartaris tantis angustiis, et crudelibus vastationibus premi vidisset, ut nec sibi aliubi securè delitescendi relictus esset locus: Quare ad evitandam Tartarorum immanitatem Samaborinum tamquam ad locum securiorem, ut tantisper animus illius respiraret, se contulit. Hìc loci aliquo tempore (nam insequentibus Tartaris ad partes maritimas confugere oportuit, ùt suprà in Conv. Tersact. visum) commorans Deum in gemitibus exorare haud unquam intermittebat, praesertim verò Caelorum Reginam, ut sibi in tantis calamitatibus constituto opem desursum ferret, enixius obsecrabat, quam, ut facilius sibi propitiam redderet, Regnique potentissimam protectionem habere promereretur, in ejus honorem hanc Ecclesiam extrui curavit. Distulit hìc gloriosissima Virgo opem ferre, ut ejus potentia

et parta intercessione B. V. Mariae Tersactanae Victoria gloriosior evaderet. Tota quippe Tartarorum vis in Campo Grobnicensi confracta erat, ùt suprà, dum de Conventu Tersactensi egissem, fusius ostendi.

III. Penes hanc Ecclesiam circa annum 1500. D. Georgius â Turri Oppidi Samaboriensis Jurisdicens cogitabat extruere Coenobium pro Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae, quia verò Fratres propter Turcarum excursiones haud securè in Campo morari potuissent, suam piam intentionem ad effectum minime deduxit. Dein anno 1525. praedicti Georgii â Turri uxor Helena de Frangepanibus, et Joannes Ungnad ac Anna de Turri eorum haeredes cogitabant ob majorem securitatem Conventum aedificare cum alia Ecclesia Sanctae Annae, vel alterius Sancti intra muros Oppidi Samaboriensis, ita tamen, ut Fratres simul etiam in hac Ecclesia B. V. Mariae in Campo tunc appellata divinas functiones peragerent, quod totum magis clarescit ex Bulla Clementis VII. incip. *Cum sicut* de dato Romae 6. Julii 1525. in hunc finem expedita, quae hujus est tenoris:

Dilectis filiis Ministro Provinciali, et Fratribus
Provinciae Bosnae Ord. Min. Regularis Observantiae
CLEMENS Papa VII.

Dilecti filii salutem, et Apostolicam benedictionem. Cum sicut Nobis exponi fecistis, quondam Georgius de Turri Zagrabiensis Dioecesis ob singularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum Regularis Observantiae devotionis gerebat affectum, et pro animarum salute, Religionisque propagine, ac Divini cultus augmento terrena in caelestia commutare satagens felici commercio, quamdam suam jure patronatus Ecclesiam sine cura, quae Sancta Maria de Campo nuncupatur, extra, et prope muros sui Oppidi de Samabor Zagrabiensis Dioecesis, cujus ipse in temporalibus erat Dominus, dictis Fratribus pro perpetuis usu, et habitatione eorum concedere summopere cupiebat, sed quia ob crebras Turcarum incursiones, quae illis in partibus indies fiunt, secure ibidem Fratres habitare nullatenus poterant; dilecti filii in Christo, Helena de Frangepanibus uxor quondam dicti Georgii, et Joannes Ungnad, et Anna de Turri ejus haeredes unum locum intra muros dicti Oppidi, ut ibidem unam domum sub invocatione Sanctae Annae vel alterius Sancti, vel Sanctae pro perpetuis usu, et habitatione eorumdem Fratrum, cum Ecclesia, Campanili humili, Campana, cimiterio, dormitorio, Refectorio, claustro, hortis, hortalitiis, et aliis necessariis officinis construere, et aedificare, seu construi, et aedificari faceretis, liberè, et gratiosè obtulerunt, et concesserunt, et nobis humiliter supplicari fecerunt, ut vobis domum ipsam intra muros noviter aedificandam recipiendi, et alterius praedictae Ecclesiae extra muros existentis usum etc. ita, ut Missas, et alia Divina celebrare possitis, et eleemosynas, quae ibidem â Christifidelibus offeruntur, pro vestra sustentatione, considerando vos inter Turcas habitare

recipiendi licentiam, aliasque opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum ubique, praesertim inter fidei oppugnatores, et nostris temporibus intensis desideriis peroptamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, et Fratribus tuis in loco intra muros per dictos Dominos, vel incolas assignando unam domum sub dicta invocatione cum Ecclesia, Campanili humili, Campana, Cimiterio, dormitorio, Refectorio, Claustro, hortis, hortalitiis, et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu, et habitatione Fratrum Minorum Regularis Observantiae Provinciae Bosnae, sine alicujus praejudicio construendi, erigendi, et aedificandi, seu construi, erigi, et aedificari faciendi, et alteri Ecclesiae extra muros existenti serviendi, et ibidem Missas, et alia Divina celebrandi toties quoties vobis fuerit visum opportune, et eleemosynas, quae ibidem â Christifidelibus offeruntur, pro vestra sustentatione recipiendi, et omnia, et singula, quae in alia domo, quae est intra muros facere possetis, faciendi auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, pariter et indulgemus, ac domui hujusmodi, postquam constructa fuerit, et Fratribus in ea commorantibus, qui omnibus, et singulis privilegiis, et gratiis, concessionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, et indultis tam Spiritualibus, quam temporalibus, aliis Domibus dicti Ordinis, et Fratribus nunc, et pro tempore existentibus in genere, vel in specie per Sedem Apostolicam, et alias concessis, et concedendis, confirmatis, et innovatis, ac quibus utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere libere, et licite valeant, Apostolica auctoritate, et tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae VIII. prohibitione, qua caveatur expresse, ne praefati, nec aliorum mendicantium Ordinum professores ad habitanda nova loca recipere praesumant sine Sedis Apostolicae licentia speciali, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, caeterisque aliis in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VI. Julii MDXXV. Pontificatus nostri anno secundo.

IV. Cum autem circa hoc tempus non tantum Turcarum invasiones multum timoris ~~his~~ harum partium incolis incusserint, sed et alia horrida tempestas ab Aquilone advenerit. Martini nempe Lutheri infaustae memoriae Apostatae perniciosissima haeresis, quae incolis non temporalia damna modo inferre, sed etiam Spiritualia animae dona ab iis aufferre nitebatur, ipsamque veram Catholicam fidem evertere, eliminare, exterminare, ac conculcare volebat, structura Conventus, et pium Helenae de Frangepanibus intentum intermitti debuit, et differri usque ad annum 1610. Quo anno praedicta Ecclesia B. V. Mariae in Campo Fratribus Minoribus ab Ill'ma Domina Maria Anna Ungnad Arcis Samaboriensis Domina tempore Ministeriatus A. R. P. Francisci Glavinich, prout ipsemet testatur in suo opusculo de orig. et progr. prov. Bosnae Croatiae pag. 30. et sequ. [tradita est].[560]

948

Caput II.
De aedificatione Conventus, et ejusdem notabilibus reparationibus.

I. Post traditam anno 1610. curae Fratrum Minorum Ecclesiam Sanctae Mariae in Campo, Ill'ma Domina Maria Anna Ungnad etiam Conventum adycere cogitabat occasione capta ex agnitione verae fidei. Nupta enim erat Christophoro Ungnad Arcis Samaboriensis Domino Lutheranae haeresi, quae plurimos incolarum infecerat, multum addicto, in quo errore etiam suam vitam terminavit. Post mortem sui mariti Christophori Domina Anna Maria Ungnad ad secunda transiit vota, eamque sibi in matrimonium copulavit Excel'mus D. Thomas Erdoedy Banus regnorum Dalmatiae, Sclavoniae, et Croatiae, Lutheranae perfidiae indefessus insecutor, et Catholicae Religionis strenuus confessor, et defensor, cujus exemplo mota ejus conjux Maria Anna operâ vel maxime P. P. Franciscanorum (inter quos singulariter enituit P. Antonius Vitellius alio nomine Telletenovich Fluminensis, qui in Conventu Tersactensi die 5. Septembris anno 1604. ┬ […][561] professionem emisit, postea Provinciae Diff'or, ac anno 1640. Episcopus Temnensis fuit renuntiatus, repletus propagandae Catholicae fidei zelo) Provinciae Bosnae Croatiae in sua senectute abjurata lutherana haeresi, in qua nata, et educata fuit, amplexa est Catholicam unice salvificam fidem. Quae, ut tanti beneficii, quod post Deum Patribus Franciscanis in acceptis referebat, memoriam grato recoleret animo, Conventum pro dictis Patribus construere decrevit quidem, sed propositum praematura morte praepedita executioni haud dedit.

II. Mortua praedicta Domina de Ungnad P. Antonius Vitellius sua dexteritate, ope vel maxime Communitatis Samaboriensis, aliorumque benefactorum anno 1618. die 14. Julii in festo S. Bonaventurae Seraphici Doctoris primum lapidem pro aedificando Conventu posuit, quod totum clarius patet ex testimonio Communitatis Samaboriensis de dato 1. Maji 1628. quod ex Originali de verbo ad verbum adduco, estque hujus tenoris:

Nos Communitas civium Oppidi Szamabor, caeterique jurati fidem facientes testamur, et memoriae commendamus universis, et singulis Christifidelibus, cujusvis status, honoris, e dignitatis, ubivis locorum in regionibus Christianis existentibus, et constitutis, praesentes litteras nostras visuris, lecturis, aut legi audituris. Qualiter Templum Sacratissimae Virginis Mariae Gratiarum hoc in Oppido nostro Szamaboriensi multorum â Sacra Caesarea, Regiaque Majestate privilegiorum arbitrio licentiato, et egregio nobilitatis stemate condonato sub Dioecesi Zagrabiensi, in centro plane Inclyti Regni Croatiae sito, bina inter praestantissima, et maxima flumina Savum videlicet, et Collapim, in loco sane celeberrimo

eoque saluberrimo instituto, cujus, inquam, Ecclesiae tempore propugnationis, disturbationisve Attila, quae[562] ferebatur flagellum Summi Architectoris, et Monitoris Dei, honorificè aedificatae vix jam vetustissima hominum memoria recordatur: Quaeque â manibus, et potestate Parochiali ante plurimorum annorum spatia tenebatur, dominante maxime in arce juxta Oppidum in vallidissimo colle sita spectabili, ac Magnifico Christophoro Ungnad sectae Martini Lutheri summo imitatore, â quo non solum eodem, sed etiam â suis (ut vocant) Praedicantibus hicce locus universus multis obscuratus fuit commentis, et errorum fluctibus, certissima humani generis pernicie. Verum is, cum ex hac terrarum colluvie abiisset, in illa ipsissima perfida, et nefaria ab animarum interfectoribus, novae legis instituta fide, quae Christicolas universos ab itinere coelesti in viam perditionis deducit. Postmodum haeres dicti Castri successit felicis memoriae Domina Anna Maria Ugnud,[563] quam sibi matrimonio junxerat Ill'mus Dominus Comes Thomas Erdeody, quique modicum post tempus, Banali, ac vice-regia dignitate â praecipuorum Patriae Procerum votis, et suffragiis adhibitis, ab Augustissima verò Majestate convenienter erat muneratus, vir profecto insigni virtute, auctoritate, et sapientia praeditus, miles quoque generosa virium fortitudine excellens, et in quopiam bellorum exercitu, atque tumultu victor fortunatus, vitae religiosae, et fidei orthodoxae usque ad extremum vitae suae terminum cultor insignis. At cujus praefata consors Domina Anna Maria Ugnud post obitum sui genitoris in ea fidei suae caligine, in qua parta, etiam educata, et ad summum aetatis gradum fuit, provecta, perseveravit. Sed postquam ritum, et consuetudinem Sanctae Ecclesiae Romanae adoptata, in conjugem â praenominato Domino, absolutis aliquot annorum intervallis, subveniente Spiritu Paracleto, ope, et auxilio Fratrum Divi Francisci Minorum Observantium, Provinciae verò Bosnae, Croatiae, et Carnioliae est tandem conversa. Post quam quidem veram Apostolicae Romanae fidei, sine qua nemo mortalium ad perpetuum salutaris vitae consortium pervenire valet, notitiam intellectam, praescriptum Templum dedicare, et offerre Religioni, ac Provinciae voluit Patrum Franciscanorum, quod itaque pro zelo suae Sanctissimae devotionis, et Religionis ejus affectu deliberata, ac determinata sua voluntate, sponte, et industria imprimis Multùm Reverendi Patris Francisci Glavinich Theologi Generalis, et jam Praedicatoris Apostolici tum praefati Ordinis, et Provinciae tempore illo Ministri Provincialis in anno potissimum reparatae salutis Millesimo Sexcentesimo decimo obtulit, considerans insuper ibidem pulcherrimum unum, illudque amplum fabricare monasterium, nisi desiderio mors immatura praevenisset, qua etiam de causa tutelae, et opus ennumeratorum Patrum mansit imperfectum.

Quare rursus anno Millesimo Sexcentesimo septimo [decimo septimo][564] in Capitulo dictae Provinciae Labaci celebrato, creatus eodem in loco Guardianus Reverendus Pater Frater Antonius Vitelius, homo pro certo mirè sapiens, vitae probitate, et religione dignissimus, Concionator verò hujus Illyricae linguae peroptimus

950

qui propria animi contentione, et sedulitate, Domino propitio anno secundo recte in solemni Divi Bonaventurae festo, ad fundamentum, quod faustum sit, primus jecit lapidem, auxilio tamen optimorum Patronorum, benefactorum, et nonnullorum etiam Christianorum mortalium, sua prudentia, et recto intellectus tramite, hoc monasterii aedificavit domicilium, quo facto, sedulo, et instanter non desiit verba salutis Reparatoris nostri praedicare, vitia haeresum extirpare, eradicare, eliminare, atque prorsus funditus evellere plantando nimirum praeclara virtutum documenta, et certam Catholicae fidei semitam, quique in tantum elaboravit dictus Pater Spiritualis, ut nec unicus (sit laus, honor, et gratia Sanctae, ac singularis ejus Triadis Majestati) ab aliquot annorum cursibus reperiatur inibi obstrepens oblatrator veritati, sed cuncti unius rectae, et verae Catholicae, atque Apostolicae Romanae fidei cultores. Demum, ne numerum etiam ennarratorum Patrum in eo diversorio Monasterii commorantium omittamus, quorum duo, aut unus prae caeteris sunt Praedicatores excellentissimi, omni tempore summa cum diligentia, studioque laborum, et vita religiosa, in hac fragili, et mortali carne, in Aede Sacra, puritati, et integritati vitae invigilantes, supremo Coeli, terraeque Monarchae infamulantur, utpote Angeli in felici beatorum Incolarum curia, tam aevo diurno, quam nocturno suorum Officiorum, orationumque recitatione, Sacrosancti Missae Sacrificii oblationis immolatione stabili, et fructifera Christianae genti praedicatione, condigna omnimode Confessionis attentione, per quam quidem os inferi obstruitur, et ostium Paradisi aperitur: denique et reliquorum multorum piorum exercitiorum ad salutem animarum Christi consequendam examine necessario, atque opportuno, non solum ejusdem loci populo, verum etiam ex remoto Orbis plaga veniti gratia cum votorum suorum, tum solemni Caeremoniarum festivitate ad recensitum Templum gloriosae, et Immaculatae Genitricis Virginis Mariae in Oppido Szamabor, quorum adeo subsidio unanimiter egemus, uti gravi morbo oppressi medicamento. In quorum fidem has praesentes patentes nostras ex parte omnium Civium, juratorumque nostrorum Ego, Mathias Czunovich judex ejus anni me subscripsi, et proprio sigillo munivi. Datum in oppido nostro Szamabor 1628. Maji 1. die.

Ego Mathias Czunovich
(L. S.) Judex Oppidi Szamabor.

Et ego Michael Drenchich Cancellarius praedicti Oppidi, ac Sac. Caes. Regiae Mat'tis Notarius publicus attestor omnia suprascripta vera esse, ob cujus rei causam me manu propria subscripsi.

III. Sunt nonnulla in hac Civium Samaboriensium attestatione contenta, quae aut declaratione, aut emendatione indigent et quidem *1'mo* quod haec Ecclesia fuerit aedificata tempore *propugnationis, disturbationisve Attilae*, quod repugnat asserto P.

Glavinich suprà adducto, qui primordia hujus Ecclesiae ad tempora Belae IV. Hungarorum Regis, ad annum scilicet 1235. reponit, qui Attilâ posterior est annis 793. *2^tdo^* Compilator hujus Instrumenti, dum dixit: Quare rursum anno *Millesimo Sexcentesimo Septimo*, addere debuisset *Decimo*, id est *decimo septimo*; etenim si Ecclesia tradita fuit anno 1610. Patribus Franciscanis, ut in praesenti instrumento asseritur, non potest dein dici *quare rursus anno 1607.* sed dici debet 1617. *3^tio^* P. Antonius Vitelius anno 1617. non fuit ut Guardianus Samaborinum missus, cum Conventus nondum extiterit, sed ut promotor, et inspector fabricae, pro qua 14. Julii anno secundo suae Samaborinum ablegationis videlicet anno 1618. primum lapidem jecit. Quod verò anno 1617. nec Religiosi, minus Guardianus Samaborini morati sint, luculenter patet ex quodam Diffinitoriali Decreto lato in Capitulo Provinciali Labaci die 23. Maji anno 1620. celebrato, in quo praedictus P. Antonius Vitelius electus fuit in Diffinitorem Provinciae, simulque Guardianum S. Leonardi, cui commissa erat cura fabricae Conventus Samaboriensis his verbis: *Hujusque Guardiani curae committitur etiam Monasterium Samaboriense quoad fabricam ab ipso incoeptam, Fratres autem ibidem habitare nolumus, usque ad ejusdem fabricae totalem perfectionem, et nec tunc, nisi octo Religiosi ibidem commode, et honeste ali, atque vestiri queant.*

IV. Ex his apparet, quod Conventus anno 1620. nondum erat inhabitatus, an anno sequenti, aut anno 1622. illuc Fratres missi fuerint ad constanter incolendum Conventum? nulla extant documenta, id tamen certum est, quod anno 1623. Fratres ibidem jam fuerint collocati, quia hoc anno in Capitulo Provinciali Labaci die 30. Augusti Praeside A. R. P. Hieronymo Strasser per Superiorem Germaniam Commissario Nationali deputatus fuit Praesidens Samaboriensis Rev. P. Dionysius Ivankovich Diffinitor Provinciae actualis. Fuit autem Conventus Samaboriensis pro formali Conventu declaratus anno 1631. […][565] Quaedam fragmenta in Archivio Conventus testantur â Superioribus ignoto tamen nomine exarata, Conventum cum Ecclesia circa annum 1640. exorto incendio funditus fere exustum fuisse, quod ex testimonio P. Francisci Fremanini Guardiani actualis anno 1646. exarato, et Conventus sigillo munito quoque patet, ubi testatur, sibi, et suis Fratribus pro reaedificanda Ecclesia, et Conventu magnis curis, et laboribus lapides, arenam, calcem aliaque necessaria conquirenda fuisse â vicinis benefactoribus.

V. In gradibus Conventus posita est quaedam Imago B. V. Mariae in ligno picta, quae anno 1687. inter ignes hujus loci sudâsse perhibetur, ut ex Chronographico in orbe ejusdem Imaginis posito patet sequentis tenoris:

Ista effIgIes VIrgInIs MarIae sVDaVIt
Inter Ignes hVJVs LoCI.

Quae eodem anno â P. Michaele Bressiz renovata, et deaura-

ta fuit, ut aliud Imagini suppositum Chronographicum denotat hujus tenoris:

QVaeVe ReVerenDI PatrIs MIChaeLIs BressIz
faVore InaVrata fVIt.

Hoc incendium indigitare videtur P. Casimirus Dimiakovich Ex-Custos, et Guardianus Samaboriensis, dum anno 1691. VDiff'rio supplicaverit, ut turris reaedificaretur, *quia* (ajebat), *si non dejicietur, ruet sola, et forsan in primo motu terrae, aut vehementi concussione venti, in quo, experientia patet, semper sensim decidunt lapides ex adustione ignis proh! dolor, ante aliquot annos facti*.[566]

VI. Quia Conventus post lapsum 60. et ultra annorum spatium, et ruinae proximus erat, et nimis angustus apparebat capiendis Religiosis, qui ad debite praestandum populo adventanti, et vicinis Nobilibus servitium requirebantur, Fratres Conventum ampliare, et renovare cogitabant, cujus praecipuus Author fuit A. R. P. Franciscus Uzollin Provinciae Pater natione Zagrabiensis, qui Conventum ê fundamentis reaedificavit, et ad praesentem formam redegit. Hic Pater, utpote Croata â suis patriotis plurimas acquisivit eleemosynas subsidiales praesertim vero â suo Fratre Joanne Uzollin olim Judice, ac praedivite Cive Zagrabiensi. Cum verò adverteret, se non posse opus ad desideratam perfectionem deducere, anno 1711. apud Inclytos Regni Status reliquum quaesivit subsidium, inter reliqua sequentia suo inseruit supplicio: *Postquam autem priorem habitationem, et Conventum nostrum tum ruinae proximum, tum verò tantopere angustum, et pro intertenendis sufficientibus Patribus, et Fratribus, quibus plurimis Dominis Regnicolis, prout obligamur, et desideramus; servire possumus, Novitiatuque, quem habere intendimus, incapacem esse adverteramus, suasu quamplurium defectum eumdem novo aedificio supplere incoepimus, non pridem, ea spe, et fiducia in benignitatem Inclyti Regni concepta, quod et Inclyti Status, et Ordines ad praemissum opus effectuandum gratiose nobis humilibus ipsorum Servis, et Capellanis succurrere dignabuntur. Siquidem autem ad promovendum ultro eamdem fabricam tantopere mediis destituti simus, quod sine speciali Inclyti Regni succursu, et adjuvamine ultro progredi nequaquam possimus, eapropter* etc.

VII. An Patres aliquod subsidium ab Inclytis Regni Statibus acquisierint? mihi compertum non est, id tamen certum est, quod Conventus anno 1712. ad formam, quam hodie praesefert, diversorum benefactorum eleemosynis opera A. R. P. Francisci Uzollin redactus sit. Conventus modernus quadriangularis figurae est, ambitus seu pars septentrionalis Ecclesiae muro junctus est, ex parte orientali, et meridionali cellae ex utraque parte factae sunt, et â potiori una cum dormitorio fornice provisae. Ex parte occidentali cellae ad hortum prospectum praebent. Numerantur autem Cellae in toto Conventu addita Arcularia 35. Religiosi communiter in hoc Conventu morantur 26. aut 27. ubi ab aliquot annis viget Juvenum Professorium, ut Juvenes elapso annuali Novitiatu et in scientia salutis, ac religiosis virtutibus solidentur, et in Sacrae Eloquentiae disciplinis imbuantur.

VIII. Conventui adjacet hortus sat spatiosus, cujus terrenum partim cum Ecclesia Fratribus donatum fuit, partim successu temporis facta aliarum terrarum permutatione auctum fuit. Sic anno 1620. pro ampliatione horti *Mathias Ravinshag* cessit suum hortum horto Fratrum contiguum erga unam terram desertam in promontorio *Ztrassnig*. Item anno 1690. diversae terrae pro ampliando horto coemptae sunt â Michaele Francisci, â Francisco *Szaych*, et ejus Conthorali Catharina, â Michaele Kellekovich, â Joanne Bellavich, et ejus Conjuge Catharina Doltar, â Stephano Glassich, et ejus Conthorali Barbara, et â Georgio Germ, pro quibus Conventus aut pecuniam exolvit, aut alias dedit terras. Item anno 1691. dedit Conventus Martino Seztak unam vineam pro horto penes viam, data quoque erat una vinea dicta *Verbanschiak* cum terra arabili sub S. Helena, ac duobus Colonis pro fundo horti, qui die 5. Junii 1754. sub Guardianatu P. Cyrilli Makai muro cingi (nam prius sepe circumdatus erat) coepit, quem P. Reginaldus Franz P. Cyrilli in Guardianatu Successor anno 1756. ad finem deduxit.

Caput III.
De antiquis, et modernis fundationibus.

I. Extitisse antiquam Ecclesiam longo prius tempore, antequam nobis traderetur, jam paulo superius ostensum est, fuisse eam etiam variis bonis, et colonis, qui una cum Ecclesia Fratribus donati erant, dotatam, patet ex quodam supplici P. P. Franciscanorum de anno 1619. post inchoatum Conventus aedificium porrecto Generali Regni Croatiae Congregationi, in quo Patres supplicabant, ut sex domunculae cum colonis â communibus Regno debitis contributionibus eximerentur. Generalis Congregatio Fratres ad aliam Congregationem remisit, pro interim tamen oretenus eos exemit sequentibus verbis: *Statutum in Generali Congregatione Dominorum Regnicolarum 5. die Januarii Zagrabiae in anno Domini 1619. celebrata, ut praemissa introscripta bona ad instar bonorum Monasterii S. Leonardi exempta sint â contributione Regni.* Dum anno 1633. denuo celebraretur Generalis Statuum, et Ordinum Regni Croatiae Congregatio, Patres denuo supplicarunt pro verbotenus data exemptionis confirmatione, quae etiam expedita fuit sub sequenti tenore: *1633. die 6ta mensis Octobris in publica Dominorum Magnatum, et Nobilium Regnicolarum Congregatione Zagrabiae celebrata, introscriptorum supplicantium supplicatio est exaudita, et taxa regni ab introscripto gr'li eisdem relaxatur.*

Petrus Znika
Prothonotarius Regni m'ppa

II. Praeter colonos, qui Conventui, et Fratribus una cum Ecclesia obvenerant, erant posterioribus temporibus et alia bona puta Vineae, agri, prata, eisdem legata in illa temporum angu-

stia, ubi benefactorum eleemosynae non erant sufficientes tot Fratribus alendis, quot â Constitutionibus Apostolicis requiruntur ad constituendam religiosam communitatem. Verum anno 1688. reformatâ Provincia, omnia haec bona statui Franciscano diff'orio per Syndicos Apostolicos successive alienata fuere, ita, ut dein non nisi faenile amplum horto, et atrio Conventus proxime adjacens pro necessaria equorum Conventus sustentatione remanserit. Quod faenile Conventui cessit quondam D. Jellachich pro Sacris sub valore 400. f. lectis. Hujus verò faenilis quoad latitudinem pars notabilis sex circiter passuum geometricorum Conventum versus muro novo anno 1754. circa totum hortum, pomarium, et atrium Conventus extructo, atrio adjecta est. Illud verò supremum in colle quadratum terrae, ejusdem faenilis, ubi anno 1730. aucupium plantatum fuit, nunquam spectabat ad praefatum pratum, sed ab antiquis temporibus semper ad Conventum. Haec ex Protocollo Conventus verum anno 1774. alienatis Conventus equis et hoc faenile â Domina hujus Conventus Parente Spirituali Nobili Communitati hujus Oppidi Samaboriensis divenditum est pro 350. f. unà cum supraspecificato quadrato terrae, hac tamen expressa cum conditione, ut in occurente Conventus necessitate eodem pretio id ipsum faenile redimi possit.

III. Praeter alia bona, quae nobis Communitas praestitit, etiam Cives Fratribus licentiam in suis aquis piscandi, et in suis silvis ligna caedendi concessit anno 1646. prout id amplius continetur in Instrumento desuper confecto, quod ex Originali transumptum hujus est tenoris:

Nos Lucas Petrekovich Judex, caeterique jurati, ac tota Communitas Civium Oppidi Samabor in Regno Sclavoniae memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod cum nos iidem Cives, attentis, et consideratis permultis honorabilium Patrum in Christo Fratrum Ordinis Sancti Francisci strictioris Observantiae Provinciae Croatiae praeclaris virtutum meritis, et piorum obsequiorum gestis, quae ipsi nobis, et familiae nostrae diligenti cura, vix uno duntaxat intermittente die, in Sacra Missarum celebratione, et diebus festivitatum salutaribus Concionum documentis, Confessionum tempore necessitatis exauditionibus, aegrotorum visitationibus, ac funeralibus processionibus, aliisque Spiritualibus exercitiis, atque officiis, saluti generis humani proficuis â quadraginta annorum effluente termino in medio nostri cohabitantes praestiterunt, et impenderunt, exemploque humilitatis, et pietatis, aliisque transactae hic vitae suae Sanctimoniis tum nobis, quum populo isthic praefulserunt, et suavem odorem reddiderunt, semperque se ammodo, deinceps et in futurum animo prompto, et cum fervore praestituros, atque impensuros obtulerunt. Unde nos pio erga antelatos Fratres moti affectu, cupientes honorem et cultum Divinae Majestatis promotum, quam abundanter virere, bonaque Ecclesiarum nostrarum sarta, et contecta tueri, ac successu temporis, Deo propitio, pro possibilitate nostra isto fine augmentare, ut servi Dei in excelsis, cui semper sine fine sit honor, laus, et gloria, vitae sublevationem habentes, eò

zelosius vineam Domini excolere, et fructus salutiferos progerminare valeant, atque possint. Idcirco praehonoratos Fratres Seraphici Ordinis, Ecclesiam nostram praebendarialem sub nomine Deiparae Virginis Mariae in Oppido nostro praedicto, Comitatuque Zagrabiensi fundatam, nostraeque collationi de donatis, et confirmatis Colmano, Bela, Carolo, Ludovico, Ferdinando primo, Maximiliano, Rudolpho, Mathia, Ferdinando secundo, et Ferdinando tertio Sanctis Hungariae Regibus, privilegiis nostri in Authentico extantibus rite, et legitime subjacentem, per eosdem Fratres viros Religiosos â quadragenario annorum numero hactenus pacificè cum suis universis pertinentiis, et emolumentis ad eamdem Ecclesiam spectantibus, et spectare debentibus, de auctoritate Apostolica tentam, et possessam, unà cum ipsi adjacente Monasterio per ipsos ibidem ex eleemosynaria provisione sensim erecto, et fabricato, quoad praetitulatam Ecclesiam, Monasterium, hortos, Inquilinos, terras arabiles, vineas, et foenilia sub suis veris metis, et antiquis limitibus, semper de jure, et ab antiquo spectantes, et pertinere debentia: usum praeterea lignationis in sylvis, et piscationis in fluviis nostris admittentes, sub metis, et terminis territorii nostri Zamabor, et Comitatu Zagrabiensi praenuncupatis existentibus habitis, ad humilem, eamque devotam Reverendi Patris Fratris Francisci Tremanini Monasterii praenarrati Guardiani tam suo, quam praememoratorum Fratrum nomine nobis factam instantiam, ob rationem attacta merita, praevio condigno respectu benevoli consensus, pariter, et assensus nostri munimine ratificamus, approbamus, et confirmamus, ratam, gratam, atque firmam volentes, et annuentes ipsorum in praemissis proprietatem, et habitationem (salvo tamen jure alieno, et ut ab ingratitudine se praecaveant) imo assentimur, et praesentes perpetuo valituras pronunciamus. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam litteras nostras consensuales sigillo nostro communi authentico in pendenti roboratas, et manu propria jurati Notarii subscriptas iisdem, et eidem praedicti Ordinis Fratribus, et Guardiano pro futura ipsorum contra illegitimos impetitores cautela duximus concedendas. Datum in Oppido praescripto Zamabor Sabbatho Sancto Anno gratiae Millesimo Sexcentesimo quadragesimo sexto.

(L. S. pend.) Martinus Valentinchich
Juratus Notarius

IV. Hoc praesens Instrumentum est valde diversum ab illo supra c. 2. n. 2. allato; hìc enim Communitas Samaboriensis sibi jus Patronatus supra Ecclesiam nostram, eique annexa bona arrogat, quod in superiori Instrumento ad Arcem pertinere ultro fassi sunt cives, et quidem optime, nam etiam Clementi VII. Possessores Arcis supplicarunt pro facultate assignandi Ecclesiam B. V. Mariae in Campo tamquam sibi subjectam P. P. Franciscanis: utique Communitas id non admisisset, si praedicta Ecclesia ejusdem praebendarialis fuisset, uti hìc asseritur. Verum ad enodandam hanc differentiam quaedam praenotanda oc-

currunt. Sciendum proinde est, quod anno 1645. tempore Guardianatus P. Francisci Tremanini Ill'ma Domina Elisabetha Thomae Erdoedy filia, et consors D'ni Justi Josephi Muskon possessoris Arcis, quasdam molestias Conventui causâsse perhibeatur, et quidem *1'mo* quod ante fores Ecclesiae nundinas instituerit. *2'do* quod Religiosis ad Arcem imperativè avocet ad celebranda Sacra etiam in medio functionis domesticae. *3'tio* quod tempore vindemiarum inhibeat collecturam musti ante acceptas decimas. *4'to* quod denegat ligna, quae Conventus ab initio ex silvis Arcis habuit.

V. Ut autem Conventus â praeinsertis vexis liberaretur, praedictus P. Franciscus Tremanini Ferdinandi III. imploravit auxilium, qui etiam Dominam Elisabetham â vexationibus Fratrum abstinere jussit sequenti Rescripto:

Ferdinandus etc. etc.

Generosa, ac Magnifica Nobis grata. Conqueruntur Nobis Religiosi Fratres Franciscus Tremaninus Monasterii Sanctae Mariae in Oppido Samabor Guardianus, caeterique Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ejusdem Monasterii. Qualiter iidem â te, ac Officialibus tuis in suis functionibus, et Ecclesiasticis libertatibus turbarentur, in collectione eleemosynae, ac aliis impedirentur, uti ex inclusis punctis uberius intellectura eris. Pro benigna porro nostra erga Religiosos propensione, et affecta clementer cupimus immunitates, ac jura Ecclesiae illius sarta, tectaque conservari, iisdemque, quo sic munia sua in partibus illis quietius, et commodius obire possint, hac in parte prospectum esse. Quocirca tibi harum serie benignè, ac serio committendum duximus, quatenus negotio ita sese habente, â molestatione, ac turbatione ipsorum Fratrum Religiosorum deinceps non modo abstinere, verum etiam pro bono Religionis eos fovere, atque etiam ope, et auxilio ipsis adesse velis. Gratia nostra Caesarea, et Regia tibi in reliquo benignè propensi manentes. Datum in Arce nostra Lyncensi die 10. Mensis Februarii Anno Domini 1646.

Ferdinandus

Georgius Szelepchene C.
Ep'us Wesprimiensis

VI. Quia P. Franciscus Tremanini, ut ex suis Scripturis patet, Dominium non agnovit pro fundatore, sed tantum coadjutore, ê contra â Communitate se maxima auxilia percepisse jactabat, hinc Communitas hac capta occasione sibi jus Patronatus supra Ecclesiam, Conventum, et Colonos usurpabat. Ego, quamvis non negem Conventum in sui aedificatione multa auxilia, et beneficia percepisse â Communitate Samaboriensi, ipsam Communitatem pro principali fundatore minime agnosco, sed ipsum Dominium, seu Arcem Samaboriensem. Plures adsunt rationes me ad id asserendum moventes: *1'ma* est, quod Ill'ma Domina Maria Anna Ungnad Arcis Domina non tantum Ecclesiam cum pertinentiis, sed etiam fundum pro Conventu aedificando donaverit. *2'da* est, quia in quodam supplici anno 1633. Inclytis Regni Statibus â Conventu pro exemptione Colonorum â communi contributione Regni porrecto Conventus hic munificentia familiae Erdoedianae, quae tunc

Arcem possidebat, aedificatus asseritur. En praedicti supplicis verba: *Monasterium hoc, et Templum Szamaboriense B. V. Mariae dicatum ab Illustri sane familia Erdoediana erectum, et nonnullis colonis, et inquilinis temporibus non ita diu praeteritis ditatum est ... quod quia necdum ad ipsam, quam Seraphicus Ordo Divi Patris nostri Francisci requirit, dispositionis perfectionem (ad quam per Dei gratiam, et promotionem Ill'morum Dominorum Patronorum in dies vergit) est deductum* etc. *3'tia*, quia P. Franciscus Tremanini ad retractanda, quae contra Dominam Elisabetham Erdoedy egit, eamque deprecandam â Vn'bli Diffinitorio compulsus fuit. *4'ta* quia anno 1731. die 13. Augusti ab A. R. P. Maximo Ruesch Ministro Provinciali Dominium hocce agnitum, et solemniter declaratum fuit pro fundatore Conventus Samaboriensis. Denique Conventus nec piscationem, nec lignationem habet â Communitate, sed ligna omnia ex sylvis Dominii acquirit.

VII. Aliam fundationem fecit Ill'mus D. Antonius Josephus S. R. I. Comes ab Aversperg pro tunc Dominii possessor anno 1731. ex Arce Samaboriensi quotannis Conventui tribuendam videlicet lignationem in loco Conventui commodo, hebdomadatim 15. lb. de carnibus, annuatim 12. modios frumenti. 12. urnas vini, et 4. currus faeni, ut ex sequenti fundationali patet:

Nos Antonius Josephus S. R. I. Comes ab Aversperg Dominus in Schön, et Seisenberg, Creuz, Oberstain, Liechtenwald, Reischenstain, Samabor, Rassina, Turnamhardt, et Landspreiss. Haereditarius Dominus Camerarius, et Mareschallus Ducatus Carnioliae, et Marchiae Vandalicae Sac. Caes. Regiaeque Majestatis Catholicae effectivus Camerarius, ejusdemque Ducatus Audientiarum Praetorialium Assessor.

Praefecto, et Inspectori nostro Dominii, et cupri fodinarum Samabor serio mandamus, et praecipimus, quatenus Idem Conventui Fratrum Minorum B. V. M. in Coelos Assumptae in Territorio nostro Samabor sito, primò annualem lignorum sectionem pro eorum usu sufficientem in loco dicto Conventui commodo statim assignet, devastationi tamen sylvarum prospiciat. *2'tdò* Assignatam carnis bovinae portionem 15. lb. in Dominio libratam hebdomadatim per dominalem hominem: tempore jejunali autem quotam pecunialem sine defectu exmittat. *3'tio* Annuatim quatuor currus mercenarios faeni, nec non 12. modios frumenti, et tot urnas boni vini extradat: aliisque eorum necessitatibus amice succurrere satagat, et quidem continuanter usque ad ulteriorem nostram dispositionem. Datum in Dominio nostro LiechtenWald 12. Decembris 1731.

(L. S.) Antonius Josephus Comes ab Aversperg.

VIII. Dum anno 1764, Arx Samaboriensis denuo ad manus Inclytae familiae Erdoedianae devenisset, fuit pro continuatione deputati fundationalis supplicatum Domino Josepho de Pereny curatori, et Tutori pupillorum defuncti Domini Josephi Erdoedy, qui praedictum deputatum his verbis confirmavit: *Hanc eleemosynam usque ulteriorem Dominii dispositionem Provisor hujus exolvendam habebit die 25. Septembris 1764. D. Josephus de Pereny.* Dum demum anno 1776. plures creditores hanc Arcem occupâssent, et proventus pro rata inter se divisissent, praefatae eleemosynae elargitio suspensa mansit, manetque in hodiernum usque diem, an Conventus eamdem unquam recuperaturus sit? experientia docebit.

958

Caput IV.
De moderna Ecclesia, ejus Altaribus, deque eorumdem Consecratione, de Sacris Reliquiis: nec non de Confraternitatibus, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De moderna Ecclesia, ejus Altaribus, et Consecratione, ac de Sacris Reliquiis.

I. Sicut antiqua Ecclesia sub invocatione B. V. Mariae sub Bela IV. Hungariae Rege aedificata, et erecta erat, ita et moderna Beatissimam semper Virginem Mariam pro sua Patrona veneratur, et quidem sub mysterio suae gloriosae in Coelum Assumptionis, in qua festivitate quotannis hujus Ecclesia celebratur patrocinium. Ecclesia antiqua stetit usque ad annum 1720., quo anno, postquam novus Conventus ê fundamentis erectus jam esset, ut et Ecclesia eidem uniformaretur, etiam ê fundamentis nova erigi coepit. Initium sumptum est â Sanctuarii aedificatione, quod anno 1720. aedificari coepit, et anno 1722. sub Provincialatu A. R. P. Bernardini Gregoritsch, et locali gubernio P. Paulini Rutter absolutum fuit, una cum majori Ara diversorum benefactorum eleemosynis, quod P. Martinianus Schabieker tempore inchoati aedificii Guardianus, qui hunc Conventum 12. interpolatis annis rexit, sua dexteritate congessit. Constitit autem aedificium f. 1017. X. 17. Reliquum Ecclesiae Corpus adjectum est anno 1733. sub primo Provincialatu A. R. P. Sigismundi Skerpin. Cujus etiam turris alias demissa adjecto novo muro, ad proportionem Ecclesia elevata fuit anno 1750. eique nova cupula superimposita est industria P. Nepomuceni Wallensperg Guardiani actualis anno 1779.

II. Facto anno 1722. Sanctuario fuit miraculosa Imago B. V. Mariae in tabula lignea â quodam Lutherano eleganter depicta ad Aram solemni cum pompa collocata, de qua translatione in Protocollo Conventus sequentia registrata reperiuntur: *Auxiliante Deo et devoto populo adjuvante Sanctuarium hujus nostrum Samaboriensis Ecclesiae ad festum B. V. M. Natae perfectum, ac Altare appositum fuit, dein ad majorem populi devotionem miraculosa Imago supra asserem ab uno Lutherano depicta ex post miraculose converso Dominica quatuor temporum id est 20. Septembris anni 1722. processionaliter â porta Ecclesiae per Oppidum â 4. Religiosis superpelliceis indutis portata fuit comitantibus Parochiis domestica, Sanctissimae Trinitatis, et Sancti Martini, sub Okych, ac aliis vicinis devotis.* Constans fert traditio, quod praedictus Lutheranus eo indubie tempore, quo haeresis Lutheri in hoc oppido grassabatur, voluerit aut profanam Imaginem, aut beatissimam Virginem Mariam turpissimam pingere contra mentem, et suum impium propositum Sacram Deiparae Jesulum

brachio gestantis elegantissimam, et formosissimam efformavit effigiem: inde mox intrinsecus desuper tactus abjurata Lutherana haeresi ad Romano-Catholicam conversus est fidem.[567]

III. In hac Ecclesia 8. numerantur Arae, nempe Ara major B. V. Mariae in Coelos Assumptae quotidiano privilegio decorata, quae prius lignea fuit, ruinae verò proxima anno 1752. dejecta fuit, ac alia eleganter ad murum depicta una cum novo tabernaculo facto, supra quod in forma cujusdam throni efformato loco Miraculosa Imago â memorato Lutherano eleganter picta B. V. Mariae publicae fidelium venerationi, et devotioni exposita est. Hujus Arae gratiosissimus benefactor est Excellentissimus D. Antonius Josephus S. R. I. Comes ab Aversperg Supremus Carnioliae Capitaneus, cujus Insigne desuper depictum cernitur. Statua B. V. Mariae, quae in antiqua Ecclesia fuit, in hac moderna Ecclesia publicae venerationi exposita est post tabernaculum Arae majoris, excavato Ecclesiae muro imposita, ac decenter ornata, antepositis vitreis tabulis, et clathris.[568]

IV. Aliae Arae sunt sequentes *prima* ex parte Epistolae in honorem S. P. N. Francisci aedificata fuit una cum Ara S. Antonii Patavini (quae est prima ex parte Evangelii) munificentia Excellentissimi, et Reverendissimi Domini D. Georgii Branjukh Episcopi Zagrabiensis. *3'tia* Ara, et secunda ex parte Epistolae est Sanctissimi Crucifixi. *4'ta* Ara, et secunda ex parte Evangelii est honoribus S. Josephi Sponsi Sanctissimae Dei Genitricis dicata. *5'ta* Ara, et tertia ex cornu Epistolae est in honorem Sanctorum trium Regum Caspari, Melchioris, et Balthasaris extructa. *6'ta* Ara, et tertia ex cornu Evangelii est S. Joannis Nepomuceni Martyris. Tandem infra Chorum est Capella Laurethana B. V. Mariae. Harum Ararum (quae factae sunt circa annum 1735.) benefactores ignorantur. Omnes hae Arae una cum Ecclesia (in qua Dedicationis anniversaria dies celebratur Dominica proxima post festum omnium Sanctorum) consecratae erant die 8. Julii 1736. ab Excell'mo et R'mo D. Georgio Branjukh Episcopo Zagrabiensi, prout ex sequenti exteriori supra portam Ecclesiae lapidi inciso chronographico constat

OCto SaCrIs ArIs BranIVgh qVoqVe ConseCrat AeDes
IVLIVs Vt Laetos Coeperat oCto DIes
F. C. Z. E. F.

V. Quae autem sit ratio, quod hujus Ecclesiae anniversaria dedicationis dies celebretur Dominica post festum Omnium Sanctorum, licet ea 8. Julii consecrata sit? prorsus ignoro, nisi fors quipiam dicere velit, id fieri ex eo, quod illa die antiqua Ecclesia consecrata fuerit. In hac Ecclesia (quae habet in longitudine 18. orgias, et unum pedem, in latitudine verò orgias 5. et 3. pedes) praeter Reliquias Sanctorum Martyrum Urbani, Generosi, et Jucundinae Aris inclusas, etiam asservantur in suis separatis capsis Reliquiae Sancti Petri Regalati Confessoris Ordinis Min. et Sanctae Notburgae Virginis.

960

§. II.
De Confraternitatibus, aliisque piis exercitiis.

I. Confraternitas Sanctissimi Scapularis B. V. Mariae de Monte Carmelo erecta fuit anno 1751. auctoritate Reverendissimi in Christo Patris Fratris Aloysii Laghii Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum approbante Ordinario loci, prout ex ejusdem litteris (in quibus lector Indulgentias huic Confraternitati ubivis locorum erectae concessas perspiciet) clarius patet, quae hujus sunt tenoris:

Nos FR' Aloysius Laghius Sacrae Theologiae Magister, et Doctor, humilis Prior Generalis, nec non Commissarius, et Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum beatissimae, semperque Virginis Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo antiquae Observantiae Regularis.

Cum inter alia privilegia, quibus â Sancta Sede Religio nostra decorata est, facultatem habeat Saecularium Confraternitates sub invocatione gloriosissimae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo erigendi, eisque Spirituales gratias, et Indulgentias communicandi, illa in hujusmodi Confraternitatibus instituendis (si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertat) liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui Generalem totius Ordinis curam gerimus, sperantes fore, ut ex Spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem, et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis â Summis Pontificibus concessa, Confraternitatem ejusdem gloriosissimae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo in Ecclesia R. R. P. P. Minorum Reformatorum Conventus Samaborini Provinciae Carnioliae Dioecesis Zagrabiensis de consensu tamen Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Ordinarii ejusdem loci, per praesentes nostras litteras erigimus, illique, et pro tempore existentibus utriusque sexus Confratribus elargimur, et communicamus illas Indulgentias, facultates, gratias Spirituales, illaque privilegia, quae â Summis Pontificibus concessa, et non revocata fuerunt, et nominatim, quae in Brevibus fel. mem. Pauli V. continentur, et â fel. pariter record. Clemente X. explicata, et confirmata fuêre per alias litteras in forma Brevis datas die 8. Maji 1673 tenoris sequentis:

‚Clemens Papa X. ad perpetuam rei memoriam. Commissae Nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut Spiritualium gratiarum concessiones, quae ex pia, prudentique hujus Sanctae Sedis liberalitate ad piorum operum incrementum, et animarum salutem processerunt, quo firmius subsistant, Apostolici muniminis praesidio constabiliamus, illasque etiam Apostolicae benignitatis charitate ampliemus, et alias desuper statuimus, sicut Spirituali Christifidelium aedificationi cognoscimus in Domino profuturum. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Matthaeus Orlandus Prior Generalis Ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod cum â diversis Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, ac etiam â Nobis nonnullae Indulgentiae, et peccatorum remissiones

ac paenitentiarum relaxationes tam Christifidelibus Ecclesias dicti Ordinis visitantibus, et alia praescripta pia opem peragentibus, quam Confratribus, et Consororibus Confraternitatum Sancti Scapularis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo (quas ubivis locorum extra hanc Almam Urbem erigendi, et instituendi, illisque certas Indulgentias, et gratias Spirituales, servata forma Constitutionis fel. record. Clementis P. P. VIII. Praedecessoris nostri super Confraternitatum aggregationibus, et institutionibus editae, communicandi facultas Priori Generali dicti Ordinis, vel ipso absente, ejus Vicario Generali â fel. mem. Paulo V. Praedecessore pariter nostro attributa fuit) concessae fuerint, ut omnis, quae circa illas oriri posset, dubietas recideretur, ê litteris Apostolicis desuper emanatis fideliter excerptum fuit Summarium â dilecto filio nostro Joanne tit. S. Bernardi in Thermis S. Romanae Ecclesiae Cardinale Bona nuncupato revisum tenoris, qui sequitur videlicet:

,Summarium Indulgentiarum â fel. mem. Paulo V. per litteras in forma Brevis datas 30. Octobris 1606. 31. Augusti 1609. et 19. Julii 1614. concessarum Confraternitati S. Scapularis, seu beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo. Primò: concessit omnibus utriusque sexûs Christifidelibus, qui Confraternitatem Sacri Scapularis ubivis locorum tam hactenus canonicè institutam, quam deinceps instituendam de caetero ingredientur, et habitam acceperint, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi Ss. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Indulgentiam plenariam. Secundò descriptis, et describendis in dicta Confraternitate verè paenitentibus, et confessis, qui in festo principali Commemorationis B'mae Virginis Mariae die 16. Mensis Julii, aut juxta ritum nonnullorum locorum die Dominica immediate sequenti celebrari solito, Ss. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, extirpatione haeresum, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam. Tertiò: qui in articulo mortis paenitentes, et confessi, ac Sanctissima Communione refecti, Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, plenariam. Quartò: qui paenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti processioni in una Dominica cujuslibet mensis per dictam Confraternitatem de Ordinarii loci licentia facienda devotè interfuerint, et ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam. Quintò: qui ab esu carnium iis diebus, in quibus Confratres dictae Confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies. Sextò: qui quolibet die septies orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam ad honorem septem gaudiorum ejusdem Virginis Mariae recitaverint, quadraginta dies. Septimò: qui cum habitu ejusdem Confraternitatis paenitentes, et confessi semel in mense Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et, ùt praefertur, oraverint, quinque annos, et totidem quadragenas. Octavò: qui paenitentes, et confessi in qualibet ex festivitatibus ejusdem beatae Mariae Ss. Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia, vel Capella dictae Confraternitatis devotè sumpserint, et, ùt supra dictum est, oraverint, tres annos, et totidem quadragenas. Nonò: qui cum lumine Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, et pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, et totidem quadragenas. Decimò: qui corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, et pro eorum animabus ad Deum oraverint, centum dies. Unde-

cimò: qui officium beatissimae Mariae Virginis devotè recitaverint, centum dies. Duodecimò: qui Missis, et aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Capella, aut Oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis, et recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis intervenerint, aut pauperes hospitio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales, aut Spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, aut devium aliquem ad viam Salutis reduxerint, aut ignorantes Dei praecepta, et ea, quae ad Salutem sunt, docuerint, aut quandocunque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum piorum Operum centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta concessit, et relaxavit. Decimotertiò: Insuper concessit Priori Generali Ordinis, vel illo absente Vicario Generali, ut hujusmodi Confraternitatem beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo ubivis locorum extra Urbem erigere, et instituere, illique supradictas Indulgentias, et gratias Spirituales servata forma praescripta in Constitutione fel. record. Clementis VIII. suprà Confraternitatum aggregationibus, et institutionibus edita communicare possit. Decimoquartò: denique Sanctissimus Dominus Noster Clemens X. per litteras suas in forma Brevis datas die 11. Januarii 1672. indulsit, ut omnes supradictae Indulgentiae peccatorum remissiones, ac paenitentiarum relaxationes per fel. record. Paulum V. concessae, animabus Christifidelium per modum suffragii applicari possint. Hoc Summarium fideliter excerptum est ex Bullis, et Brevibus citatis. Joannes Cardinalis Bona.'

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praefatus Matthaeus Prior Generalis Summarium hujusmodi Apostolicae Confirmationis nostrae patrocinio communiri, nonnulla dubia praemissorum occasione emergentia dissolvi, plurimum desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut opportune in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremus. Nos igitur ipsius Matthaei Prioris Generalis votis hac in re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque â quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis â jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum semper absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Summarium praeinsertum, omniaque, et singula in eo contenta Authoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus. Praeter ut Confratres, et Consorores dictarum Confraternitatum Sacri Scapularis tam hactenus erectarum, quam in futurum erigendarum, qui processioni in una Dominica cujuslibet mensis ab ipsis fieri solitae commode interesse non potuerint, si verè paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, Capellas suarum respectivè Confraternitatum devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, et remissionem,

quam Paulus V. Praedecessor illis, qui processioni hujusmodi intersunt, concessit pariformiter consequantur, et similiter infirmi, captivi, et peregrinantes, qui Capellas hujusmodi dicta Dominica visitare nequiverint, si officium parvum B. M. V. aut quinquagies Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam recitaverint, et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi, et Sacram communionem recipiendi, quamprimum potuerint, quod adimplere omnino tenentur: Fratres quoque, et Moniales Ordinis praefati commorantes in Conventibus, in quibus non est erecta Confraternitas Sacri Scapularis, vel non fit processio hujusmodi, si litanias Omnium Sanctorum in Choro, vel privatim, si legitime impediti non potuerint interesse Choro, devotè recitaverint, caeteraque in litteris praefati Pauli praedecessoris praescripta adimpleverint, praefatam plenariam Indulgentiam, et peccatorum remissionem etiam consequantur, authoritate, et tenore praefatis concedimus, ac indulgemus. Porro festum principale Confraternitatum Sacri Scapularis hujusmodi juxta indultum ab eodem Paulo praedecessore concessum die 16. mensis Julii, vel Dominica immediate sequenti quotannis celebrari solitum ob majorem devotionem, vel commoditatem Christifidelium, aut quando eadem die accurreret alia Solemnitas in aliam Dominicam ejusdem mensis transferri permittimus. Soli autem Superiores Generales dicti Ordinis possint extra Urbem praefatam in singulis Ecclesiis ejusdem Ordinis, et in quibuscunque aliis accedente consensu Ordinariorum Confraternitates praefatas, servata caeteroquin praefatarum Pauli praedecessoris litterarum forma, et dispositione, instituere, et nullus alius sub poena nullitatis. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros sortiri effectus, et obtinere, ac aliis ad quos spectat, et pro tempore quomodocunque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his â quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante Nostrae Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides ubique habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die 8. Maji 1673. Pontificatus nostri anno tertio. L. C. Slusius.'

Haec privilegia, gratias Spirituales, et Indulgentias Confraternitatibus praefatae Sodalitatis auctoritate Apostolica communicamus, et specialiter huic superius laudatae, et â Nobis erectae Ecclesiae praefati Conventus Samaborini. Declarantes autem nostram esse intentionem in locis, ubi nostra Religio Ecclesiam non habet, Nos hanc Confraternitatem nostram fundare, et erigere sub hac expressa conditione, et non aliter, quid si Religiosis nostris se obtulerit occasio in illis, vel aliis ad tria milliaria propinquis locis acquirendi de novo, et fundandi aliquam Ecclesiam, seu Monasterium, Confratres Sodalitatis nostrae ibi jam erectae nullo pacto per se, vel per alios directe, vel indirecte novi Conventus acquisitioni

et fundationi se opponent, aut contradicent, aliquodve afferent impedimentum, et si secus fecerint, vel facere tentaverint, cassa erit, et nulla ipso facto erectio Confraternitatis, ac si nunquam illa fuisset erecta, quandoque ad Ecclesiam â Religione de novo acquisitam Confraternitas prius erecta cum omnibus suis mobilibus, et immobilibus sine ulla requisitione, petitione, et instantia statim transferatur, et translata intelligatur. Ad quae omnia Confratres in ipsa fundatione Confraternitatis per instrumentum publicum se suosque successores obligabunt, imo eo ipso, quod vi praesentium Confraternitas instituta fuerit Confratres in ipsam fundationem Conventus quandocunque, et translationem dictae Confraternitatis ad illius Ecclesiam expresse, et formaliter consensisse censebuntur, etiamsi illa instrumento publico forsan non essent polliciti, nec ob quamcunque causam dictum consensum revocare, aut adversus illum restitutionem in integrum, vel quodcunque aliud juris remedium praetendere, aut eo obtento uti poterunt. Praesentibus valituris usque ad aliam nostram, vel Successorum nostrorum dispositionem. In quorum fidem praesentes manu propria subscripsimus, nostroque sigillo roboravimus. Romae in Conventu nostro Sanctae Mariae Transpontinae 9. Aprilis 1751.

FR Aloysius Laghius Generalis Carmelit.

(L. S.) Fr' Bruno â S. Antonio Socius,
et Secret. Generalis Germaniae

Anno 1751. 10. Maji Zagrabiae praesentes publicari conceduntur, et ad effectum, uti supra, ipsum festum Titulare, et Dominica tertia cujuslibet mensis pro minus principali designatur, ita tamen, ut processionis fieri non possint, nisi intra claustra adjacentis Monasterii.

Wolffgangus Kukulievich
Vicarius Generalis.

II. Altera Confraternitas in hac Ecclesia erecta est Cordigerorum S. P. N. Francisci Ordini nostra, et Ecclesiis propria. Praeterea Sancta Via Crucis singulari devotione frequentatur, pro majori populi devotione, et commoditate quolibet mense in una ex Dominicis, in quadragesima autem singulis diebus Dominicis publicè praeeunte, et mysteria praelegente Sacerdote ducitur. Praeterquam enim, quod singulis diebus Dominicis, et majoribus anni Solemnitatibus copiosus confluat populus ad Sacramentum Paenitentiae, ac Sacram Communionem, etiam hujus Conventus Confessarii saepius, praesertim verò tempore Confessionis Paschalis in subsidium vicinorum Dominorum Parochorum evocantur. Duo semper constituuntur Verbi Dei praecones, quorum unus diebus Dominicis, alter diebus festivis praeter Cathechesim de mane haberi solitam populo in lingua Sclavonica Verbum Dei proponit.

Caput V.
Catalogus Fratrum (quorum notitia ad nos devenit) in hoc Conventu pie in Domino defunctorum.

1650. 22. April. Rel. Fr' Josephus N. Carniolus laic. an. Rel. 9.
…… 28. Maji Rel. Fr' Theodorus Albertis â Padua laic. an. Rel. 22.
1664. 4. Maji Rel. Fr' Florianus Tautscher laic. ann. Rel. 16.
1665. 14. Maji M.V.P. Ignatius Mogorovich olim Guard. Neost. an. Rel. 28.
1666. 11. Jan. V.P. Jacobus Bosnensis Prov'iae Bosnae professus.
1676. 24. April. Rel. Fr' Marius Petrassich laic.
1680. 9. Maji Rel. Fr' Joannes Baptista Daurich.
…… 20. Julii M.V.P. Constantinus Percopiz Con'or, Guard.
1683. 6. Jan. Rel. Fr. Timotheus Suppantschitsch laic.
1684. 27. Martii V.P. Nazarius Fistroviz Croat. Con'or ann. 35. Rel. 13.
1692. 15. Martii M.V.P. Apollinaris Martinez Guard. act. an. Rel. 13.
1697. 31. Oct. V.P. Norbertus Mrak Labac. ann 44. Rel. 24.
1700. 15. Sept. V.P. Desiderius le Conte ann. Rel. 10.
1702. 15. Nov. V.P. Ignatius Kimerle Lab. ann. Rel. 25.
1703. 2. Jun. V.P. Andreas Siber Labac. Vic. act.
1704. 1. Sept. Rel. Fr' Hieronymus Greiner Cler. Lab. ann. 41. Rel. 21.
1706. 1. Jan. M.V.P Ernestus Puch ann. 55. Rel. 33.
1709. 1. Jan. Rel. Fr' Adjutus Siber Bav. laic. ann. 50. Rel. 25.
1712. 1. Dec. Rel. Fr' Michael Mochortschitsch laic. Camnic. an. 48. Rel. 14.
1714. 16. Jul. V.P. Wolffgangus Shemenitsch Carn. ann. Rel. 8.
…… 6. Oct. V.P. Georgius Sidar Carn. ann. Rel. 8.
1716. 7. Jan. A.R.P. Franciscus Uzollin Lect. Con'or gener. Prov. Pater Croat. Zagrab. ann. 69. Rel. 54.
…… 28. Apr. M.V.P. Timotheus Gollubich Carl. ann. 46. Rel. 26.
…… 23. Aug. Rel. Fr' Nicolaus Hansizh laic. Carn. ann. Rel. 42.
1718. 8. Apr. M.V.P. Rufinus Dettendorffer Bav. Nov. Mag. et Vic. act. ann. 55. Rel. 33.
…… 11. Nov. M.V.P. Bonaventura Gietler Styr. Vidmens. saep. Guard. et Vicar. an. Rel. 38.
…… 24. Dec. V.P. Hyacinthus della Fontana Lab. ann. Rel. 21.
1719. 14. Nov. V.P. Amadaeus Pillepich Flum. Theol. mor. studens. ann. Rel. 7.
1721. 7. Jan. M.V.P. Xaverius Shustertschitsch Lab. ann. Rel. 29.
…… 3. Mart. Rel. Fr' Malachias Dempff laic. ann. Rel. 32.
…… 3. Maji M.V.P. Wenceslaus Muchich Neost. saep. Guard. et Vic. ann. 67. Rel. 44.
1723. 18. Jan. Rel. Fr' Amandus Lang laic. Tyr. ann. 32. Rel. 11.
1725. 27. Apr. V.P. Demetrius Keller Lab. Conc. act. ann. Rel. 33.
1730. 18. Jan. Rel. Fr' Anacletus Glebaschitz Styr. laic. an. 57. Rel. 25.
1731. 7. Mart. M.V.P. Paulinus Rutter Conc. saep. Vic. et Guard. an. 61. Rel. 40.
1732. 21. Feb. Rel. Fr' Aemilianus Edenhauser laic. Tyr. an. 42. Rel. 20.
1733. 14. Jan. V.P. Laurentius Stanchovich Carl. Conc. ann. 41. Rel. 22.
…… 17. Jan. M.V.P. Juvenalis Sgauz Conc. saep. Vic. et Guard. an. 50. Rel. 29.
1734. 10. Feb. Rel. Fr' Octavius Holler laic. Novit. ann. 24. Rel. 1.

1737. 10. Dec. M.V.P. Aloysius Valvasor Conc. et act. Vic. an. 58. Rel. 40.
1738. 20. Apr. M.V.P. Leander Gobbi Guard. act. ann. 49. Rel. 29.
…… 11. Aug. V.P. Benedictus Schlibnig Carn. ann. 61. Rel. 41.
1740. 29. Nov. Rel. Fr' Leopoldus Doll laic. Austr. ann. Rel. 40.
1741. 5. Nov. Rel. Fr' Andreas Sirk laic. ann. Rel. 27.

966

1743. 1. Jan. M.V.P. Nazarius Vidrich Vippac. saep. Vic. et Guard. ann. 79. Rel. 57.
1745. 15. Jan. R.P. Casimirus Schlattner Conc. Croat. Ss. Theol. lect. Ex-Diff'or, et Ex-Cust. ann. 64. Rel. 42.
…… 29. Dec. V.P. Tiburtius Mallitsch ann. 33. Rel. 10.
1749. 3. Nov. Rel. Fr' Laurentius Witnig laic. Tyr. ann. 28. Rel. 6.
1750. 8. Maji Rel. Fr' Theobaldus Hueber laic. Suev. ann. 59. Rel. 39.
…… 7. Junii V.P. Benedictus Posarelli Carn. ann. 44. Rel. 26.
1751. 22. Dec. M.V.P. Hyacinthus Snediz Crainb. lect. Theol. Vic. et Guard. ann. 50. Rel. 32.
1752. 7. Febr. Rel. Fr' Silverius Rinner laic. Tyr. ann. 78. Rel. 51.
1754. 11. Nov. Rel. Fr' Conradus Olypich Camnic. laic. an. 44. Rel. 23.
1757. 8. Apr. M.V.P. Fructuosus Karlin, Conc. saep. Guard. an. 64. Rel. 44.
…… 12. Jun. A.V.P. Robertus Skerpin Conc. Ex-Diff'or an. 62. Rel. 44.
1758. 13. April. Rel. Fr' Paschalis Ersar Carn. laic. an. 46. Rel. 20.
…… 15. Maji Rel. Fr' Fraternus Purger laic. Neost. an. 24. Rel. 4.
1760. 4. Mart. V.P. Quirinus Stokl ann. 77. Rel. 52.
1761. 29. Maji V.P. Leo Termachich Croat. Jask. an. 28. Rel. 9.
1765. 10. Jan. M.V.P. Wolffgangus Ettl Dalmat. fuit Capell. Camp. et Guard. ann. 52. Rel. 36.
1767. 13. Jan. Rel. Fr' Carolus Ziegler laic. Tyr. pict. an. 56. Rel. 30.
…… 29. April. V.P. Franciscus Lach Camnic. Org. an. 63. Rel. 42.
1769. 31. Mart. V. P. Donulus Reschen Lab. ann. 56. Rel. 37.
1771. 29. Aug. M.V.P. Theodoricus Skenderich Conc. et Guard. ann. 71. Rel. 52.
1772. 27. Apr. V.P. Medardus Valles Carn. Shemnic. an. 65. Rel. 44.
1773. 28. Mart. V.P. Columbinus Mayr Tyrol. an. 42. Rel. 24.
1777. 16. Jan. Rel. Fr' Pachomius Fridinger tert. an. 65. Rel. 43.
1780. 25. Jul. MVP. Franciscus Borgias Fabris Gorit. fuit Guard. et act. Conc. Croat. ann. 64. Rel. 47.
…… 20. Nov. VP. Michael Kaltschitsch Carn. Pillichgrac. fuit Conc. et Vicar. ann. 67. Rel. 47.
1781. 29. Mart. Rel. F. Gaudentius Tschebul laic. Chyr. Carinth. ann. 59. Rel. 36.
…… 1. Maji Rel. F. Basilius Tranninger Gotschev. laic. an. 54. Rel. 34.
1786. 9. Feb. RP. Erenfridus Gnad Carint. Clagenf. Con'or. Lect. Em. saep. Guard. ann. 57. Rel. 37.
…… 14. Mart. ARP. Gelasius Vosich Con'or exim. Lect. Em$^{\text{'tus}}$ Ex-Def. et 1$^{\text{'mus}}$ Ex-Custos Custodiae Croatiae Croata Carlostad. ann. 59. Rel. 41.

Caput VI.
Elenchus P. P. Guardianorum (quorum notitia haberi potuit) Conventus Samaboriensis.

Dionysius Ivanković 1622–1625. qua praesidens.
Dionysius Ivanković 1625–1628. qua praesidens.[569]
A.V.P. Antonius Telletenovich Conc. Ex-Diff'or 1629. 1631. qua praesidens.[570]
M.V.P. Leonardus Buttorchich 1631. 1634 Qua Guardianus.[571]
A.V.P. Bernardus Horcha de Gradisca Ex-Diff'or 1640. 1641.
M.V.P. Franciscus Benkovich Con'or 1642. 1643.
A.V.P. Franciscus Tremanini Ex-Diff'or 1644. 1645. 1646.
M.V.P. Bernardus Vichich 1647. 1648. 1649.
M.V.P. Antonius Posarelli 1650.
A.V.P. Petrus â Flumine lect. Diff'or act. 1651. 1652.
A.V.P. Dominicus Pizzulini Con'or Ex-Diff'or 1653. 1654. 1655.
M.V.P. Michael Angelus Bosnyak lect. Con'or gener. 1656.
M.V.P. Maxentius â Castua Con'or 1657.
M.V.P. Vincentius Comel 1658.
M.V.P. Raphael Vuchich 1659. 1660. 1661.
M.V.P. Hyacinthus Craveggia Con'or 1662. 1663. 1664. 1665.
M.V.P. Jacobus Sorin Con'or lect. 1666.
M.V.P. Hyacinthus Craveggia Con'or 1667.
M.V.P. Joannes Capistranus Ozepick Con'or 1668. 1669.
R. P. Maxentius â Castua Con'or, Ex-Diff'or, Ex-Custos 1670. 1671.
M.V.P. Michael Angelus Oberschnel Con'or lect. 1672.
M.V.P. Franciscus Uzollin lect., Con'or Gener. 1673. 1674. 1675.
M.V.P. Gregorius Gailler 1676.
M.V.P. Franciscus Uzollin lect. Con'or Gen. 1677.
A.V.P. Bonifacius Priuchich Con'or, lect., Ex-Diff'or 1678. 1679. 1680.
M.V.P. Leopoldus Borkovich Con'or Gener. 1681. 1682.
M.V.P. Christophorus Concilia Con'or 1683.
A.V.P. Bonifacius Priuchich Con'or, lect., ter Ex-Diff'or 1684. 1685.
M.V.P. Antonius Kraa Con'or, lect. Gen. 1686.
M.V.P. Chrysostomus Perdan Con'or 1687.
M.V.P. Leopoldus Borkovich Con'or Gen. 1688.
R.P. Casimirus Dimiakovich Con'or, lect. Gen., Ex-Diff'or, Ex-Custos 1689. 1690.
M.V.P. Apollinaris Martiniz 1691. 1692.
M.V.P. Felix Chiarpei Con'or, lect. Theol. 1693.

968

A.R.P. Franciscus Uzollin Con'or, lect. Theol., Prov'iae Pat. 1694. 1695. 1696.
M.V.P. Dominicus Pillepich Con'or 1697. 1698. 1699.
M.V.P. Nicolaus Schuschiz 1700.
M.V.P. Mansuetus Stephan 1701.
A.R.P. Franciscus Uzollin Con'or, lect. Theol., Prov. Pat. 1702.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1703.
M.V.P. Martinianus Schabieker 1704. 1705.
M.V.P. Juniperus Merschnig 1706. 1707. 1708.
M.V.P. Martinianus Schabieker 1709.
M.V.P. Laurentius Stemberger Con'or 1710.
M.V.P. Juniperus Merschnig 1711.
M.V.P. Martinianus Schabieker 1712. 1713. 1714.
M.V.P. Bonaventura Gietler Con'or, lect. Theologus 1715.
A.V.P. Mauritius Bobner Con'or, lect. Gener., Ex-Diff'or 1716. 1717.
M.V.P. Martinianus Schabieker 1718. 1719. 1720.
M.V.P. Silverius Vidig 1721.
M.V.P. Paulinus Rutter Con'or 1722. 1723.
A.V.P. Sigismundus Babel Con'or, Ex-Diff'or 1724.
M.V.P. Martinianus Schabieker 1725. 1726. 1727.
M.V.P. Stanislaus Abulner Con'or 1728.
M.V.P. Casimirus Schlattner Con'or, Ss. Theol. lect. 1729. 1730. 1731.
M.V.P. Aurelius Zheuko Con'or, lect. Theol. 1732.
M.V.P. Benevenutus Fraccassa Con'or 1733.
M.V.P. Romanus Schustertschitsch Con'or, lect. 1734.
M.V.P. Ludovicus Plauzhoffen Con'or, lect. Theol. 1735.
M.V.P. Leander Gobbi 1736. 1737. 1738.
A.V.P. Eugenius Gottschever, Con'or, lect. Gen., Ex-Diff'or el. 4. Feb. 1739.
M.V.P. Jacobus Borri Con'or, lect., el. 6. Dec. 1739. 1740.
M.V.P. Petrus Moysè Con'or, lect. Gener. 1741.
M.V.P. Robertus Skerpin Con'or 1742. 1743. 1744.
M.V.P. Isidorus Durchenwald Con'or 1745. 1746. 1747.
M.V.P. Florianus Tschokl Con'or, lect. Theol. 1748.
M.V.P. Alanus Bauzhar Con'or, Ss. Theol. lect. 1749.
M.V.P. Archangelus Michelitsch Con'or, lect. Gen. 1750. 1751. 1752.
M.V.P. Cyrillus Makai Con'or 1753. 1754.
M.V.P. Reginaldus Franz Con'or 1755. 1756.
M.V.P. Placidus Juray Con'or 1757. 1758. 1759.
M.V.P. Caelestinus Hriber Con'or, lect. Gen. 1760. 1761. 1762.

A.V.P. Hieronymus Markillitsch Con'or, lect. Gen., Ex-Diff'or 1763. 1764. 1765.
M.V.P. Hermelandus Marchiolli Con'or, lect. 1766.
M.V.P. Gelasius Vosich Con'or, lect. Gener. 1767.
M.V.P. Lambertus Fabian Con'or, Ss. Theol. lect. 1768. 1769. 1770.
M.V.P. Borgias Fabris Con'or 1771.
M.V.P. Gandulphus Nusdorffer Con'or 1772. 1773. 1774.
M.V.P. Albertinus Podviss Con'or 1775. 1776. 1777.
M.V.P. Joannes Nepomucenus Wallensperg Con'or, Ss. Theol. lect. 1778. 1779.
MVP. Engelbertus Arnold Conc. 1780.
M.V.P. Ambrosius Koratsch 1781. 1782.
MVP. Rolandinus Vidkovich Con'or 1783.
MVP. Zachaeus Rappe Con'or, Ss. Thlg. lect. 1784.
RP. Erenfridus Gnad Con'or, lect. Em. 1785.
RP. Raymundus Dikovich Con'or 1786. 1787.[572] 1788. 1789.
M.V.P. Viator Smole Con'r. Fuit guardianus ab anno 1790. usque ad annum 1804. inclusive.
M.V.P. Leopoldus Au Con'r 1805. 1806. 1807.
M.V.P. Bernardus Czalampich Con'r 1808.
M.V.P. Emericus Gradezdy Con'r 1809.
M.V.P. Annanias Hostnig Con'r 1810. 1811. 1812. 1813. qua Df'tor 1814. 1815. 1816. 1817. 1818. 819.[573] 820. 821. 822. 823. 824. 1825. 1826. – Deinde eligebantur tempore cap. v. Congreg:
Anno 1826. M.V.P. Benedictus Dimmer, Con'or 1827.
~ 1827. A.R.P. Emericus Gradezky 828. 829. –
~ 1829. M.V.P. Nepomucenus Barletz, 830. 831. 832. –
~ 1832. M.R.P. Stanislaus Vuković, Con'or, 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. –
~ 1844. M.R.P. Magnus Bosek, Con'or, 845. 846. 847. –
~ 1847. M.R.P. Bonifacius Jakopčić, Con'or 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. mortuus et P. Fortunatus Praesidens – etiam 862. mortuus –
~ 1862. M.V.P. Chrysogonus Šlibar, Con'r
~ 1863. ~ ~ ~ Emericus Kostanjevec, Con'r 864. 865.
~ 1865. ~ ~ ~ Hyacinthus Herženjak, Catech. 1866. 867. 868. † 10. Sept. et P. Magnus Bosek praesidens, usque ad Congreg.
~ 1869. ~ ~ ~ Aemilius Krašovic, Catech. 870. 871. usq. ad Cap.
~ 1871. R.P. Magnus Bosek, Ex-Df'tor, 872. 873. 874. † 16. Jun.
~ 1874. R.P. Aemilius Krašovic, Catech. 875. 876. 877. 878. 879.

Sigillum

Conventus Samaboriensis praesefert Imaginem B. V. Mariae corona redimitae, in manu sinistra tenentis Jesulum cum hac in orbem inscriptione: SIG. CONV. SAMABOR. ORD. MIN. S. FRANC. REFORM.

23. 9'bris 1779

970

X. CONVENTUS ad B. V. Elisabeth Visitantem BERDOVICII In Regno Sclavoniae.

Caput I. De regno Sclavoniae.

I. Sclavoniae regio, hodie est Coronae ┬ […][574] Hungariae incorporata, quae sub [Colomano],[575] Hungariae Rege mortuo Zuonimiro Dalmatiae Rege una cum Dalmatia, et Croatia Hungariae unita fuit. *Sclavi*, seu *Sclavoni* gens est *Vandalorum, Vindilorum, seu Venedorum* (germanice *Wenden*). Quando *Venedis* hoc nomen *Sclavi*, seu potius *Slavi* appositum fuit, vel illud assumpserunt? variant Scriptores. Aliqui, inter quos est D. Schönleben, putant, hoc Slavorum nomen primò innotuit tempore Jornandis, qui vixit anno Christi 550. Alii hoc nomen antiquius esse autumant, ac ipsi Ptolomaeo notum, ait enim Hartknochius Borussicus Scriptor, quod Ptolomaeus inter *Venedos*, qui circa mare Balthicum habitabant, numeravit *Galindos, Sudinos, et Stavanos,* et quod *Stavani* idem sit, ac *Slavani*, et unica tantum littera corrupta erat, nempe *l.* quae fuit in *s.* […][576] mutata: id esse verosimile conjicit ex eo, quia penes *Ragnit*, et *Tilsit* est quidam circulus in Borussia Brandeburgica, qui adhuc hodie *Schlavonia*, aut *Slavania*, ger. *Shalavonien,* vel *Shalaven* nuncupatur, quod nomen locus â *Slavanis*, seu *Slavis* antiquis habitatoribus haereditâsse dicitur.

II. Etymologiam Nominis *Slavorum* Scriptores non unam adferunt, alii enim dicunt cum D. Schönleben, *Venedos* ideo fuisse dictos *Slavos*, quia Pannoniam *Saviam* (cui nomini littera *l.* interjecta fuit) id est regionem circa fluvium Savum jacentem ingressi sunt, eamque occuparunt. Aeneas Sylvius cum Alberto Cranzio lib. 1. Wandal. c. 6. asserit, Venedos hoc nomen acquisiisse ob eorum loquacitatem, ait enim *Sclavoni* in illorum lingua idem sonare, ac loquaces. Multò gloriosius de origine Slavorum loquitur Cl. D. Joan. Christoph. de Jordan de Orig. Slav. part. 4. fol. 101. ubi ait: quod *Slavi*, seu *Slavini* populi vocabulum derivetur â vulgari nomine *Slava*, quod est *gloria*, et *laus*: inde venit adjectivum *Slavni, celebres, laudabiles:* verbum *slaviti, celebrare, praedicare.* Participium *Slaveni, celebrati, depraedicati*. Hoc inclytum nomen non levem subire debuit sui immutationem apud exteras gentes linguae Slavicae ignaras, Romani quibus pronuntiatio *Slavni* vocabuli litteralis pura ad palatum non erat, primae syllabae *Sla* litteram *c*. intermiscebant, secundam *vni*

per interjecum *i*. dividebant, adeoque trisyllabum *Sclavini* efformando nomen id, quasi radicibus suis evellebant, unde dein â Sclavinis moderna Sclavonia nomen sortitur. Ita Cl. D. de Jordan loc. cit.

III. Et quamvis olim sub Imperatoribus Carolingicis *Slavi* diffusi erant per plurimas Provincias nempe per Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Poloniam, Croatiam, etc. qui *Slavi Orientales*: nec non versus mare Balthicum, et Septentrionale per partem Saxoniae, Marchiam Brandenburgicam, Ducatum Meckleburgicum, Pomeraniam etc. qui *Slavi boreales* vocabantur, medii autem inter illos in Misnia erant *Slavi Sorabi* origine Dalmatae juxta D. de Jordan loc. cit. nunc tamen propriè dicuntur *Slavi*, qui Sclavoniam inhabitant, imo et hi saepius sub Croatarum nomine appellari consueverunt. Dividitur autem *Sclavonia*, seu *Slavonia* in orientalem et occidentalem, Occidentalis proprie Sclavonia vocatur, orientalis verò Rascia, incolae *Rascii*, germanice *Räzen* appellantur. Habet tota Sclavonia in longitudine milliaria germanica 50. in latitudine verò tantum 12.

IV. R'mus D. Balthasar Kerchelich *Sclavoniam* extendit usque ad fluvium Colapim â fluvio Dravo. Verum moderni Geographi terram inter Savum, et Colapim sitam relinquunt Croatiae, Sclavoniam verò inter fluvios Savum, et Dravum constringunt: ita ut terminis ejus ex parte orientali sit *Semlin*, ubi Danubius, et Savus conjunguntur, ex parte transversa habet Belgradum principale Serviae fortalitium, dein illius confinium ex parte meridionali est fluvius Savus, per quam â Bosnia, et Croatia dividitur usque ad amnem *Sotla*, dein Sclavonia occidentalem suum limitem â *Sotle* in Savum influxu continuat per eumdem *Sotle* alveum, per quem â Styria separatur, tum per montem *Maczell* qui Sclavoniae est, venit intra *Trakostain* arcem Comitum Draskovich, ad alveum quemdam metalem intra pagum Styriae *Collari* vocatum, ac ab inde metis suis intra *Kleunounig* ad *Viniczam*, et *Krisoulian* loca Sclavonica, ab indeque suis metis per campum venit ad Dravum, per quem septentrionali ex parte ab Hungaria secernitur: idem Dravus facit Sclavoniae hujus limitem usque ad *Almas* pagum, ubi Dravus â Danubio recipitur, inde per Danubium ad Semlin usque, atque Belgradum, ubi Savus in Danubium influit.

V. Sclavonia olim, antequam Hungariae Coronae adjecta fuisset, habuit partim proprios Duces, partim Croatiae, et Dalmatiae Regibus parebat, nunc subjacet Domui Austriacae, qua Hungariae Regi. *Sclavi* fidem Romano-Catholicam, quam semper tenaciter retinent, suscepisse perhibentur anno 800. praedicante S. Methodio, ut habet Lexic. Univ. verbo *Sclavonien*, aut saltem circa annum 845. ut advertit Fleurius. Hist. Eccl. tom. 11. lib. 48. § 31. pag. 442. ad ann. 845. ubi ait: *Sclavorum quidem*

natio etiamnum infidelis erat, sed Duces, et Tribuni quatuordecim cum suis vasallis desiderium aperuerant Christiana Sacra suscipiendi, quos rex Ludovicus (Langobardorum, et Italiae Lotharii I. Imperatoris filius) in octava Epiphaniae eodem anno 845. baptizari jussit. Interim Slavis fides Catholica jam anno 796. praedicari coepit per Arnonem Episcopum Salisburgensem instante, et mandante Pipino Caroli M. filio, ut denuo Fleurius Hist. Eccl. tom. 10. lib. 45. §. 15. pag. 614. advertit, et notat his verbis: *Pipinus Rex Italiae filius Caroli M. Hunnis A. C. 796. bello victis, et Imperii Francorum finibus usque ad Dravum fluvium prolatis, ad Arnonem Episcopum* (Salisburgensem) *mandata misit, ut novellos his subditos partim Hunnos, partim Sclavos in Religione Catholica erudiret.* Principaliora Sclavoniae loca sunt *Zagrabia, Varasdinum, Copraniza, Essekinum, Possega, Carlovicium, Petrovaradinum,* et *Semlin*.

Caput II.
De aedificatione, et reaedificatione Conventus, ac quibusdam fundationibus.

§. I.
De aedificatione, et reaedificatione Conventus.

I. Locus *Berdovicensis*, seu *Goricensis*, vulgò *Berdovacz*, seu *Gorcze*, quod collem, sive monticulum denotat, situs est in Regno Sclavoniae in Comitatu, Dioecesique Zagrabiensi, non procul â Styriae finibus inter fluvios Sotla, et Savum, inter vineas in loco nonnihil eminentiori. In hoc colle Illustrissimus D. Petrus Silay Dominus in Suszed,[577] et Berdovacz, ac Szomszed-vara aedificavit anno 1517. in Cathedra Petri sedente Leone X. clavum Romani Imperii tenente Maximiliano I. Conventum cum Ecclesia in honorem S. Petri Apostolorum Principis pro Fratribus Minoribus de Observantia Provinciae Bosnae Croatiae suis sumptibus. P. Glavinich, et Kerchelich dicunt, Conventum hunc fuisse aedificatum anno 1527. sub Pontificatu Clementis VII. Imperante Carolo V. verum intelligendi sunt de perfectione Conventus, non de initio aedificationis, quia anno 1527. Ecclesia jam consecrata fuit, ut videbitur, unde consequitur, ejus aedificium anno 1527. jam absolutum fuisse, sicque Conventus, et Ecclesiae initium praedictum annum omnino praecedere debuit.

II. In quodam attestato â Vicinis Fratribus Minoribus de eorum Religiosa vita anno 1628. dato, vocatur fundator hujus Conventus Stephanus Illyricus Shilajus Comes de Shasio, quem Kerchelich etiam Selul nominat. Ast nomen Stephani loco Petri aut ex errore calami irrepsit, aut *Petrus Stephanus* vocatus fuit. Fuisse autem piissimo fundatori nomen Petrus, ex eo desumitur conjectura, quia Ecclesiam in honorem S. Petri tamquam sui Patroni dedicari voluit. Praedictum In-

strumentum, in quo series aedificationis hujus Conventus continetur, ex Originali transumo, estque hujus tenoris:

Conventus, sive locus Principi Apostolorum Divo Petro Sacer in Dioecesi Metropolitanae Ecclesiae Zagrabiensis existit, appellatur autem *Sancta Goricza*, id est Sanctus Monticulus hanc ob causam, quia in Monte vallato nobilissimis Croatiae amnibus Savo, Szutla, et Bregana, et Crapina in eminentiori, et perspicaciori loco vineis circum circa septus, est situatus. Hunc locum devotissimus quidam, ac Illustrissimus Dominus Stephanus Illyricus Shilajus Comes de Shasio, ac Dominus in Castro Szuzed anno Domini 1517. suis sumptibus erigendum, ac construendum curavit, quem locum postea Reverendissimus quidam Episcopus Lucas nuncupatus Ecclesiae Zagrabiensis in honorem Principis Apostolorum Sancti Petri consecravit anno videlicet Domini 1527. in quo loco fuerunt collocati Fratres Minores Provinciae Bosnae Croatiae de Observantia nuncupati, qui ibidem habitantes vita religiosa, bonis moribus, Verbi Divini Seminatione, Salutaris Sacramenti Paenitentia, ac aliorum piorum operum ad Salutem fidelium necessariorum administratione, in Vinea Domini ad augendam Christianam Religionem, maximum fructum fecerunt, et nunc faciunt, nimirum cum in dicto loco singulis quibusque totius anni Dominicis maximus fit populi concursus. Cum igitur nos Infrascripti percepimus â dictis Fratribus nunc saepefatum locum inhabitantibus, quod illorum Superiores majores desiderant notitiam habere non solum hujus, sed et aliorum (Conventuum) volentes, uti par est, veritati testimonium adhibere, significamus, quibus expedit universis, attestamur, et fatemur, praefatos Fratres Minores de Observantia Provinciae Bosnae Croatiae locum hunc incolentes, oviculis Christi sanguine redemptis maximae utilitatis esse. In quorum omnium fidem, et robur manu propria subscripsimus, ac sigillis impressimus. Actum Goriczae die ultima Aprilis anno Domini 1628.

NB. Sequitur subscriptio glagolitica. […][578]

III. Quamvis verò anno 1527. Religiosi Berdovicii habitare coeperint, non tamen tantus erat eorum numerus, [ut Religiosam familiam constituerent],[579] tum quia aedificium suam totalem perfectionem longo tempore non est assecutum, nam anno 1631. decretum prodiit â V. Diffinitorio, ut hic aliquis ponatur, qui aedificia curaret: *In Berdovacz ponatur aliquis, qui aedificia solicitet, et Vicarii nomen habeat, et subsit Guardiano Samaboriensi.* Tum etiam, quia partim Religiosi ob continuas persecutiones praesertim grassante Lutheri haeresi pauci in Provincia erant, partim ob defectum debitae, et honestae sustentationis plures, et tot, quot juxta Apostolicas Constitutiones ad constituendam Religiosam familiam desiderantur, interteneri haud poterant. Unde anno 1653. Patres in Provinciali Capitulo congregati deliberarunt, an non esset locus Berdovicensis deserendus. Animadvertentes id vicini tum Nobiles, tum plebaei, ne Spirituali bono pro Fratrum sustentatione, tum pro reparatione Conventus liberaliter porrexerunt, ex quo factum, quod

anno 1664. Conventus ampliari, et aedificari coeperit: cura aedificii commissa erat P. Bonaventurae Ukmayr.

IV. Cum autem quaelibet res sub sole corruptioni sit obnoxia, ac ad interitum tendat, ita etiam hic Conventus, postquam stetisset 70. prope annis, ruinam minitabatur, unde die 7. Martii anno 1732. decretum fuit, ut *Conventus Berdovicensis juxta exhibita, delineationem renovetur, et aedificetur.* Fuit igitur Conventus anno sequenti 1733. sub Provincialatu A. R. P. Sigismundi Skerpin, lectoris Emeriti, mirae dexteritatis viri aedificari inchoatus, anno verò 1735. aedificium dirigente P. Casimiro Schlattner Provinciae Diffinitore actuali absolutus, et ad praesentem formam redactus. Quia eleemosyna â Benefactoribus conquisita non erat sufficiens pro absolvendo aedificio, hinc reliqui Provinciae Conventus subsidium pecuniarum f. 1200. subministrarunt. Conventus est quadriangularis unius contignationis, habet in dormitorio Cellas 21. in inferiori ambitu sutoriam, et Arculariam, vivunt nunc in hoc Conventu ordinarie 19. aut 20. Religiosi, nec facile ob defectum cellarum augeri possunt.

§. II.
De quibusdam hujus Conventus fundationibus.

I. Conventui huic mox ab initio ab ipso fundatore tres Coloni donati erant, successu temporis acquisivit alios duos, quos q'^m^ D. Joannes Smolahe eidem donavit hac adjecta conditione, ut Fratres praedictos colonos suae uxori restituant, si illa eam pecuniae quantitatem numeraverit, qua ii appretiati fuerint. Habuit quoque Conventus quinque Vineas, ac totidem faenilia olim sibi â diversis benefactoribus in testamentis relicta vi dispensationis Sixti IV. pro Provincia Bosnae Croatiae, et maximè pro Conventibus Croatiae factae, de qua jam saepius mentio facta est. Dum verò Fratres advenientibus melioris aevi temporibus, et dispulsis ex his partibus Lutheranae perfidiae tenebris, quae Fratribus maximè in colligendis eleemosynis obstitit, aliquantisper respirare coepissent, benefactores etiam videntes eorum indefessum in excolenda Vinea Domini laborem eis ampliores eleemosynas contribuerent, ac majori charitate, et benevolentia prosequerentur, praedicta bona alienata erant, ac pretium inde acceptum pro fabrica Conventus, et Ecclesiae applicatum, retento unico simplici usu (nam omne dominium, et proprietas resignata fuit haeredibus) quorumdam faenilium, ex quibus Conventus per modum purae eleemosynae accipit faenum pro alendis 2. aut 4. bobus, quos Conventus pro conducendis lignis, aliisque eleemosynis necessarios habet. Habet etiam Conventus non procul distantem sylvulam, ex qua in aliqua necessitate, dum â remotiori loco adduci nequeunt, ligna accipit; ordinariè enim ligna Conventus acquirit â vicinis rusticis, qui ea in suis sylvis caedi permittunt, et partim ipsimet ad Conventum perducunt, partim â Conventus animalibus adduci sinunt.

II. Praeter praedicta bona fuit etiam anno 1673. certa possessio dicta Kray legata Conventui â quondam D. Vice-Comite Joanne

Voikovich cum hac onere, ut lampas ante Venerabile Eucharistiae Sacramentum, quod in majori ara reconditum servatur, diu, noctuque ardeat, et quolibet mense pro animabus Purgatorii, signanter pro defunctis familiae Gregoranchianae unum Sacrum legatur, quod magis ex fundationalibus litteris, quas ex Originali desumptas subycio, patebit, quaeque sequentem continent tenorem:

Ego Joannes Voikovich de Klokoch Vice-Comes Comitatus Zagrabiensis notum facio per praesentes litteras meas singulis et universis. Qualiter ego adhuc in anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo non ita pridem praeterito Venerabili Diffinitorio Ordinis Sancti Francisci Minorum Observantium alias Provinciae beatae Mariae Virginis Bosnae Croatiae medio Ad'm Rev'ndi Patris Bonaventurae Ukmar pro tunc Patris Guardiani Monasterii Goricza eorundem Patrum in Berdovacz fundati, humillime supplicaveram in eo, quatenus videlicet idem Venerabile Diffinitorium certam hanc meam infrascriptam eleemosynam, et fundationem quamvis exiguam, pio tamen animo acceptare dignarentur, quam specialiter Ecclesiae Sancti Patri praefati Monasterii Berdovacensis Ordinis eorumdem Patrum Fratrum Franciscanorum apud nos in Goricza fundati, pro oleo ad illuminationem Lampadis coram Venerabili Sacramento in eadem Ecclesia praefati Monasterii ipsorum necessariam, piè in Domino applicare, et conferre statui, prouti postea iterato etiam per Ad'm R'ndum Patrem alterum ibidem Guardianum R'ndum Bonifacium Priuchich eidem Venerabili Diffinitorio idipsum humillime supplicavi. Quam siquidem gratiam excedentem meritum meum apud Venerabile Diffinitorium tam antea, quam postea benigne obtinuissem, ideo et ob hoc ejusdem Monasterii praefatae Ecclesiae Sancti Petri certam unam meam possessionem, quam â Magnifico Domino Joanne Baptista libero Barone â Muskon, alias filio quondam Joannis Jacobi liberi Baronis similiter â Muskon, pro me, ac meis universis utriusque sexus haeredibus, ac legatariis pro placitu meo liberè disponendam penes litteras ejusdem inscriptionales mihi superinde datas perennaliter comparavi, omnino in possessione Kray pri Goriczah in Judicatu de Pushka, pertinentiis arcis Szomszed Vara, et Comitatu Zagrabiensi existente habita (quae videlicet possessio primò egregii olim Francisci Turkovich, ex post vero generosi condam Thomae Mogorich titulo pignoris praefuisset) una cum universis ejusdem possessionis terris, vineis, ac silvis praefato Monasterio propinquis, et circumadjacentibus, simul etiam cum praefatis unis litteris inscriptionalibus memorati Domini Magnifici Joannis Baptistae liberi Baronis â Muskon mihi superinde datis praesentibus adnexis, assumptis in eo super me oneribus more solito, universorum haeredum, consanguineorum, et successorum meorum, mox et ipso facto de manibus meis per manus egregii Gregorii Perkiss, alias pro nunc Syndici Apostolici praefatorum Patrum Fratrum Franciscanorum ejusdem Ecclesiae, et Monasterii ipsorum, ratione ex praemissa apprehendendam, et possidendam sub valore centum tallerorum jure perpetuo tradidi, et resignavi, prouti quoque idem Syndicus eamdem possessionem apprehendisset, tali tamen conditione mediante, ut sempre donec ipsum Mo-

976

nasterium, duraverit, in eadem Ecclesia Sancti Petri ex ista eleemosyna, et fundatione oleum pro illuminatione lampadis procuretur, et ardeat, ac etiam, ut ibidem quovis mense unum Sacrum defunctorum pro animabus Purgatorii, signanter verò pro refrigerio animarum familiae Greguranchiana, tamquam benefactoribus meis, et praedecessorum meorum iidem R'ndi Patres sub vinculo conscientiae ipsorum dicere teneantur, et sint obligati, prouti idipsum ex certa littera authentica A. R. P. Pauli Langer ejusdem Provinciae Ministri Provincialis mihi desuper reciprocè data elicitur manifestè. Hoc quoque per expressum declarato, ne iidem Reverendi Patres Fratres Franciscani, aut Syndicus ipsorum ullo unquam tempore eamdem possessionem alicui alteri dare, vendere, vel â dicta Ecclesia abalienare quovis modo praesumant, aut possint: casu quo verò idipsum facere vellent, aut deberent, ex tunc ego, vel mei haeredes, et posteri utriusque sexûs universi eandem possessionem ipso facto, prouti voluerint, ad se recipere, ac tandem solitum Interesse annuatim sex per centum â praefata Summa Capitali pro dicto oleo ad illuminationem ejusdem lampadis necessario eidem Ecclesiae solvere, et dare tenebuntur, eruntque obligati sub praemisso reciproco vinculo eorumdem Patrum Fratrum Franciscanorum, semper firmo permanente. In cujus rei fidem, perpetuamque firmitatem praesentes meas litteras dictae Ecclesiae Sancti Petri, antelatique Monasterii Patribus Fratribus Franciscanis propria manu mea subscriptas, sigilloque meo usuali roboratas dedi in Curia mea Berdovaczensi Sztuari Duor dicta, die sexta mensis Aprilis anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo tertio.

(L. S.) Idem qui suprà Joannes Voikovich
Vice-Comes Comitatus Zagrabiensis

III. Hanc fundationem de consensu Venerabilis Diffinitorii acceptavit, ac ratam habuit A. R. P. Paulus Langer actualis Min'r Provincialis obligando Conventum, ejusque Superiores ad fideliter adimplenda ea, quae in praecitatis litteris fundationalibus exiguntur, donec praedicta possessio penes Conventum manserit, datis litteris incip. *Ex Religionis Summa virtus est* in Conventu Berdovicensi die 7. mensis Maji 1673. Cum autem Conventus omnia bona immobilia tempore praesertim introductae reformationis ipsis fundatoribus, aut eorum haeredibus resignasset, etiam haec possessio resignata fuit, in cujus vicem, pro manutenenda fundatoris intentione ab haeredibus annuum Interesse pendebatur: successu temporis fuit haec terra cum suis pertinentiis vendita pro f. 500. qui usque ad annum 1760. per diversas manus volvebantur, hoc enim anno Illustrissimus Dominus Joannes Baptista Rauch Vice-banus hujus Conventus Parens Spiritualis, ac omnium Croatiae Conventuum Syndicus Apostolicus, specialissimus Seraphicae Religionis amator, fautor, et Patronus, in subsidium belli

Borussici elocavit, qui adhuc hodiedum una cum legato Sorsiano f. 500. investiti manent apud inclytam Cameram Hungaricam erga annuum â 4. pro cento Interesse.

Caput III.
De Ecclesia, ejus Altaribus, eorumque Consecratione nec non de Confraternitatibus, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De Ecclesia, Aris, earumque Consecratione.

I. R'mus D. Balthasar Kerchelich in hist. Eccles. Zagrab. dicit, quod D. Petrus Silay fundator Conventus Berdovicensis voluerit Ecclesiam Parochialem S. Crucis tamquam sui jure Patronatus ad se spectantem Fratribus Minoribus conferre, et penes eam Conventum pro iisdem construere, quia verò Simon Episcopus huic collationi restitit, aliam Ecclesiam cum Conventu in loco hoc una ferme hora â praedicta Ecclesia distante excitavit in honorem S. Petri Apostolorum Principis, verba D. Kerchelich sic sonant: *Hinc iisdem e Bosnia advenientibus Patribus Petrus Silay, vulgo Selul Parochiam S. Crucis in Berdovacz vigore juris sui patronatus dederat, et ad eamdem primò Ecclesiam eosdem collocaverat, sed quia Simon I. Episcopus Zagrabiensis restitisset, idem Petrus Silay in terreno suo Goriza vocato, districtu eodem Berdovecz an. 1527. pro iisdem Patribus Ecclesiam cum Conventu aedificavit, et posuit, qui Conventus hodiedum Berdovicensis vocatur ab aliquibus, ab aliis autem Goricensis.*

II. Ex supra c. 2. §. 1. n. 2. allato attestato patet, quod Ecclesia haecce consecrata fuerit anno 1527. â quodam Episcopo Zagrabiensi Luca nomine, ex quo sequitur, quod Ecclesia illo anno jam perfecta fuerit, unde dicendum, uti jam superius dictum est, fuisse aedificia inchoata anno 1517. et absoluta anno ┬ […][580] 1727. et tali modo contrariae sententiae concordari possunt. Quamvis verò Simon Episcopus, ut loquitur D. Kerchelich, restitisset, ne Ecclesia Parochialis S. Crucis Patribus Franciscanis traderetur, tamen deinde Fratres aliquo tempore hanc Parochiam administrarunt, ut in alio loco asserit idem D. Kerchelich dicens: *Fratres Parochiam S. Crucis in Berdovacz administrarunt usque ad tempora Benedicti Vinkovich Episcopi Zagrabiensis, mortuo Antonio Vitellio, Parochia S. Crucis unita fuit cum Parochia S. Viti in Berdovacz.* Fuit autem P. Antonius Vitellius Parochus anno 1640. cujus memoria in altari S. Joannis Baptistae ejusdem Ecclesiae relicta est, ubi sequentia leguntur: *Hoc altare erexit Confraternitas S.*

978

Joannis Baptistae ad honorem ipsius anno 1640. R'mo Patre Antonio Vitellio Episcopo Temnensi, Parocho existente O. S. Fr. sub Rectoribus Michaele Utiseuch, Joanne Radakovich, Petro Koblar M. H. pictor V. S. V. Videtur P. Antonius Vitellius anno 1640. factus fuisse Episcopus ex Praesidente Jaskensi, nam hoc eodem anno legitur ibidem fuisse Praesidens die 24. Aprilis.

III. Quia praecitatum instrumentum c. 2. §. 1. n. 2. adductum asserit, Lucam Episcopum Zagrabiensem consecrâsse Ecclesiam Berdovicensem anno 1527. Kerchelich verò ad annum 1500. reponit Lucam Episcopum, qui mortuus est anno 1510. ad annum 1518. collocat Episcopum Simonem Erdödy, qui obiit anno 1543. Dubium oritur, an praedictus Lucas fuerit Episcopus Zagrabiensis, vel potius Suffraganeus? Profectò si calculus Kerchelichianus verus est, et fidem praecitati Instrumenti salvare volumus, omnino dicendum est, praefatum Lucam non fuisse Episcopum Zagrabiensem, sed tantum Suffraganeum Episcopi Zagrabiensis. De aris hujus Ecclesiae nil constat praeter aram majorem S. Petri Apostoli, in cujus festivitate celebrabat Ecclesia patrocinium usque ad annum 1682. Circa hoc enim tempus Ecclesia notabiliter, si non funditus nova aedificata fuit, reparata, et immutata erat, quia nova egebat consecratione, fuit namque consecrata die 6. Septembris anno 1682. â R'mo D. Martino Borkovich Episcopo Zagrabiensi, prout ipsemet testatum reliquit his verbis:

Anno 1682. die 6. mensis Septembris. Ego Martinus Borkovich Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis consecravi Ecclesiam, et Altare hoc in honorem Sanctissimae Virginis Mariae sub titulo Visitationis, et Reliquias Sanctorum Martyrum Primi, Innocentii, et Vitalis in eo inclusi.

IV. Occasionem mutationi Ecclesiae tituli dedit miraculosa statua B. V. Mariae â quodam Patre ex Bosnia fugiente adportata, et in hac Ecclesia collocata, fuit haec statua facta anno 1500. ut haec inscriptio post statuam denotat: *O Maria bitt für Uns 1500.* quae tantis coepit clarere miraculis, ut locus appellari coeperit *Sueta Goricza*, id est *Sanctus monticulus*, et non abs re, nam ut insignes diversis personis praestitas gratias taceam, illud unicum commemorare sufficit, quod contigit in domo Michaelis Sepecz; ea enim cum omnibus in ea contentis anno 1769. igne absumpta tantum duae cartaceae imagines B. V. Berdovicensis in medio flammarum illaesae praeservatae sunt, quae nunc in Ecclesia ex adverso Cathedrae appensae manent cum hac subscriptione: *Anno 1769. die 14. mensis Octobris in Rakovecz trans Sotlam domum Michaelis Sepecz atrox incendium corripuit, et combustis omnibus has duas Marianas Icones intactas reliquit, uti testes jurati, et oculati affirmarunt.* Ad majorem igitur devotionem erga hanc statuam promovendam, ejusque Virginis Matris cultum ampliandum, haec statua ad aram majorem anno 1682. translata fuit, et ab illo anno Ecclesia B. V. Mariae sub titulo Visitationis, quo die etiam nempe die 2. Julii Patrocinium celebratur, nuncupari coepit.

V. Ecclesia post annos circiter 60. denuo ruinam minabatur, unde Patres novam ê fundamentis excitare cogitabant jam anno 1741. ad hoc opus magnifica Domina Stipizin f. 1000. reliquere, verò Ill'mus D. Comes Joannes Franciscus Czikulini contribuere voluerunt, in hunc finem praelaudatus D. Comes cum Aedili die 27. Aprilis anno 1746. contractum iniit. Ast inscrutabili

Dei judicio is ante tanti operis executionem die 29. Junii in festo Ss. Apostolorum Petri, et Pauli anni ejusdem ex hac mortali vita ad perennem patriam praematurè evocatus fuit. Ordinaverat quidem in suo testamento, ut Ecclesiarum aedificia per ipsum coepta perficiantur generalibus illis verbis: *Ecclesia per me erigi coepta, ut iuxta Conventiones consumentur, habere volo, prouti et altaria, ubicumque per me fieri ordinata, ut ad perfectionem deducantur, et ex parata solvantur, habere volo, et ordino*. Quia verò haeres defuncti Comitis Czikulini D. Josephus L. B. Sermage die 2. Novembris anni ejusdem ab intestato obiit, ejus uxor, et filius haeredes ab intestato succedentes tum â Fratribus rogati, tum ab Episcopo moniti praedictam Summam iuxta conventionem cum Architecto factam pendere detrectaverunt, donec anno 1768. circiter jam completo Ecclesiae aedificio per sententiam judicalem compulsi essent ad dandam compactatam Summam.

VI. Anno igitur 1754. die 19. Aprilis sub Guardiano P. Germano Paulitsch fuit primus lapis pro nova Ecclesia Berdovicensi positus cum eleemosyna 1000. f. quos piissima Domina Consors D. Czikulini pro fabrica hujus Ecclesiae legaverat, ante suum ex hac vita transitum â reliqua substantia separaverat, ac in Arce Stubiczensi deposuerat. Corpus Ecclesiae longitudinis 9. orgiarum, latitudinis 5. orgiarum, et 5. pedum anno 1758. perfectum erat cum Ara majori reliqua altaria annis sequentibus cum Cathedra, strato, Organo, Choro, et Sacristia, ac Cryptis addita erant. Cathedra concionatoria facta fuit munificentia Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Josephi Antonii Chiolnich Episcopi Bosnensis anno 1762. [impensis 400. f.][581] appositis ejus Insignibus cum sequenti Chronographica subscriptione:

CVIVs VIDes InsIgne Is MVnIfICè
eXtrVXIt beatae VIrgInIs honorI

VII. Hoc eodem tempore factae sunt omnes Arae novae, quarum sex numerantur, prima est Ara major sub titulo Visitationis Beatissimae Virginis Mariae ex marmore erecta, pro qua Spectabilis, ac Magnificus D. Joannes Baptista Rauch Vice-Banus regnorum Dalmatiae, Sclavoniae, et Croatiae singularis hujus Conventus benefactor 800 f. expendit. *2ᵗᵈᵃ* Ara, et prima lateralis est in honorem S. P. N. Francisci extructa munificentia Spectabilis Domini Georgii Ligutich. *3ᵗⁱᵃ* Ara erecta fuit in honorem S. Joannis Nepomuceni invicti Sacramentalis sigilli assertoris sumptibus Perillustris Domini Alexandri Jellachich. *4ᵗᵃ* Ara est in honoribus S. Antonii de Padua orbis Thaumaturgi extructa â spectabili Domino Joanne Busan. *5ᵗᵃ* Ara in honorem Ss. Trium Regum dedicata, facta est â Nobili Domina Barbara Radivoin nata Boinichiana. *6ᵗᵃ* tandem Ara sub Choro Conventus expensis facta fuit in honorem Beatissimae Virginis dolorosae. Dum igitur circa finem mensis Junii anno 1761. Ecclesia unacum Altaribus suam totalem perfectionem attigisset, eam Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus D. Stephanus Puez, Episcopus Belgradensis, seu Samandriensis, Cathedralis Ecclesiae Praepositus Major, et Canonicus Senior, Protonotarius Apostolicus, Archi-

980

diaconus Gorensis, et Zagoriensis, Prioratus Auranae Gubernator, S. C. R. M. Consiliarius, Abbas S. Margaritae de bella, Excell^{mi}, Ill^{mi}, et R^{mi} D. D. Episcopi Zagrabiensis in Pontificalibus Suffraganeus die 12. mensis Julii una cum omnibus Altaribus solemni ritu consecravit, in eis Reliquias Ss. Martyrum Jucundini, Aurelii et Blandae posuit: Indulgentias visitantibus eam pro die Consecrationis 40. annorum, in anniversario verò 40. dierum, quod futuris annis Dominica ante festum Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli celebrabitur concessit. Tempore pomeridiano confirmationem tenuit, et sequenti die 9. Clericis nostri Ordinis, quatuor minores Ordines est impertitus. Nam solemnitatem Spectabilis D. Joannes Baptista Rauch Parens Spiritualis hujus Conventus, ac Syndicus Apostolicus, multa Nobilitas, ac 4. Parochiae processionaliter advenientes condecorarunt. Antequam Ecclesia consecraretur, fuit anno 1760. die 2. Julii, omni, qua par est, solemnitate translata gratiosa statua B. V. Mariae, ac Arae majori imposita comitantibus processionaliter quinque vicinis Parochiis cum maximo populi Jubilo, ac laetitia.

VIII. Hoc eodem tempore, ut jam insinuatum est, factae erant etiam per Ecclesiam 10. Cryptae, quarum *1ma* est in Sacrario ante portam Sacristiae ex parte Epistolae spectans ad Conventum. *2da* est ex parte adversa penes sedilia spectans ad Familiam Kerchelichianam. *3^{tia}* in medio Sacrarii sita inservit pro tumulandis Fratribus nostris, ad quam post ejus erectionem omnia ossa defunctorum Fratrum translata sunt. *4ta* huic contigua ex parte Evangelii est familiae Rauchianae, in qua reconditus quiescit Spectabilis, ac Magnificus D. Joannes Baptista Rauch Parens Spiritualis cum sua consorte Catharina. *5ta* ante Aram S. Francisci est familiae Hadrovichianae. *6ta* ante Aram S. Joannis Nepomuceni est familiae perillustris Domini Alexandri Jellachich. *7ma* ante Aram S. Antonii Patavini est pro sepeliendis personis Nobilibus, qui proprias Cryptas non habent. *8va* ante Aram Ss. Trium Regum est pro iisdem Nobilibus. *9na* sub Choro ex parte Epistolae est honesti viri Joannis Boranich, ac fratris ejusdem. *10ma* sub Choro ex parte Evangelii est Conventus pro sepeliendis rusticis. Extra Ecclesiam ex parte occidentali est commodum Coemeterium, in quo ferme omnes plebaei homines, qui in vicinitate moriuntur, sepeliri consueverunt. Epitaphium unicum prostat penes Aram majorem ex parte Epistolae q^{m} D. Martini Mogorich cum sequenti inscriptione: *Nobili, ac Generoso Domino Martino Mogorich Augustissimi Caesaris Ferdinandi III. Praesid. Ogulin. Capitaneo, fortissimo Heroi, sub monte Perovicza decapitato I. ……R. suus egregius Michael Vernich fieri fecit 10. Octobris 1679.* NB. litterae inter I. et R. legi non poterant, cum lapidis pars illa abrasa sit. Haec de Ecclesia Conventus Berdovi[c]ensis[582] ex Protocollo ejusdem erui licuit.

§. II.
De Confraternitatibus, et aliis piis exercitiis.

I. Duae in Ecclesia Berdovicensi canonicè erectae reperiuntur Confraternitates, una S. Antonii de Padua, altera Sanctissimi Scapularis B. V. Mariae de Monte Carmelo. Confraternitas S. Antonii erecta fuit anno 1672. auctoritate Clementis X. quod constat ex ejusdem Bulla, quam ex Originali adduco, et est hujus tenoris:

CLEMENS P. P. X.

Ad perpetuam rei memoriam

Cum, sicut accepimus, in Ecclesia Sanctorum Petri, et Pauli Domus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Oppidi Berdoacensis Zagrabiensis Dioecesis una pia, et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub invocatione S. Antonii de Padua, non tamen pro hominibus unius specialis artis canonicè erecta, non seu erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores quamplurima charitatis, et pietatis opera exercere consueverunt. Nos, ut Confraternitas praedicta majora indies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam: ac eisdem nunc, et pro tempore existentibus Confratribus, et Consororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam: nec non tam eisdem descriptis, quam pro tempore describendis in ista Confraternitate Confratribus, et Consosoribus verè similiter paenitentibus, ac confessis, ac eadem Sacra Communione refectis, qui Confraternitatis praedictae Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium die festo Sanctorum Petri, et Pauli Apostolorum â primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac eadem Sacra Communione refectis, Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium hujusmodi in S. Josephi, ac Sanctorum Simonis, et Judae, et Sancti Jacobi Apostoli, nec non

982

Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae festis diebus visitantibus, et, ut praefertur, orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas: Quoties verò Missis, et aliis divinis Officiis in dicta Ecclesia, vel Capella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, et recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum dictae Confraternitatis, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti campanae ad id signo dato semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, et Salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissis peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint. Utque, si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, priores, et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VII. Januarii MDCLXXII. Pontificatus nostri anno secundo.

J. C. Slusius

II. Idem Clemens X. Pontifex Maximus concessit pro Confratribus, et Consororibus defunctis Confraternitatis S. Antonii Aram ejusdem Sancti privilegiatam ad septennium (obinde quolibet septennio est renovanda) infra octavam Commemorationem omnium fidelium defunctorum, et pro feria secunda cujuslibet hebdomadae suis litteris incip. *Omnium Saluti* dat. Romae die 8. Januarii 1672. Innocentius verò XI. suis litteris incip. *Ad augendam* de dato Romae die 18. Junii 1683. pro festis Visitationis, et Annuntiationis B. V. Mariae concessit pro omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, qui confessi, ac Sacra Communione refecti Ecclesiam visitaverint, et ibidem oraverint, Indulgentiam plenariam ad septennium.

983
N'o 42.

III. Altera Confraternitas B. V. Mariae de Monte Carmelo introducta, et erecta fuit die 19. Septembris anno 1762. auctoritate R'mi Patris Philippi â Sancto Francisco Praepositi Generalis Carmelitarum Discalceatorum de licentia Ordinarii, prout ex litteris ejusdem P. Generalis (in quibus Indulgentiae, gratiae Spirituales, et privilegia comprehensa legere est) ex Originali desumptis clarius patet, quae hunc continent tenorem:

FR' Philippus â S. Francisco Praepositus
Generalis Carmelitarum Discalceatorum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Congregationis Sancti Eliae.

Cum inter caetera Sacra nostrae Religioni â Sede Apostolica liberaliter concessa, et perpetuis temporibus valitura privilegia, per Breve Pauli V. fel. record. *Cum certus* etc. datum sub annulo Piscatoris die 30. Octobris anno 1606. Praeposito Generali praedictae Congregationis nostrae, vel in ejus absentia suo Vicario indulta sit facultas Confraternitatem Sacri Scapularis sub invocatione beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo ubivis locorum extra Urbem instituendi, et erigendi, omnesque Indulgentias, et gratias praefatae Confraternitati concessas, servata forma in Constitutione fel. record. Clementis Papae VIII. *Quaecumque* etc. data 7. Decembris 1604. communicandi: Hinc nos ad instantias nobis porrectas inclinati, auctoritate et vi praecitatae Bullae, hujusmodi Confraternitatem beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo in Ecclesia Berdovicensi R. R. P. P. Franciscanorum Dioecesis Zagrabiensis vigore praesentium nostrarum litterarum patentium erigimus, et instituimus, omnesque, ac singulas Indulgentias, et gratias eidem Confraternitati hactenus concessas, et in subjecto Summario contentas, plenariè communicamus.

Summarium Indulgentiarum, et gratiarum Archiconfraternitatis S. Scapularis â S. Congregatione Indulgentiarum die 22. Martii a. 1676 approbatum, et Bullario Ordinis part. 2. pag. 600. insertum.

Indulgentia plenaria sub conditione sacramentaliter confitendi, Sacram Eucharistiam sumendi, et preces fundendi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

1mò Die illa, qua quis recipiendo habitum Sacri Scapularis Confraternitatem ingreditur. Videatur infra littera *A*.

2dò In festo principali die 16. Julii, quod festum etiam dominica infra Octavam, aut alia Dominica ejusdem mensis cum processione solemniter celebrari valet. Vid. inf. lit. *A*. et *B*.

3tiò In una Dominica cujuslibet mensis sub conditione assistendi solitae processioni, qut qui assistere non valent, visitandi Capellam Confraternitatis, vel qui neutrum valent, recitandi Officium parvum Beatissimae Virginis Mariae, aut quinquaginta *Pater*, et *Ave*. Lit. *A.* et *B*.

984

4tò In mortis articulo ad devotam Sanctissimi Nominis Jesu, et Mariae invocationem ore, aut saltem corde. Lit. *A.*

Indulgentia 7. annorum, et totidem quadragenarum in una Dominica cujuslibet mensis, in qua solita processio ob causam rationabilem haberi nequit, visitando Ecclesiam, aut Capellam Confraternitatis. Lit. *E.*

Indulgentia 5. annorum, et 5. quadragenarum, comitando Sanctissimam Eucharistiam, dum ad infirmos quoscunque defertur, et pro iisdem infirmis Deum orando. Lit. *A.*

Indulgentia trium annorum, et totidem quadragenarum in festis B. V. Mariae, et in Ecclesia, vel Sacello Confraternitatis confitendo, et Sanctissimam Eucharistiam sumendo. Lit. *A.*

Indulgentia 300. dierum abstinendo ab essu carnium diebus Mercurii, et Sabbatis.

Indulgentia centum dierum *1mò* sociando sepulturas, et pro defunctis orando. *2dò* recitando Officium parvum B. Virginis Mariae. *3tiò* In Ecclesia, vel Capella Confraternitatis assistendo Missis, aut Officiis pro tempore ibidem celebrandis. *4tò* recipiendo pauperes hospitio, aut eorum necessitates sublevando, vel etiam auxiliando existentibus in periculo peccandi. Pacem cum inimicis propriis, vel alienis componendo. Devium aliquem in viam Salutis reducendo. Ignorantes Dei praecepta, vel alia proficua ad Salutem docendo, aut aliud pietatis, vel charitatis opus exercendo. Lit. *A.*

Indulgentia quadraginta dierum qualibet die recitando septies Pater, et Ave in honorem septem gaudiorum B. V. Mariae.

Notandum: Omnes recensitas Indulgentias pro animabus Purgatorii per modum suffragii posse applicari. Lit. *B.*

Aliae gratiae.

1ma Participatio Spiritualis omnium bonorum Spiritualium non solum totius Ordinis Carmelitani, sed etiam universalis Ecclesiae. Lit. *C.*

2da facultas in articulo mortis recipiendi absolutionem generalem cum plenaria Indulgentia â Confessario habente licentiam exercendi munera Confraternitatis, aut in hujus defectu â quocunque alio ab Ordinario approbato. Lit. *C.*

3tia facultas audiendi, aut celebrandi Missas (januis tamen clausis, et sine pulsu campanae) item gaudendi sepultura Ecclesiastica tempore interdicti, dummodo non subsit data causa ipsi interdicto. Lit. *C.*

4ta Privilegiorum Bulla Joannis XXII. quae Bulla Sabbatina nuncupatur. Lit. *D* de quo privilegio vide insuper sequens.

Decretum Sancti Officii Inquisitionis Generalis sub Paulo V.

Patribus Carmelitis permittitur praedicare, quod populus Christianus possit piè credere de adjutorio animarum Confratrum Sodalitatis B. V. Mariae de Monte Carmelo videlicet: Beatissimam Virginem animas eorumdem post eorum transitus praecipuè die Sabbathi adjuturam. Die 5. Feb. anno 1613.

Bullae, ex quibus supradicta sunt extracta

A. Pauli V. *Cum certus* 30. Octob. 1606. *Piorum hominum* 31. Aug. 1609. et *Alias volentes* 2. Januarii 1614.
B. Clementis X. *Cum sicut* 2. Januar. 1672. et *Commissae Nobis* 8. Maji 1673.
C. Clementis VII. *Ex Clementi* 12. Augusti anno 1530.
D. Joannis XXII. *Sic mihi* 3. Martii 1322. Alexandri V. S. Pii V. *Superna dispositione* 18. Feb. 1566. et Gregorii XIII. *Ut laudes* 18. Sept. 1576.
E. Clementis XI. *Exponi Nobis* 10. Aprilis 1713.

Obligationes Confratrum ad supradicta consequenda.

1ma Ut quis S. Scapulare â Sacerdote deputato cum solitis caeremoniis recipiat.
2da Ut illud semper super humeros portet, et si fuerit attritum, aliud sive benedictum, sive non benedictum absque alia nova caeremonia assumendum est.
3tia Ut nomen Confratris Albo Confraternitatis insertum sit.

Obligationes particulares pro consequendo privilegio Bullae Sabbathinae

1ma Ut servetur Castitas secundum proprium cujusque statum.
2da Ut scientes legere, quotidie recitent Officium parvum beatae Virginis Mariae in Breviario Romano appositum: nescientes verò legere diebus Mercurii, et Sabbathi abstineant ab esu carnium, excepto die Natalis Domini. Ob justam tamen causam Confessarius habens authoritatem exercendi Confraternitatis munera, in aliud pium opus commutare potest.

Restringimus autem ejusdem institutionis, et erectionis effectum ad sequentes conditiones *1mò* ut accedat consensus R'mi, et Ill'mi Domini Ordinarii. *2dò* Ut eadem Confraternitas in eo loco, vel intra distantiam trium milliarium non sit erecta. *3tiò* Ut non sit impedimentum, quo minus in eo loco, vel intra dictam distantiam Conventus nostri valeant fundari: et in tali casu Confraternitas â nobis erecta cum omnibus suis bonis ad Ecclesiam nostram transferatur, super quo praevie publicum fiat instrumentum. Porro Superiori, aut Parocho ejusdem Ecclesiae pro tempore, et in illorum defectu alteri ab iisdem de signando, concedimus facultatem parva Scapularia coloris tanei benedicendi, et imponendi, atque moribundis Confratribus absolutionem generalem, et plenariam Indulgentiam impertiendi, protestantes, ne pro his quaestus, aut lucrum fiat. In horum omnium fidem praesentes litteras manu propria, et Secretarii subscriptas dedimus, atque Ordinis nostri sigillo munitas ad arbitrium nostrum, et Successorum nostrorum duraturas expediri mandavimus.
Romae die 20. Februarii anno 1762.

Fr' Philippus â S. Francisco
(L. S.) Praepos.
Fr' Joseph â S. Elia Secret.

986

1762. 8. Augusti. Praesentes nobis exhibitae pro Dominica post Novilunares promulgandae conceduntur.

Georgius Reess Cust. et Vicar. Gn'lis

IV. Eodem anno 1762. ut devotioni populi omnibus diebus Dominicis, et festivis, praesertim verò diebus Dominicis Scapularisticis ad hunc locum concurrentis satisfieret, M. V. P. Adamus Kobler pro tunc Conventûs Guardianus humillimas Officio Episcopali Ecclesiae Zagrabiensis porrexit preces, quatenus id dignaretur pro majori populi commoditate, et facilius obtinenda processioni annexa Indulgentia plenaria concedere facultatem ducendi processiones Scapularisticas extra Ecclesiam, per territorium tamen Ecclesiae. Ad hanc supplicationem P. Guardianus sequens favorabile tulit responsum: *1762. 26. Augusti. Gratia intus petita pro singula Dominica immediate Novilunarem sequente sub conditionibus, et clausulis per Clementem XII. praescriptis conceditur.*

Georgius Reess Cust. et Vicar. Gn'lis

V. Dum anno 1761. nova Ecclesia facta fuisset, etiam nova Via S. Crucis, quae â Vicino populo sedulè frequentatur, erecta fuit. Praeter Confessiones saepius in anno in domestica Ecclesia in magno numero ad hanc Gratiarum Matrem concurrentis populi tam ex Sclavonia, Croatia, quam Styria, et Carniolia, saepius Sacerdotes in subsidium vicinorum evocantur Parochorum praesertim tempore Paschali, ita, ut subinde vix aliqui senes domi pro recitando Divino Officio remaneant. Insuper ad requisitionem D. D. Parochorum ex hoc Conventu Religioni non tantum infirmis et moribundis assistunt, sed etiam eisdem ultima Sacramenta, puta Paenitentiae, Sanctissimae Eucharistiae, et extremae unctionis administrant: saepiusque per nives, pluvias, et lutum non tantum ad Parochias Berdovicensem, Sanctae Annae, et Puschensem in Sclavonia, sed etiam ad Dobovensem, et Pischezensem in Styria excurrere debent.

Caput IV.
Catalogus Fratrum (qui resciri poterant) in hoc Conventu pie in D'no defunctorum.

1664. 18.[583] Sept. M.V.P. Emericus Mikolitsch Vic. act. an. Rel. 14.
1678. 27. Avg. M.V.P. Dominicus Krallizh Con'or, et act. Guard. an. 26. Rel. 8.
1679. 20. Oct. M.V.P. Jo. Baptista Magnetich Gu. an. 40. Rel. 21.

1680. 9. Dec. Rel. Fr' Marianus Krail laic. Lab. an. Rel. 26.
1694. 22. Apr. V.P. Antonius Hervath ann. 37. Rel. 18.
1695. 4. Maji R.P. Maxentius â Castua Con'or, saep. Guard. bis Diff. et Ex-Custos ann. Rel. 54.
…… 24. Nov. Rel. Fr' Bartholomaeus Mulitsch laic. an. 49. R. 29.
1697. 11. Dec. Rel. Fr' Laurentius Perdich laic. Neost. an. 53. R. 26.
1702. 3. Jan. Rel. Fr' Lactantius Rubida laic. Oberburg. an. 60. R. 43.
1704. 10. Maji Rel. Fr' Martinus Schmid laic. an. 45. Rel. 19.
1705. 25. Feb. M.V.P. Franciscus Kimerle saepius Guard. et Vic. act. ann. 63. Rel. 44.
1707. 1. Feb. Rel. Fr' Thomas Perko laic. Vipacen. an. 37. Rel. 10.
…… 13. Sept. Rel. Fr' Simon Knopff laic. an. Rel. 20.
1709. 6. Feb. Rel. Fr' Petrus Paver laic. Hamburg. an. 51. Rel. 32.
1710. 15. Mart. V.P. Nicolaus Liebel ann. Rel. 21.
…… 2. Aug. V.P. Bonagratia Schrott Bav. Monacens. an. 45. Rel. 25.
1725. 30. Jan. Rel. Fr' Massaeus Schmid laic. ann. 63. Rel. 40.
1726. 25. Oct. V.P. Albanus Karner Carint. Clagenf. ann. Rel. 14.
1728. 2. Jan. Rel. Fr' Juniperus Frey Bavar. ann. Rel. 46.
1729. 8. April. M.V.P. Bernardinus Purger Con'or, et lect. Clagen. ann. 37. Rel. 19.
…… 15. Octob. V.P. Ladislaus Tiquich Croat. Berdov. Con'or ann. 75. Rel. 54. fuit Mission. in Lika, et Corbavia.
1733. 1. Jan. Rel. Fr' Georgius Gomenez laic. Carlost. an. Rel. 36.
1735. 21. Jul. V.P. Julianus Brayer laic. Lab. ann. 26. Rel. 7.
1737. 18. Feb. V.P. Elzearius Lucich Flumin. ann. 39. Rel. 19.
1738. 24. Jan. VP. Illuminatus Pluem Lab. ann. 42. Rel. 23.
…… 7. Mart. Rel. Fr' Julianus Luderbanck ann. 52. Rel. 24.
…… 4. Nov. M.V.P. Albinus Portner Lab. ann. 56. Rel. 40.
1743. 6. Jan. Rel. Fr' Andreas König laic. Carn. ann. 43. Rel. 15.
…… 12. Jan. V.P. Bonaventura Schmrezhnig Camnic. an. 52. Rel. 35.
1744. 3. Oct. V.P. Matthaeus Kenth Camnic. Conc. et Vic. act. ann. 46. Rel. 25.
1745. 31. Jan. Rel. Fr' Simon Kaltschitsch laic. Lab. ann. 56. Rel. 32.
1746. 8. Decemb. V.P. Michael Samenich Dalmat. Carlobagensis ann. 28. Rel. 9.
1749. 1. Jan. V.P. Albanus Krenninger Conc. Flumin. ann. 33. Rel. 16.
1754. 7. Oct. Rel. Fr' Pacificus Amorth laic. Tyrol. an. 50. Rel. 24.
1755. 24. April. V.P. Ludovicus Rambschisel â S. Martino ann. 47. Rel. 31.
1756. 29. Jan. Rel. Fr' Lucas Riedel laic. Bavar. an. 85. Rel. 50.
…… 24. Feb. V.P. Anicetus Marchiolli ex Collibus ann. 52. Rel. 28.
1758. 10. Mart. Rel. Fr' Mathias Arch laic. Styr. an. 57. Rel. 32.
1762. 23. Jun. V.P. Justinianus Piuk Carn. Idriens. an. 48. Rel. 29.

988

1763. 2. April. Rel. Fr' Matthaeus Hilleprand laic. Lab. ann. 63. Rel. 43.
1764. 27. Feb. M.V.P. Alanus Bauzher Ss. Theol. lect. saep. Guard. ann. 58. Rel. 42.
1765. 8. Jun. V.P. Bernardus Pochlin Org. Camnic. ann. 65. Rel. 45.
1768. 25. Jul. V.P. Alphonsus Plavez Styr. ann. 38. Rel. 18.
1771. 11. Feb. V.P. Damascenus Staver Conc. ann. 61. Rel. 43.
1775. 25. Aug. V.P. Cyrinus Reitterer Styr. ann. 69. Rel. 47.
1776. 13. Nov. V.P. Caecilianus Loqueil Bohem. ann. 49. Rel. 23.
1777. 28. Dec. Rel. Fr' Ubaldus Jamoviz laic. Lab. an. 47. Rel. 25.
1778. 19. Nov. M.V.P. Fortunatus Dollenz Carn. Lab. Con'or ann. 57. Rel. 38.
…… 30. Dec. V.P. Albertus Kallan Carn. Locop. an. 47. R. 28.
1779. 27. Jul. Rel. Fr' Hermenegildus Embner laic. Bav. ann. 60. Rel. 37.
1780. 27. Feb. V.P. Porphyrius Kallan Carn. Locop. ann. 51. Rel. 32.
1781. 12. Apr. Rel. Fr' Daniel Thamar Ven. laic. an. 72. Rel. 49.
…… 27. Oct. MVP. Adamus Kobler Con'or, Carn. Eisnerens. Ann. 70. Rel. 47.
1783. 11. Apr. Rel. F. Prothasius Hueber laic. ann. 63. Rel. 42.
…… 4. Aug. Rel. F. Michael Debellak Carn. Tert. an. 33. Rel. 8.
…… 24. Dec. Rel. Fr' Leopoldus Hueffschmid laic. Chyr. eximius, Suevus Schwarzwaldens. an. 64. Rel. 39.
1784. 11. Feb. Rel. Fr' Mennas Weigl laic. Hort. Bavarus Ratisbon. ann. 51. Rel. 29.
1786. 4. Sept. Rel. Fr' Arsenius Höss Suev. Füssen. laic. Chyr. ann. 44. Rel. 21.
…… 24. Nov. RP. Rolandinus Vidkovich Croat. Carlost. Con'or, et actualis Guard. ann. 55. Rel. 37.

Caput V.
Elenchus P. P. Praesidentum, et Guardianorum (quorum notitia haberi potuit) Conv. Berdovicensis.

Praesidentes

M.V.P. Laurentius Zerniar 1618. 1619. 1620.
M.V.P. Thomas Geuschitsch 1621. 1622. 1623. 1632.
A.V.P. Alexander Rampel Diff'or act. 1639. 1640.
M.V.P. Thomas Geuschitsch el. 9. Julii 1640. 1641.
M.V.P. Clemens Janeschitsch 1642. 1643. 1644.
M.V.P. Seraphinus Koss 1645. 1646. 1647.
M.V.P. Petrus â Flumine lect. 1648. 1649.
M.V.P. Benignus Decolaris 1650.
A.V.P. Joannes Baptista Millosich Diff'or act. 1651. 1652.
M.V.P. Maxentius â Castua Con'or 1653. 1654. 1655.
M.V.P. Ignatius Mogorovich 1656. 1657. 1658.

Guardiani

M.V.P. Antonius Radich 1659. 1660.
M.V.P. Bonaventura Ukmar Con'or 1661. 1662. 1663.
M.V.P. Bonaventura Novak Con'or 1664. 1665.
M.V.P. Bonaventura Ukmar Con'or 1666. 1667.
M.V.P. Paulus Flessar Con'or 1668.
M.V.P. Bernardus Bandar Con'or 1669.
A.V.P. Bonifacius Priuchich lect. Con'or Gn'lis Ex-Diff'or 1670. 1671. 1672.
M.V.P. Balthasar Mussich Con'or, lect. Theologus 1673. 1674. 1675.
M.V.P. Paulus Faustinger Con'or, lect. 1676.
M.V.P. Hyacinthus Castelz Con'or 1677.
M.V.P. Dominicus Kralich Con'or 1678.
M.V.P. Paulus Faustinger Con'or, lect. Theologus 1679. 1680. 1681.
M.V.P. Joachimus Perger Con'or 1682.
M.V.P. Paulus Faustinger Con'or, lect. Theologus 1683.
M.V.P. Franciscus Kimerle 1684. 1685.
M.V.P. Chrysostomus Perdan Con'or 1686.
M.V.P. Henricus Bukovich Con'or 1687.
A.V.P. Bonifacius Priuchich Con'or, lect. Gen. Ex-Diff'or 1688. 1689. 1690.
M.V.P. Bonaventura Metternich 1691. 1692.
M.V.P. Wenceslaus Muchich el. 29. Mart. 1693.
M.V.P. Chrysostomus Perdan Con'or 1693. el. 26. Nov.
M.V.P. Wenceslaus Muchich 1694. 1695.
M.V.P. Georgius Lucich Con'or 1696. 1697.
A.V.P. Henricus Fabiani Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1698. 1699.

990

M.V.P. Martinianus Schabiekar 1700.
M.V.P. Wenceslaus Muchich 1701. 1702.
M.V.P. Josephus Radovich 1703.
M.V.P. Wenceslaus Muchizh 1704. 1705. 1706.
M.V.P. Vitus Juriavitsch Con'or, lect. Theol. 1707.
M.V.P. Wenceslaus Muchizh 1708. 1709. 1710.
M.V.P. Dominicus Pillepich Con'or 1711.
M.V.P. Timotheus Gollobich 1712.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1713.
M.V.P. Wenceslaus Muchizh 1714. 1715. 1716.
M.V.P. Didacus Thorri 1717.
M.V.P. Georgius Lucich Con'or Gn'lis 1718. 1719. 1720.
M.V.P. Servulus Callin Con'or, lect. Theol. 1721.
M.V.P. Didacus Thorri Con'or 1722.
M.V.P. Aloysius Valvasor Con'or 1723. 1724.
M.V.P. Servulus Callin Con'or, lect. Theol. 1725. 1726.
M.V.P. Franciscus Corradini Con'or, lect. Theol. 1727.
M.V.P. Raphael Kovatschitsch 1728.
M.V.P. Urbanus Nusdorffer 1729.
M.V.P. Servulus Callin Con'or, lect. Theol. 1730.
M.V.P. Deodatus Zhebul Con'or, lect. 1731.
M.V.P. Hyacinthus Snediz Con'or, lect. 1732.
M.V.P. Romanus Schustertschitsch Con'or 1733.
M.V.P. Gelasius Pauletig Con'or 1734.
M.V.P. Paschalis Novak Con'or 1735.
M.V.P. Fructuosus Karlin Con'or 1736. 1737. 1738.
M.V.P. Gelasius Pauletig Con'or 1739. 1740. 1741.
M.V.P. Fructuosus Karlin Con'or el. 18. Nov. 1741. 1742. 1743.
M.V.P. Ludovicus Plauzhoffen Con'or 1744.
M.V.P. Alanus Bauzher Con'or lect. Theol. 1745. 1746. 1747.
M.V.P. Cyprianus Cyganich Con'or, lect. Gn'lis 1748. 1749.
M.V.P. Felix Rosencranz Con'or 1750.
M.V.P. Germanus Paulitsch Con'or 1751. 1752. 1753.
M.V.P. Polycarpus Marchiolli Con'or 1754.
M.V.P. Narcissus Kuss Con'or, Ss. Theol. lect. 1755. 1756. 1757.
M.V.P. Reginaldus Franz Con'or 1758. 1759. 1760.
M.V.P. Adamus Kobler Con'or 1761.
M.V.P. Reginaldus Franz Con'or 1762. 1763. 1764.
M.V.P. Lambertus Fabian Con'or, Ss. Theol. lect. 1765.
M.V.P. Wilhelmus Sumreg Con'or 1766. 1767. 1768.
M.V.P. Gallus Michelitsch Con'or lect. Gen'lis 1769. 1770. 1771.
M.V.P. Severus Sever, Con'or 1772.

M.V.P. Maximus Selderer Con'or 1773.
M.V.P. Gelasius Vosich Con'or, lect. Gn'lis 1774.
M.V.P. Engelbertus Arnold Con'or 1775.
M.V.P. Bertrandus Prettner 1776. 1777.
M.V.P. Andreas Hualle Con'or 1778. 1779.
MVP. Sigismundus Sallacher Conc. lect. Thl'gus 1780.
MVP. Generosus Spek Con'or 1781.
MVP. Erenfridus Gnad Con'or lect. G'lis 1782.
MVP. Ladislaus Gollobich Con'or 1783.
R.P. Rolandinus Vidkovich Con'or 1784. 1785. 1786.
R.P. Macedonius Grabrich Con'or 1787. 1788. usque diem 7bris 1789, quo Conventus suppressus fuit.[584]

Sigillum

Conventus Berdovicensis praesefert figuram Beatissimae Virginis Mariae Sanctam Elisabeth visitantis cum hac orbiculari inscriptione: SG. CON. BERD. ORD. MIN. REF.

4. Xbris 1779.

992

XI. CONVENTUS ad B. V. Mariam ab Angelo Salutatam CLANICII In Regno Sclavoniae.

Caput I.
De loco Clanicensi, de Conventus aedificatione, ejusque restaurationibus.

I. *Clanicium*, Croatis *Klanac, Klanz,* vel *Klanicz* oppidum est in Regno Sclavoniae, in Dioecesi Zagrabiensi, Comitatu verò Varasdinensi situm in confinibus inferioris Styriae, â qua per fluvium *Szutla*, seu *Sotla,* â quo nec media hora distat, separatur, in districtu Inclytae familiae Erdoedianae sub Dominio Czesarvariensi (germanis Kaysersberg) olim ad Ordinem Templariorum, nunc ad praedictam familiam spectant. Fuit olim in hoc Oppido Ecclesia cum Coemeterio S. Leonardo sacra juris Patronatus Familiae Erdoedianae. Hanc Ecclesiam Illustrissimi Domini Comites Sigismundus, et Nicolaus Erdoedy anno 1630. consignarunt A. R. P. Michaeli Chumar Ministro Provinciali Provinciae Bosnae Croatiae cum certa spe aedificandi Conventûs, prout etiam illum multis bonis, et redditibus locupletarunt. Porro litterae fundationales praedictorum Comitum ex Originali desumptae hujus sunt tenoris:

Nos Comites Sigismundus Erdeody de Monyorokerek, Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Comes perpetuus, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banus, Sacratissimae Caesareae, Regiaeque Majestatis Consiliarius, Cubicularius, ac Confiniorum Collapianorum praefati Regni Sclavoniae Supremus Capitaneus: Et Nicolaus Erdeody de eadem Monyorokerek dicti Montis Claudii Comes perpetuus, praefataeque suae Sacratissimae Caesareae, et Regiae Majestatis Cubicularius, et certorum Equitum exercitus banalis Capitaneus dicimus, et fatemur per praesentes, quomodo Nos in honorem Seraphici Sancti Francisci Claustrum Ordinis ejusdem Fratrum Minorum Observantiae in Oppido nostro Klaniecz sub castro Czaszarvara propriis nostris curis, et laboribus erigendum, et aedificandum promiserimus, et obtulerimus, prout promittimus, et offerimus praesentium per vigorem. Datum in Arce nostra Czaszarvara in festo S. Blasii Episcopi. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo trigesimo.

Comes Sigismundus Erdeody. (L. S.)
Comes Nicolaus Erdeody. (L. S.)

II. Quod praetitulati Domini Comites juxta suam promissionem, Conventum jam anno 1630. aedificare coeperint, ex eo dignoscitur, quia Conventus jam anno 1632. ad tantam perfectionem pervenit, ut in eo aliquot Fratres collocarentur; legitur enim in authenticis Diffinitorialibus Actis, quod in Capitulo Provinciali Labaci die 17. Octobris anno 1632. celebrato positus fuerit primus Praesidens P. Franciscus Tremaninus Ex-Diffinitor. Quamvis verò anno 1632. Religiosi Clanicii suum domicilium fixerint, non tamen ad eam normam pervenit, ut Conventus formalis nominari possit, quia primò anno 1658. primus Guardianus ibidem institutus legitur, imo nec anno 1677. Conventus suam plenariam assecutus est perfectionem, ut desumitur ex quodam Diffinitoriali Decreto ex Congregatione intermedia Nazarethi die 6. Maji anno praedicto lato hujus tenoris: *A. R. P. Ministro Provinciali conceditur potestas nunc pro tunc, quando ad perfectionem Conventus Clanicensis perveniet, Novitiatum Neostadiensem cum Magistro, et Novitiis transferendi.* An verò jam hoc anno Conventus ad perfectionem pervenerit, et Novitiatus ad eum translatus fuerit? nil certi prostat, id certum est, fuisse ibidem anno sequenti 1678. Novitiatum institutum sub Magistro P. Gregorio Oman.

III. An verò aedificium anno 1677. perfectum, ut mox insinuavi, sit censendum aedificium primum anno 1630. inchoatum, vel verò aedificium jam aliud? dubius haereo. Quod enim aedificium primum anno 1644. nondum perfectum fuerit, patet ex quadam Diffinitoriali decisione, vi cujus Praesidenti Clanicensi P. Dionysio Ivankovich admissum fuit, ut, si sex cellas perfecerit, habeat votum in futuro Capitulo. Quod verò anno 1677. jam aliud aedificium ad perfectionem deductum fuerit, desumi videtur ex quadam epistola de anno 1651. (quo anno de novo aedificando Conventu agebatur) P. Michaelis Noyse pro tunc Praesidentis, ubi ait: Dominos Comites se obligâsse ad Conventum de fundamentis erigendum, cujus aedificii tunc fundamenta jam jacta fuisse commemorat. Sed quî fieri potuit, ut Conventus intra 21. annum ad tantam ruinam deveniat, ut novis fundamentis egeat? nisi fors dicere mavis, quod Conventus per aliquod incendium adeo destructus fuerit, quod tamen nullibi reperire est, praeterquam in quodam Manuscripto P. Casimiri Schlattner, qui dicit, hunc Conventum anno 1616. jam tertiò in favillam abiisse. Salvo meliori, et saniori judicio judicarem Conventum ad annum 1651. nec igne absumptum, quia ignis fundamenta non absumit, nec adeo ruinosum fuisse, ut novis fundamentis, si caeteroquin fundamenta lutea fuisse non fingas, indigeret, sed eum ampliatum tantum fuisse, quia primus non erat capax tot Religiosis capiendis, quot ad Religiosam Communitatem constituendam desiderantur, pro qua ampliatione necessum erat nova fundamenta ponere.

IV. Dies 31. Martii 1716. infaustissima fuit huic Conventui: eo enim anno, et die sub Provincialatu A. R. P. Coelestini Stuedler, et locali gubernio P. Mauritii Bobner Ex-Diff'oris exorto in vicina domo casuali incendio etiam Conventus suum vidit exitium, qui una cum Oppido voracis

994

flammae impetu brevi absumptus fuit excepto tractu Sacristiam versus. In hoc incendio omnes ferè perierunt Scripturae fundationales, aliaque litteralia documenta, unacum tecto Ecclesiae, ac Ecclesiastica suppellectile. Quamvis verò haec strages Patres ingenti affecerit dolore, misericors tamen Deus maestissimos servos suos dup[p]lici,[585] ut ita dicam, miraculo consolari voluit, dum binas Imagines cartaceas[586] unam Beatissimae Virginis Tersactensis (de qua sermo factus est, dum de eo Conventu historiam texui), alteram S. Antonii Patavini Clanicii magno populorum concursu frequentati (de qua infra) in medio flammarum illaesas conservare dignatus est.

V. Cum incendium hocce Religiosos suo domicilio privâsset, erat studium Philosophicum, quod tunc hic viguit translatum ad Conventum Tersactensem, una cum studentibus, et Lectoribus actualibus Patribus Sigismundo Skerpin, et Casparo Pasconi, ubi perduravit, donec Conventus restauratus fuisset. Facta hac per incendium praedictum strage, Patres nullam perdebant operam, ut Conventum, et Ecclesiam, ne majori subessent ruinae, quantocius repararent, unde plurium benefactorum aures pulsare oportuit, quos etiam valde beneficos, praesertim verò Illustrissimos Dominos Comites Erdeody Czaszarvarienses, et Novae Curiae Dominos tamquam hujus Conventus fundatores experti sunt: acquisito opportuno auxilio Conventus reparari coepit, cujus aedificium anno 1721. terminatum fuit cum expensis f. 783. in parata pecunia: expensae utique ad majorem quantitatem excurrissent, nisi laboratores, et materialium conductores ultro se ad gratis impendendam suam operam obtulissent, quibus Conventus praeter victum nil mercedis dederat.

VI. Quamvis verò Conventus isthic, quantum necessarium videbatur, annis praedictis, reparatus fuerit, quia tamen muri per dictum incendium adeo debilitati fuerunt, ut novi superimpositi tecti ferendi incapaces essent, ideo A. R. P. Sigismundus Skerpin, Minister Provincialis anno 1733. novis fulcimentis muniri, et ferro ligari jussit. Non obstante hac reparatione Conventus successu temporis proximam sui integram ruinam minabatur ita, ut Religiosi per rimas muri non tantum colloqui, sed et invicem se videre possent: Quapropter, ne Conventus cum plurium Religiosorum periculo corrueret, eundem anno 1773. et sequenti Illustrissimi Domini Comites Joannes Nepomucenus Erdoedÿ, Camerae Hungaricae Vice-Praeses, et alter Joannes Nepomucenus, Generalis Campi Vigiliarum Praefectus tamquam fundatores potiori ex parte noviter aedificari curarunt tempore Guardianatus P. Norberti Paccassi lectoris Generalis, qui aedificii curam gerebat, et Conventum ad praesentem formam redegit. Sunt Cellae 30. pro Religiosorum habitatione, habitant verò communiter in hoc Conventu 28. vel. 29. Religiosi. In quo Studium Philosophicum ab anno 1706. (si annos combusti Conventus demas) viget ad moderna tempora.

Caput II.
De antiquis et modernis fundationibus Conventui factis, et de lignatione.

I. Antequam Ecclesia nobis extradita fuisset, fuit â Comitibus Erdoedy variis bonis dotata, et quidem ex parte Sigismundi habuit tres colonos, quatuor faenilia, duas terras arabiles, et aliquas vineas: ex parte verò Nicolai, quinque colonos, qui Ecclesiae solita tributa praestabant. Haec bona cum Ecclesia noviter erecto Conventui addicta erant, dum verò anno 1688. Provincia reformationem suscepisset, haec bona fundatoribus resignata erant, in cujus vicem Domini fundatores ex Nova Curia aliam eleemosynam assignarunt in natura videlicet 24. cubulos vini, 24. Metretas tritici, et quatuor Majales. Quia verò hujus Arcis duo sunt Domini, quorum quilibet medietatem omnium fructuum, et proventuum percipit, hinc etiam quilibet medietatem onerum ferre debet: Unde quilibet eorum medietatem praedictae Eleemosynae Conventui quotannis tribuit.

II. Quia litterae fundationales anno 1776. igne perierunt, aliis litteris tunc temporis Arcis Novae Curiae possessores Alexander nempe, et Gabriel Episcopus Agriensis praedictam eleemosynam confirmarunt, simulque fatentes litteras super nonnullis Capitalibus in praedicta Arce pro celebrandis Missis investitis expediverunt. Et quidem loco Comitis Gabrielis Erdoedy absentis, ejus Plenipotentiarius Joannes Thomassich expedivit litteras, quae in Originali prostant, sequentis tenoris:

Joannes Thomasich Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Comitis Gabrielis Antonii Erdeody de Monyorokerek Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Agriensis, Abbatis S. Georgii militis, et Martyris de Jaak, Montis Claudii, et Varasdinensis perpetui, Nevessiensis verò, et exterioris Szolnok Comitatuum Supremi Comitis S'ae Cae'ae R'aeque Maj. Consiliarii tit. etc. universorum bonorum in regno Croatiae, et Sclavoniae existentium director, et Plenipotentiarius. Do pro memoria, tenore praesentium significans, quibus expedit universis. Quod posteaquam in anno 1716. die verò 31. Mensis Martii ex infortunio, et casualiter Venerabilis Conventus Klaniczensis, seu Claustrum cum Ecclesia, et nonnullis domibus oppidanis igne, et incendio conflagratus fuisset cum pluribus etiam ejusdem Conventus rebus, suppellectilibus, et mobilibus, ipsum etiam Archivium cum cunctis litteralibus Instrumentis, et litteris fundationalibus, etiam obligatoriis fassionalibus Altaristicis, quod tam mihi, quam aliis vicinis ibidem existentibus peroptime constaret, quibus ita perditis, et ammissis tam apud Dominos Fundatores, quam alios Conventus debitores ex officio meo Syndicatus ejusdem Conventus partim per litteras meas, partim praesentionaliter requisivi, et admonui, quatenus propter hoc, quod quisque in quantum obligaretur, annuatim Interesse Conventui solveret,

996

pro futura cautela toties fati Conventus alias novas obligationes super capitalibus summis eidem Conventui extraderent, prouti ex caeteris Ill'mus Dominus Comes Carolus Rattkay super flor. Rhen. mille: Dominus Adamus Illiaschich in uno Capitali super fl. ducentis, et alio super flor. itidem ducentis nihil difficultâssent, sed petitas obligatorias extradidissent. Praefatus vero Ill'mus, et R'mus Dominus Comes Gabriel in suo Episcopatu Agriensi abhinc loco sat dissito meas ad litteras gratiosè respondisset, quod sua Ill'ma, et R'ma Dominatio non negaret fundationem divisionaliter sibi obventam, et per se solvendam, utpote annuatim vini juris montani cubulos duodecim, tritici quartas duodecim, et Majales duos, hocque de bonis Novae Curiae, et Radakovo. Praeterea de Summis Altaristicis divisionaliter cum bonis in suam Ill'mam Dominationem devolutis: utpote Ill'mi quondam Domini Comitis Emerici Erdoedy flor. mille pro termino solvendi Interesse die 13. Junii: Ill'mae olim Dominae Comitissae Elisabethae Rakoczÿ alios flor. mille, ex legali etiam sex per centum Interesse, et quidem bipartito pro 23. Aprilis Rhen. triginta, et pro 29. Septembris alios Rhen. triginta. Nec non Altaria Ill'mi quondam Comitelli Nicolai Erdoedy flor. quingentos contractos ab eodem Conventu flor. mille centum, id est, de Altaria Pallanovichiana fl. sexcentos, et de Altaria Novoselliana flor. quingentos solvendi annualis Interesse etiam pro 4. Julii. Et haec praemissa Capitalia diversis temporibus, diversisque, et separatis obligatoriis, quod contraxisset, et assumpsisset, velletque novas obligatorias lubens, si occasio, et vicinitas loci concederet, extradere, nihilominus quousque sua Ill'ma Dominatio, vel sola in regnum venire, vel occasionem, quâ secure possent ad Conventum transmitti, habere poterit, Officialibus suis Novae Curiae, et Radakovo[587] strictissime medio mei commissit, et mandavit, ut tam fundationem praemissam, quam etiam Interesse â praetactis summis annuatim cedens sine defectu de anno in annum exolvant, et deponant, pro quorum directione, et etiam Venerabilis Conventus cautela, quousque sua Ill'ma Dominatio super fundatione, et praescriptis Capitalibus necessarias litteras obligatorias extradiderit, praesentes propriae manus meae subscriptione, et usuali sigilli impressione munitas extradendas esse duxi. Datum in Curia nostra Lipoglavecz[588] die 20. mensis Maji, Anno Domini 1717.

Joannes Fr' Thomaszich Director,
et Plenip. (L. S.)

III. Tenor litterarum Ill'mi Domini Comitis Alexandri Erdoedy, qui pro sua parte fundationem â suis Antecessoribus pro Conventu Clanicensi factam confirmavit, est sequens:

Nos Comes Alexander Erdödy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdinensis perpetuus, ejusdemque, et Castriferrei Supremus Comes Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Camerarius, et intimus Consiliarius, Praesidii Petrinia, et eidem annexorum confiniorum Supremus Commendans,

Colonellus, et Vigiliarum Generalis Praefectus. Oneribus, et quibusvis gravaminibus haeredum, successorum, Consanguineorum, et posteritatum nostrarum utriusque sexus universarum in nos per omnia assumptis, et levatis recognoscimus, et notum facimus universis, et singulis, quos infrascriptum negotium tangeret, vel concerneret, tangere, vel concernere possit quovis modo etiam in futurum. Quod posteaquam in anno 1716. die verò 31'ma mensis Martii Oppidum nostrum Klaniecz casualiter, et per infortunium, consequenter etiam Ecclesia, et Monasterium R. R. P. P. Franciscanorum Provinciae S'tae Crucis Croatiae, et Carnioliae Reformatorum cum tota substantia, rebusque mobilibus, ita etiam, uti perhiberetur, Archivio, et litteralibus Instrumentis tam fundationalibus per piae reminiscentiae desideratissimos nostros Antecessores ad eumdem Conventum Claniczensem erga obligationem in similibus obligationibus pro vivis, et mortuis familiae nostrae per Conventum eumdem observari solitis, quam aliis obligatoriis Altaristicis itidem in eodem Conventu fundatis, et applicatis erga suas obligationes in tabula Conventuali appositas, et per contractus celebratas combustum et incineratum fuisset. Consequenter suprascriptus Conventus, uti suprà, per incendium perditis talibus fundamentis, et litteralibus instrumentis ad nos tamquam horum bonorum Dominum terrestrem proprietatum humillime recursum, et instantiam fecit, quatenus pro futura cautela successorum, et posteritatum nostrarum, et etiam cautela ejusdem Venerabilis Conventus daremus confirmationales, et consequenter ulteriores fundationales ad tenorem priorum per Conventum obligationum, et nos, ac posteros nostros futurarum etiam fundationalium exolutionum. Nos itaque visa ejusdem Venerabilis Conventus justa, et conscientiosa postulatione, et instantia, ut in perpetuum pro vivis, et mortuis familiae nostrae, illam, quam in prioribus fundationalibus habuerant obligationem, exactè perficiant, et confirment, confirmamus, et renovamus priores fundationales annuales ex his bonis nostris Czaszarvariensibus portionis nostrae haereditariae, et quidem ex Nova Curia successione videlicet desideratissimi olim nostri Patrui, Comitis Emerici tritici metretas Czaszarvarienses sex, cubulos juris montani vini etiam sex, et Majalem unum: deinde ex successione defuncti Comitis Bani Nicolai Erdödy, seu filii ejusdem ultimò deficientis Comitelli itidem Nicolai Erdödy, alias ex bonis Razvor, et Kumrovecz metretas tritici ejusdem mensurae sex, aequalis vini cubulos sex, et Majalem unum, in toto verò praemissae mensurae tritici metretas 12. vini cubulos 12. et Majales duos obligando nostros Successores, et posteros, ac eorumdem Officiales, ut hanc Sanctam, et piam fundationem de anno in annum suprascripto Venerabili Conventui exactè solvant, et praestent, sub hac tamen expressa conditione, ut Venerabilis Conventus pro suis fundatoribus vivis, et mortuis obligationi suae satisfaciat. Secundò quoad Altariam defuncti Comitis

998

Nicolai Erdödy nostra ex parte ex solito Interesse 6. per centum f. Rh. 500. fundatae, et obligatoriae in dicto incendio deperditae, seu uti perhiberetur combustae, idem Conventus usque ad ulteriorem nostram dispositionem obligationi suae in Missae Sacrificiis, ad tenorem contractus prioris satisfaciant erga infallibilem Rh. f. 30. annualem persolutionem pro termino mensis 4^tae^ Julii. Expressè tamen declaramus, quod si fors Archivium Conventus Claniczensis, consequenter fundationales, et obligatoriae combustae non fuissent, quod easdem, si reperirentur, et in futurum quandocunque producerentur, cassamus, annihilamus, et invalidamus, ac pro cassatis, annihilatis, et invalidatis praesentium per vigorem pronunciamus, et declaramus. Datum in Castello nostro Novi Dvor die 3^ta^ Martii Anno 1721.

Comes Alexander Erdödy.

IV. Licet in his praecitatis litteris fundationalibus nulla sit mentio faeni, tamen 4. currus ab antiquo â Dominio Nova Curia dicto 2. videlicet currus pro qualibet parte Conventui dari consueverunt. Anno 1710. fuit cum vinea *Sockol* etiam pratum *Lugh* dictum fundatoribus resignatum, vinea soluta fuit f. 100. loco prati 2. annui currus faeni assignabantur, donec Dominium non solveret 50. f. quibus exolutis Dominium liberum esset, nec teneretur amplius duos currus de faeno contribuere. Cum autem Conventus magna faeni indigentia premeretur, supplicabat anno 1761. Ill'mo Domino Comiti Antonio Erdoedy pro usu simplici praedicti faenilis, proprietate semper penes dominium remanente. Praefatus Comes noluit petitum usum concedere, sed 50. f. solvi jussit, hac tamen solutione non obstante per modum eleemosynae duos currus faeni Conventui dandos assignavit, ut ex ejusdem rescripto propriae manus subscriptione signato apparet, quod hujus est tenoris:

Eveniente eo, quod prato, et terrae intus denotatae, cujus usumfructum supplicantes solicitant, quinquaginta floreni inhaereant, resolvitur: quatenus investiti praemissi quinquaginta floreni memoratis supplicantibus per dominium exolvantur. Ut autem necessitati respectu faeni interpositae quoquo modo subveniatur ex speciali reflexione (ad beneplacitum tamen Domini) titulo eleemosynae duo ordinarii currus faeni resolvuntur ea conditione, ut singulo anno penes Praefectoratum semet eatenus instantes insinuare teneantur. Sig. Varasdini die 27. Maji Anno 1761.

Comes Antonius Erdödy m'ppa

V. Cum Conventus in tali loco constructus sit, in quo circa, vel saltem prope Clanicium nulla reperiatur silva praeter Dominii Czaszarvara, consequens est, quod ex hac silva semper necessaria educendi ligna facultatem habuerit, etenim parum fuisset aedificare Conventum, et in eo Religiosos collocare, nisi fundatores iis, sine quibus impossibile vivere est, quaeque per humilem mendicationem non facile acquiruntur, Conventum provi-

dissent, neque Patres nostri sine tali provisione hunc acceptassent locum, utpote re maxime necessaria destituti. Quia verò primis fundationalibus litteris anno 1716. in incendio consumptis, in posterioribus confirmationalibus nulla mentio de jure lignationis in silvis Czaszarvariensibus habetur, Anno 1725. Domini Praefecti Ill'morum Dominorum fundatorum, et Comitum Gabrielis Antonii Episcopi Agriensis, et Ladislai Erdoedy, Fratribus strictissime prohibuerunt, ne ad dictam silvam amplius pro lignis pergant. Quapropter P. Casimirus Schlattner pro tempore Guardianus, ut â Praefectorum vexa liberaretur, et Conventus necessitatibus provideret, altefatis Ill'mis D. Fundatoribus humiliter supplicuit, quatenus ii benignè concedere dignarentur, ut Conventus pro sua necessitate in eorum silvis ligna caedere licite possit, ac valeat, â quibus etiam gratia, et Conventui favorabilia tulit, responsa nonnullis adjectis conditionibus.

VI. Porro Decretum, et responsum Illustrissimi Domini Comitis Ladislai Erdoedy sequentis est tenoris:

Siquidem Conventus Clanicensis Admodum Reverendorum Patrum Ordinis Sancti Francisci Seraphici per nostros Antenatos fundatus aliunde ligna habere non possit, nisi â nobis provideatur. Nos dictis Admodum Reverendis Patribus favere volentes pro eorum pistrina, fornacibus, et Culina, seu foco, ex nostris silvis Czaszarvariensibus, lignationem velut in partem fundationis jam olim admissam, eatenus iterum confirmamus, et concedimus, ut ipsi pro sua quotidiana necessitate semper in futurum sufficientia ligna habere possint, eorum tamen famuli pro Conventu caesa aliis non divendant, neque robora glandifera, et pro aedificiis apta succidere praesumant, haec enim nunc pro semper â data lignandi facultate excipimus, et expressè interdicimus. Datum in Nova Curia die 27. Decembris 1725.

Comes Ladislaus Erdödy m'ppa

VII. Alterius Confundatoris videlicet Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Comitis Gabrielis Antonii Erdoedy Episcopi Agriensis Decretum, et responsum sic sonabat:

Committitur Domino Joanni Thomaszich quà bonorum meorum in Croatia existentium curam habenti, Plenipotentiarioque meo, ut introscriptis A. A. R. R. P. P. quà Conventus Clanicensis per meos Antenatos fundati Religiosis, pro ipsorum Culina, pistrina, et fornacibus, seu foco necessaria ligna ex silvis nostris secare, et deportare admittat: ita tamen, ut robora pro aedificiis apta pro foco non secentur. Praeterea sub nomine Conventus aliorum extraneorum servi ad lignationem non admittantur, sed nec per Conventus servos ligna aliis divendantur, et super hoc ultimo pro tempore existens P. Guardianus, et in hujus absentia ejus vices gerens vigilem oculum habeat. Denique praefatus Plenipotentiarius meus ita negotium lignationis pro foco accommodet, ut dominium in suis glandiferis, et pro aedificiis aptis roboribus damnum non habeat, et Patres Conventus Clanicensis pro sua quotidiana necessitate focali ligna sufficientia habere valeant, maximè cum Conventus ille

1000

per nostros Antenatos fundatus quotidianas preces pro ipsorum animabus, ita et pro nobis viventibus defunctorum Successoribus ad Deum fundant ejusdem inhabitatores Religiosi. Datum Agriae 13. Januarii 1726.

Gabriel Antonius C. Erdödy Ep'pus Agriensis.

VIII. Ex his duobus decretis conjicere licet, causam prohibitionis â D. Praefectis Arcis Novae Curiae factae, ne Fratres amplius ligna in silvis Czaszarvariensibus secent, fuisse hanc, quia famuli Conventus ligna pro Conventus necessitate caesa, aliis extraneis divendebant, et arbores passim glandiferas, et pro aedificiis aptas caedebant. Huic malo quidem subveniri poterat aut per amotionem infidelium famulorum, aut per majorem Superiorum attentionem, si hae fraudes illis notae supponendae sunt, quin Ill'mi Domini fundatores molestarentur, at quia Domini Praefecti aut suae conscientiae consulere, aut Fratres vexare volentes id negotii suis Principalibus indicare voluerunt, rem optimam fecerunt, etenim Conventus novis fundamentis munitus est per nova decreta, per quae et ipsa oblatrantium ora usque in hodiernum diem conclusa manent, Conventusque in pacifica ex silvis Czaszarvariensibus educendi ligna possessione relinquitur. Praeter hucusque recensita beneficia, numerantur et alia plurima, quae Conventus in diversis necessitatibus constitutus ab hac Inclyta familia percipiebat, et percipit quotidie.

Caput III.
De Ecclesia, ejus Altaribus, eorumque Consecratione, de Cryptis et viris Nobilibus in hac Ecclesia sepultis, eorumque Epitaphiis, de Capella S. Luciae, et Coemeterio et Campanis, deque S. Antonio, ejusque Confraternitate, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De Ecclesia, ejus Altaribus, eorumque Consecratione.

I. Iam supra insinuavi Ecclesiam Clanicensem sub titulo Sancti Leonardi Abbatis praeextitisse Conventui una cum Coemeterio, in quo vicinitas gratis gaudet sepultura. Postquam verò ea Fratribus Minoribus S. Francisci fuisset officianda tradita fuit ea ampliata, et quasi nova ê fundamentis sub titulo Annuntiationis Beatissimae Virginis Mariae, quô die nempe 25. Martii Ecclesiae patrocinium celebratur erecta. Anno 1716. unà cum Conventu etiam Ecclesiae sarta tecta in cineres abierunt. Quo die, aut anno Ecclesia sive Sancti Leonardi, sive beatae Virginis Mariae consecrata fuerit? memoriae non est proditum. Causa hujus ignorantiae est anno praedicto exortum incendium, quod omnes Scripturas aliaque memoratu digna absumpsit, et in cineres

redegit. Quamvis vero de consecratione Ecclesia nulla certa documenta extent, nullum tamen dubium est, Ecclesiam fuisse vere consecratam, quia ab immemorabili quotannis anniversaria Consecrationis, seu dedicationis dies, et quidem Dominica infra Octavam Ascensionis Domini, quae est 6ta post Pascha solemniter celebratur. Anno 1773. injuria fulminis tectum turris, in qua tres sunt campanae, omni ex parte disjectum fuit, verum anno 1775. turris novo tecto est instructa. Moderna Ecclesia (quae in longitudine habet orgias 16. in latitudine verò demptis Capellis S. Francisci, et S. Antonii, orgias 7. pedes 4.) anno 1777. strata fuit lapide quadro sub P. Erenfrido Gnad p. t. Guardiano unà cum Sacristia, et cubili adjacente.

II. Arae in Ecclesia Clanicensi 9. numerantur. Prima Ara Major dicata est honori Beatissimae Virginis MARIAE Annuntiatae. *2tda* S. Antonio Patavino. *3tia* S. Francisco Seraphico. *4ta* S. Barbarae. *5ta* S. Paulo Apostolo. *6ta* S. Joanni Baptistae. *7ma* S. Leonardo. *8va* Beatissimae Virgini Mariae. *9na* S. Valentino. Ara major, ut quaedam simplex scriptura docet, pertinere dignoscitur ad Excelsam familiam Comitum Erdoedy. Ara S. Antonii de Padua (qui licet ubique locorum magnis refulget miraculis, hic nihilominus specialibus coruscat prodigiis, de quibus infrà) ante paucos annos nova facta fuit anno videlicet 1762. munificentia Illustrissimi Domini Comitis Antonii Erdödy, qui pro ejus labore 300. f. contribuit. Ex adverso Arae et Capellae S. Antonii, sita est Ara S. P. N. Francisci pariter in Capella uniformi Capellae S. Antonii. Haec Ara anno 1757. facta fuit impensis Illustrissimae Dominae Comitissae relictae viduae Ill'mi Domini Comitis Ladislai Erdödy. *4tae* Arae S. Barbarae benefactor est Perillustris Dominus Lokauski, alii hujus Arae benefactores assignant Perillustres Dominos Paulum, et Nicolaum Gallyuff. [Haec Ara 1779 nova facta est.][589] *5tae* Arae S. Pauli benefactor ignoratur, [antiqua pariter hoc anno nova substituta est].[590] *6tam* Aram S. Joanni Baptistae Sacram extruxerunt anno 1766. duae Perillustres Dominae Dorothea Greblizin, et Dorothea Czolnizin: cujus Arae etiam Spectabilis Dominus de Busan fundator fuisse perhibetur. De fundatoribus Altarium S. Leonardi, B. V. Mariae, et S. Valentini nulla, quae nos edoceant, monumenta prostant.

III. Cum circa Aram S. Barbarae, et circa Aram S. Joannis Baptistae duo benefactores fuisse perhibeantur, Arae nempe S. Barbarae Perillustres Domini Paulus, et Nicolaus Gallyuff, et iterum Perillustris Dominus Lokauski: Arae itidem S. Joannis Baptistae duae Dominae Greblizin, et Czolnizin, simulque Dominus Busan, manifestum est, praedictos benefactores aut successivos fuisse, aut Aram pro Ara comixtam utrumque contingere potuit: De Ara S. Joannis Baptistae constat ex litteralibus documentis eam extructam fuisse anno 1766. â praedictis Perillustribus Dominabus, potuit tamen etiam ejus fundator esse D. Busan, scilicet ejus, quae usque ad haec tempora steterat: Idem dicendum est de Ara S. Barbarae, nisi vellet quis dicere, quod Ara una pro altera specificata fuerit, qui error in compilatorem historiae Conventus Clanicensis de anno 1776. rejiciendus est, qui

1002

hujus Arae utrosque supra nominatos benefactores adstruit. De Consecratione horum Altarium nil posteritati relictum, quare praesumendum est, Aras antiquas fuisse extructas ante incendium, in quo monumenta perierunt, Conventûs posteriores verò fuisse factas immotis Altarium mensis, unde non indigebant nova Consecratione.

§. II.
De viris Nobilibus in hac Ecclesia sepultis, eorumque Epitaphiis.

I. Plures viri non tam Nobilitate, et dignitate fulgentes, quam etiam â militaribus officiis vel maxime commendandi in hac Ecclesia sepulti requiescunt, quorum memoriam partim incendium, partim post incendium eorum, quorum intererat adnotare, negligentia ê medio sustulit. Proinde eos tantum adferam, quos hìc sepultos ex eorum Epitaphiis conjicio, et hi omnes sunt fundatores hujus Conventus ex Inclyta videlicet familia Comitum de Erdoedy: Et quidem in Crypta Arae majori proxima reperitur tumba elegans, ornata stanno Anglico fusa ipsius Domini fundatoris Domini Comitis Sigismundi Erdödy, cui sequens inscriptio apposita est:

Illustrissimus Dominus Dominus Comes Sigismundus Erdödy
de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdinensis Comes perpetuus, Regnorum Dalmatiae, Croatiae,
et Sclavoniae Banus, Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis
Consiliarius, et Cubicularius, nec non Confiniorum Collapianorum Regni Sclavoniae Supremus Capitaneus 1639.

Tumbae inscriptum est sequens Epitaphium:

Si malus es, apage
bonus hic recubat,
quid ajn? erravi
Banus hic recubat
immo bonus Banus:
Hic quoque consulit
Rex, Caesar paulos post, et tu
Praeivi Cubicularius, sequere,
etiam hic metus est Supremi
Capitanei.
Vermes me fugiunt
qui vivum roserunt
etiam isthic Montis
Claudii, id est
tumuli Comes
sed non perpetuus
resurgam:
perpetuus tamen
Collium aeternorum

1003a,b

Comes
nam nolo solus esse
ibi, ubi plures sunt
boni
sed Comes, et
perpetuus
obiit
Anno Salutis 1639.
die 28. mensis Junii aetatis suae 43.

II. In hac eadem Crypta sunt et aliae duae tumbae, quarum una est bysso, vel serico obducta, in qua nomen est clavis signatum, verum ob vetustatem legi non potest. Altera tumba est cuprea, in qua recondita est Ill'ma D'na Elisabetha Racoczi consors Ill'mi D. Comitis Georgii Erdödy, in qua sequens inscriptio legitur:

E. et I. C. D. Elisabetha Racoczij de F. W. E. et
I. C. D. Georgii Erdödy de M. Jud. Cur. Reg. C.
Consors. Obiit aetatis suae 52. die 8. mensis
Novembris Anno 1707.

Sepulta est Clanicii Illuss'ma Domina Barbara Comitissa ab Aversperg Conthoralis quondam Comitis Dismae Mokricensis nata Erdeody Soror Nicolai IV. filii ultimi Petri III. quo in juventute mortuo fratre Nicolao IV. illa unaca,[591] et legitima haeres Petri III. Patris sui remanserat.[592]

III. In Crypta arae S. Francisci proxima est tumba cuprea Comitis Nicolai IV. Erdödy, cum hac inscriptione:

Illustrissimus Dominus Comes Nicolaus IV. Erdödy de Monyorokerek Montis Claudii Comes perpetus,[593] Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Nicolai III. Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Bani filius, ultimus ex linea Petri III. vixit annos 15. dies 37. Obiit Graecii die 13. Julii 1706. quadrante ad septimam pomeridianam.

In eadem S. Francisci Capella parieti affixa est lamina inaurata, cui inscriptum est:

Illustrissimus
Dominus, Dominus
Franciscus Comes Erdödy
de Monyorokerek
Montis Claudii, et Comitatus Varasdinensis perpetuus Comes
Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis Camerarius
Collonelus, et Supremus Capitaneus
Confinitimi fortalitii Petriniensis, et Costanovicensis etc. etc.
Piè in Domino obiit anno 1694. 4^{tta} 7'bris.
aetatis suae 36.

Eidem laminae ex Erdoediano Insigni desumpta inscripta sunt duo Epitaphia, primum â dextris sic sonat:

Sta Viator
si tamen stare potes
cui quodvis vitae momentum
gradus est

1004

ad monumentum
lege, quod lugeas
Mors
non clauda, nec comis
Montis Claudii Comitem[594]
huic inclusit tumbae
Illustrissimum Croatiae Phoebum
Libitina nimis festina
atro obduxit peplo
Tristemque induxit noctem
mentibus non manibus:
Nam
Virgo *Carmeli decor*[595]
Scapulis suis obumbravit[596]
In Sabbatho
Servum suum FRANCISCUM,
quando
Sole splendente in Virgine[597]
decubuit, et occubuit
Virgineo sub tutamine
Sacro amictus Scapulari,[598]
in quo[599]
(Ejusdem Virginis Suffragio)
quis rite moriens[600]
Aeternum non patietur incendium[601]
Quare
pernoctanti sub Virginis umbra
ominare et precare
diem aeternitatis bonam.

Epitaphium ex eodem Illustrissimo Insigni sinistrorsum pendenti insculptum scuto hujus est tenoris:

Ita volvitur
in hacce officina
humanae figulinae
Plausus inter, et planctus
laeta inter, et lethalia
Rota versatilis
Vah! quid vita?
Volat ut *Aquila*, gyrat ut *stella*
labitur ut fluvius, currit ut *cervus*
volvitur ut *Rota*.
Triginta sex currebat annis
per Majorum vestigia

ad honorum fastigia
Franciscus Comes Erdeody
Came[re]rarius[602] â cubiculis, Capitaneus â militiis
utrinque
Caesari fidelissimus
Et ecce!

Post edita Heroum facinora
post attrita Ottomannae[603] lunae cornua
mors caeca sistit cursum.
Suorum enim *in dimidio dierum*.[604]
Comes sine comite
velociter, sed feliciter
cursus metam attigit
Confringitur rota super cisternam.[605]
Corporis hydropici.
Ut
Vitae finis cum principio
jungatur fortius
ferreo aeternitatis circulo
sic
curre, rotare, viator
ut assequaris
Vitae principium
sine fine.[606]

IV. In Crypta Arae S. Antonii proxima conspicitur elegans tumba stano fusa, cujus latera cervi quatuor aere fusi: medium verò corporis duae aquilae sustentant. In tumba haec legitur inscriptio:

Excellentissimo, ac Illustrissimo Domino Domino Comiti Emerico
Erdödy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus
Varasdinensis Supremo, et perpetuo Comiti, Sacrae Caesareae
Regiaeque Majestatis Consiliario, Camerario, Tavernicorum
Regalium per Regnum Hungariae Magistro pie defuncto
die 13. Aprilis 1690. aetatis suae 70.
Posuêre
Patruo sibi dilectissimo
in perenne debiti affectus argumentum
Nepotes maesti
Illustrissimi Domini Domini Comitis Erdödy
de Monyorokerek
Georgius, Christophorus, Alexander
precantes unanimi voto
pientissimè defuncto requiem
et vitam cum eodem sibi quoque
sempiternam.

V. Ex parte Epistolae in eadem Sancti Antonii Capellae appositum est Insigne Illustrissimi Domini Comitis Emerici Erdödy, ejusque familiae arte sculptoria elaboratum cum hac inscriptione: *Illustrissimus, et Excellentissimus Dominus, Dominus Comes Emericus Erdoedy de Monyorokerek Montis Claudii, et Cot'tus Varasd. Supremus perpetuus Comes Sacrae Caes. Regiaeque Majestatis Consil.*

Cubicu. et Tavernicorum Regalium per Hungariam Magister 1690. Multi alii Nobiles, non tantum ex hac Inclyta familia, sed et alii in hac Ecclesia sepulti requiescunt, quorum notitia posteris ex causis adductis non fuit transmissa: Inter quos etiam numeratur Ill'ma Domina Comitissa Comitis Simonis Erdoedy conjux, quae die

8. Maji 1640. sepulta fuit. Praeterea habent hic propriam sepulturam, et Cryptas nempe ante Aram S. Joannis Baptistae Spectabilis Dominus Joannes Busan. Ante aram S. Leonardi Perillustris Dominus Paulus Gallyuff, et familia. Sub Cathedra Perillustris D. Stephanus Suvich. Ad Aram S. Barbarae Spectabilis D. Ladislaus Lukausky.

§. III.
De Coemeterio, Capella S. Luciae, et Campanis ad Oppidanos spectantibus.

I. Penes Ecclesiam Clanicensem est Coemeterium sat spatiosum muro cinctum, quod nobis una cum Ecclesia â fundatoribus consignatum erat, nam accessorium sequitur suum principale. In hoc Coemeterio in fundo Erdoediano sito habuerunt Oppidani, quia labores suos in eo construendo impendebant, liberam sepulturam, et cum oppidanorum jure fuit dein etiam nobis consignatum. Dein anno 1666. et sequenti Ill'mus D. Comes Emericus Erdoedy, quia oculis laborabat, aedificavit in hoc Coemeterio quamdam Capellam in honorem S. Luciae Virginis, et Martyris, ita ut Capella sita sit intra murum Coemeterii, major quidem pars Capellae extra murum in via publica est, verumtamen porta ejusdem ad Coemeterium prospicit, ac per Coemeterium tantum aditus ad Capellam patet. Hujus Capellae claves ipsemet fundator nobis consignavit, eamque nostris Patribus officiandam tradidit absque cujuscunque contradictione. Hanc Capellam una cum Coemeterio Patres nostri pacifice, et imperturbate possederant usque ad annum 1684. Hoc enim anno Parochus Tuchlensis, in cujus districtu Clanicium est, totalem jurisdictionem supra Coemeterium, et per consequens etiam Capellam S. Luciae praetendebat ex eo, quia Oppidani liberam in eo habent sepulturam, ajebat enim si Coemeterium spectaret ad Ecclesiam Clanicensem, oppidani non haberent liberam sepulturam, cum itaque oppidani liberam habent sepulturam, manifestum est Coemeterium spectare ad Oppidanos, et non ad Ecclesiam Franciscanorum, et consequenter ad suam jurisdictionem. Multum est, quod D. Parochus etiam Campanile Ecclesiae ad suam jurisdictionem non traxerit, quia in eo duae Communitatis Campanae pendent.

II. Verum hos D. Parochi conatus, et inanes praetensiones ipsissimus Illustrissimus D. fundator Capellae, qui eo anno adhuc vivebat, repressit suis litteris, quas ex Originali adfero, et sunt sequentis tenoris:

Nos Comes Emericus Erdeody de Monyorokerek, Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Supremus, ac perpetuus Comes, Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis Consiliarius, Camerarius, Thavenicorum Regalium per Hungariam Magister. Notum facimus per praesentes, qualiter nos ex speciali suo voto in honorem divae Luciae, et Sancti Viti, Capellam in Coemeterio Ecclesiae Patrum Franciscanorum in Oppido Klaniecz sub Czaszarvara habit.[607] propriis sumptibus anno videlicet 1666. et 67. curavimus fundamentaliter erigi, intentionemque nostram praemissis annis in effectum deduximus, praedictamque Capellam iisdem Patribus Klanieczensibus in eodem Oppido degentibus unà cum clavibus ad eamdem pertinentibus pro peragendis debitis temporibus per eosdem Patre in eadem Capella

1007
N'o 43.

divinis consignavimus, et resignavimus, et per praesentes etiam nostras eamdem consignationem, et resignationem confirmamus, et roboramus, harum nostrarum vigore, et testimonio litterarum mediante. Datum in Nova Curia Czaszvariensi die 12. Martii 1684.

C. Emericus Erdeody (L. S.)

III. Per has suas litteras Ill'mus D. Comes Emericus Erdoedy sopivit controversiam circa Coemeterium, et Capellam S. Luciae inter Parochum Tuchlensem, et Fratres Conventus Clanicensis agitatam: quae tamen post lapsum annorum 45. anno nempe 1729. reviviscere coepit, et quidem multò acrior, nam in eam non tantum Parochus cum Archidiacono, sed etiam ipsemet Episcopus Zagrabiensis consensit. Causa duravit annis 9. et dirempta fuit per Ill'mum D. Ladislaum Comitem Erdeodÿ quà indubitatum fundatorum Successorem (qui etiam Sedis Apostolicae judicium interpellabat) qui, ut omnis hac in re Controversiae finem imponeret, sequentes edidit litteras:

Nos Comes Ladislaus Erdödy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdinensis perpetuus Comes, Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis Camerarius, et campi Colonellus etc. Assumptis in nos universorum fratrum nostrorum uterinorum ac condivisionalium oneribus: omnibus, et singulis, quorum interest, notum facimus per praesentes. Siquidem palam innotuerit nobis, quod contra, et adversus piam, ac salutarem mentem, et intentionem felicis reminiscentiae praedecessorum nostrorum, tamquam Venerabilis Conventus Ordinis Minorum Sancti Patris Francisci Reformatorum Claniczensis fundatorum, ita etiam voluntatem nostram, ac in praejudicium nostrum, Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, ac ex ejus consensu, et annuentia, Illustrissimus pariter, ac Reverendissimus praetitulati Domini Dioecesani in Spiritualibus Vicarius, ita etiam ex praetitulatorum indultu Reverendissimus districtus hujus Archidiaconus eosdem Patres Sancti, ac Seraphici Ordinis in possessione, et jurisdictione Coemeterii Claniczensis eidem Venerabili Conventui annexi, et per felicis recordationis praedecessores nostros excisi, ac in jurisdictionem eorumdem assignati, non secus etiam certae Capellae in eodem fundo nostro Coemeteriali, beneficio Aulicorum familiae nostrae, ac eorumdem expensis propriis in honorem S'ae Luciae Virginis, et Martyris erectae, ac dicatae, ac usque in praesentiarum [ab ultima controversia][608] sub pacifica jurisdictione, ac continuo usu ejusdem Venerabilis Ordinis Seraphici existentis habitae, turbare, quinimo eamdem jurisdictionem in praespecificatum Coemeterium, et Capellam ex integro sine consensu nostro adimere, corporaque mortuorum sepeliendorum, ne more usitato iidem Patres in porta Coemeterii excipiant, inhibere de pleno, et integro niteretur, ac niterentur. Hinc cum ejusmodi praeconcepta Jurisdictionis per fundatores concessae violatio, omnino vetita foret, praerequireturque tam Dominorum terrestrium tamquam fundatorum in similibus muta-

1008

tionibus consensus, quam etiam Curiae Romanae, ac Sacrae Sedis Apostolicae finalis decisio. Ideo omnium eorum conatibus, intentionibus, ausibus, et machinationibus, quicunque ante finalem Sacrae Sedis Apostolicae decisionem, ac finalem resolutionem, nostrumque consensum, eosdem Patres Ordinis Minorum Conventus Clanicensis in jurisdictione Coemeterii Clanicensis, ac ibidem erectae Capellae, in praejudicium etiam nostrum manifestum turbare, aut qualicunque tandem modalitate, aut qualicunque sub praetextu eamdem adimere, vel verò minuere voluerint, aut attentare praesumpserint, quà indubitatus fundator nunc pro semper contradicimus, ac solemnissime protestamur, ac adversus contravenientes, ac ne fors etiam in praejudicium nostrum aliquam violentiam attentantes, et attentare praesumentes, Juribus nostris prospiciendis generalem facultatem reservamus. Actum in Residentia nostra Novo-Curiali Czaszarvariensi die 20ta mensis Junii Anno Domini Millesimo Septingentesimo trigesimo octavo.

Comes Ladislaus Erdödy (L. S.)

IV. Per hanc Illustrissimi D. Comitis Ladislai protestationem controversia circa Coemeterium, et S. Luciae Capellam nonnihil sopita, minime extincta fuit; nam ea anno 1742., denuo reviviscere coepit, ast per A. R. P. Bennonem Waltreich, Ministrum Provincialem, qui omnia jura pro parte Conventus Zagrabiae coram Venerabili Capitulo exposuit, praesertim pacificam â 54. annis, ab anno nempe 1630. usque ad annum 1684. possessionem, quam per 20. testes probavit, penitus extinxit. Profecto si D. Parochus aliquod jus in Coemeterium habuit, cui non obstitit illius ad nos translationi? signum proinde est, quod ab initio Coemeterium nobis datum fuerit consentiente, vel saltem sciente, et non contradicente D. Parocho, *quod* autem *semel placuit, amplius displicere non potest*, ut loquitur Reg. 21. jur. in [†].[609] Deinde potuit Ill'mus D. fundator nobis donare Ecclesiam â se fundatam, licet ea prius sub jurisdictione Parochi fuerit, consequenter potuit et Coemeterium, cujus pariter fundator, et Patronus fuit, nobis consignare, nam qui potest id, quod, est plus, potest et id, quod est minus caeteris paribus. Denique, quando uni conceditur aliquid, censentur eidem etiam alia cum eo connexa concessa, quia juxta Reg. 42. Jur. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. quis verò inficiabitur? Coemeterium non esse connexum cum Ecclesia.

V. Cum Oppidani, seu Communitas Clanicensis liberam habuissent in Coemeterio sepulturam, habuerunt etiam in Ecclesia S. Leonardi, antequam ea nobis traderetur, duas campanas, quibus pro mortuis, et contra tempestatem pulsabant, quando, et quomodo illis libuit. Postquam Ecclesia reaedificata una cum turri fuit, illi suas Campanas ad nostram turrim imposuerunt hac conditione, ut liberam habeant sepulturam, uti antehac, simulque facultatem pulsandi pro mortuis, et contra tempestatem, Eorum petitioni annuit V. Diff'orium hoc per expressum declarato, quod Communitas teneatur tenere Campanatorem. *2tdò* ut Conventui etiam liberum sit iis uti. *3tiò* quod si una, aut altera Campana frangeretur, tenentur eam suis sumptibus refundere. Et quia nunc tertia campana turri imposita est expensis Conventus, si volunt, iis etiam hac cam-

pana pulsaretur, tenentur id solvere. Tenor litterarum Vn'blis Diffinitorii super hoc negotio expeditarum talis est:

Nos Frater Bonaventura Ukmar Minister Provincialis regularis Observantiae Provinciae Bosnae Croatiae, et Carnioliae Ordinis Sancti Francisci, caeterique infrascripti Diffinitores, nostro, et in Officiis Successorum Provincialium, Guardianorum, et reliquorum Officialium Claustri, seu Monasterii Clanicensis praefati Ordinis in Oppido Klanicz, pertinentiis Castri Czaszarvara, et Comitatu Varasdiensi existentis habiti, fundati nominibus, et in personis. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit singulis, et universis. Quod nos assumptis primò in nos per omnia, ac levatis oneribus universorum Fratrum, Patrum Provincialium, Diffinitorum, Guardianorum, et quorumvis Successorum nostrorum, quos videlicet infrascriptum tangeret, et concerneret, seu tangere, et concernere posset negotium quovis modo etiam in futurum, exactâ etiam Congregationis nostrae, et Consilii deliberatione superinde praehabita, sponte, et liberè fatemur, et recognoscimus hunc in modum. Qualiter nos per Ill'mum quondam Dominum Comitem Sigismundum Erdeody de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Supremum, et perpetuum Comitem, regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banum, et Nicolaum Seniorem Erdödy de dicta Monyorokerek Montis Claudii Comitem perpetuum, et in Oppido Klanicz in pertinentiis Castri Czaszarvara, et Comitatu jam fato Varasdiensi existenti habito pro erigendo Claustro, et Residentia fuissemus introducti, ibidemque per eosdem Dominos Comites nobis, et praedecessoribus nostris diruta Capella S. Leonardi in hunc finem cum Coemeterio resignata extitisset, quo in Coemeterio praefatae Capellae Communitas, et Oppidum Claniczense sese sepeliendi, ac pro defunctis pulsandi liberam absque omni prorsus solutione (quam etiam de praesenti haberent) habuissent facultatem, tum ex hoc, quam etiam ex eo, quod dicta Communitas Clanicensis certas duas Campanas, quas propriis suis sumptibus comparâsset, ad turrim nostram muratam noviter erectam veluti ad locum multò securiorem Ecclesiae nostrae, honori beatae Virginis Mariae Annuntiatae dicatae locari, et levari permisisset, eidem Communitati, et Successoribus eorumdem utriusque sexus universis amodo, et in futurum eamdem liberam sepeliendi in dicto Coemeterio antelatae Ecclesiae nostrae superius declaratae, muro per eamdem Communitatem circumdato, et deinceps circumdando, ac pro mortuis, et defunctis, prouti etiam contra tempestates pulsandi sine omni prorsus solutione facultatem plena, qua fungimur, authoritate, concedimus, admittimus, et confirmamus, prouti concessimus, admisimus, et confirmavimus praesentium per vigorem, his subannexis conditionum cautelis. Quod videlicet dicta Communitas proprium campanatorem in suis expensis tenere possit, et debeat. Guardianus, et Officiales Claustri funes, quos campanator procurare tenebitur, semper ad terram dimissos tenere debeant, et teneantur, qui campanator semper, dum voluerit, ad turrim nostram antenominatam ad videndas Campanas ingredi poterit, quas etiam Campanas ambas, vel aliquam ex illis casu quo ruere aut aliter frangi, et destrui contingeret, eamdem, vel eas dicta Communitas propriis suis expensis reficere tenebitur, suique universi erunt obligati. Hoc etiam per expressum declarato, quod si nos, aut aliquis Successorum nostrorum Patrum Fratrum Provincialium

1010

Guardianorum antelati quoque Claustri Clanicensis eamdem Communitatem Clanicensem in toto, vel in aliqua parte conditionum suprascriptarum turbaremus, turbareque, aut infringere praesumeremus, aut praesumerent, ex tunc dicta Communitas, liberam sine omni censurae Ecclesiasticae excommunicationis incursione propria duntaxat authoritate, requisitis primò, ut par est, in Officio nostro Successoribus id temporis existentibus, easdem Campanas de antelata turri accipiendi, et ubi ipsis in dicto Coemeterio melior, et securior videbitur commoditas collocandi, habeat authoritatis facultatem. Harum nostrarum nostra infrascriptorum Diffinitorum, et praescripti Conventus Clanicensis pro nunc Guardiani manu propria subscriptarum, et majori Officii nostri, et Conventus ejusdem Sigillis munitarum vigore, et testimonio litterarum mediante. Datum Camnicii 18. Julii Anno 1678.

Fr' Leopoldus Borkovich
(L. S.) Guard. Clanic.
Fr' Gabriel Tonjutto Diff'or actualis
Fr' Bonifacius Priuchich Diff'or act.
Fr' Joachimus Stross Prov. P'r, Diff'or act.
Fr' Petrus Seidetti Provi'ae P'r, Diff'or subrog.
Fr' Laurentius Thomassich Ex-Diff'or, Cust. act.
Fr' Bonaventura Ukmar Min'r Pro'alis
(L. S.)

VI. Quamvis in praeinserto Instrumento nulla mentio (quod fors per oblivionem ommissum fuit) fiat, quod Conventus Campanis Communitatis libere uti valeat, fuit tamen praedicta clausula expresse in Capitulo Provinciali anno 1678. Camnicii celebrato apposita; etenim Ses. 2. die 17. Julii sic conclusum fuisse legitur: *Acceptantur ad nostram turrim Clanicensem Campanae Communitatis Clanicensis, ejusdem expensis attrahendae, ita, ut Patres iisdem liberè uti, et etiam Campanator â Communitate solutus contra tempestatem, et pro mortuis, quoties opus fuerit, eisdem pulsare possit.* Hic pariter Campanae primò ad turrim attrahendae dicuntur, quae in praedicto instrumento jam in ea positae insinuantur.

§. IV.
De S. Antonio Patavino signis, prodigiisque coruscante, de ejus Confraternitate, aliisque piis exercitiis.

I. Quamvis S. Antonius de Padua ubique terrarum magnis refulgeat miraculorum splendoribus, ob quae meritò orbis Thaumaturgus appellatur, nihilominus hunc locum specialius sibi elegisse pro dispensandis suis gratiis intercessione S. Antonii mediante, mirabilis in Sanctis Deus videtur, vix enim reperitur quispiam, qui cum vera fiducia in quacunque tribulatione constitutus ad hunc Sanctum confugit, ut absque consolatione, et obtenta, quam

petivit, gratia recederet: unde si omnia miracula hic patrata circa res praesertim perditas miro modo restitutas, et tum hominibus, quam infirmis jumentis subitaneè redditas sanitates, conscripta essent, et quae scripta erant, incendio non periissent, magnum volumen conficeretur. Quamvis verò quamplurima adnotata miracula in exorto anno 1716. incendio periverint, unum tamen novum miraculum in ipso incendio factum caetera in cineribus sepulta renonavit: fuit namque in quodam cubiculo quaedam cartacea Imago S. Antonii Clanicensis, quae caeteris omnibus in cinerem redactis in medio flammarum cum Icone Virginis Tersactensis, de qua suprà, ab igne quoad ipsam figuram, nam in extremitatibus nonnihil adusta est, praeservata remansit. Quae Imago[610] ad perennem tanti prodigii memoriam in Capella S. Antonii ex parte Evangelii vitro obducta in hodiernum usque diem intuentium oculis exposita manet cum hac Chronographica subscriptione:

Carta**C**ea **IM**ago **DIVI** Anton**II** ab **I**gne ser**V**ata.

II. Inter miracula primae classis merito numerantur subitanea resanatio cujusdam puellae nomine Gertrudis Strassnerin 9. Martii 1765. apoplexia tactae in parte sinistra, quae omni sinistrae manus, et pedis usu destituta jacebat absque spe unquam obtinendae sanitatis usque ad 14. Augusti anni 1767. quo die mirabiliter pristinae sanitati per intercessionem S. Antonii restituta fuit. Quia supra hoc miraculum judicialis Inquisitio facta fuit, eam de verbo ad verbum ex Originali transcribo, quae hujus est tenoris:

Gerichtliche Inquisition
und
respective attestation.

Eines unter der herrschaft Wisell in Untersteuermarkh[611] bey einer durch den Schlag berührten lediges weibs Persohn sich ergebenen, und den lezten Augusti 1767. von dem Wohl Edel, und gestrengen herrn Josephen Ernest Mandel Pfleg- und landgerichts verwaltern der herrschaften Wisell, und Königsperg, dan herrn Sebastian Pollay der zeit kastnern in beyseyn Ihro hochwürden Patris Francisci Borgiae Sonntag Predigern in Klainz, Wohl Ehrwürdigen herrn Franzen Koschag der zeit Schloss-Caplan zu Wisell, dan Anton Neugar freirechtern unter benanten herrschaft, und Ihres vatters Josephen Strassner, sambt ihrer Mutter Catharina obrigkeitlich et jurato eingehollenen Mirakulß.

Es ist Gertraud des Josephen Strassners frey Rechters untern Schloss Wisell Eheleibliche Tochter ledigen standes anno 1765. bey dem herrn Georgio Zmanilovich Edelman in Croathen für eine spinerin gestanden, und praedicto anno den 9ten tag Marty durch den Schlag so, und dergestalten berührt, und getroffen worden, das ihro augenbliklich die jede auf eine halbe stund lang entfahlen, die ganze linke seiten völlig todt, und unempfindlich gemacht, auch der Mund so gestalten auf die seiten gezogen worden, das der hauß knecht solchen zurug gezogen, und gleich gerichtet hat.

Worauf Sie ins beth geleget, und nachgehends durch ihre Eltern auf einen laiterwagen nacher hauß geführet worden, alwo selbe von anfang biß zu ende weder die hand, noch

1012

den fuss bewegen, geschweigens aufstehen können, weil ihro der linke S. V. fusß gänzlich krum, und zusamen geschnurffet, auch todt, und ganz unempfindlich gewesen, mit einem worth, die ganze linke seiten ware so gestalten von dem Gottes gewalt getroffen, das man sie zu allen Nothdurften hat heben, und legen müssen, und niehmals auf die füss bringen können.

Den 14. Augusti 1767. da sie von allen ihren leuthen verlassener ganz allein in einem Cammerl gelegen, und ganz süss eingeschlaffen, so ist sie durch einen an der rechten seiten verspürten stich erwachet, und völlig aufgesessen, damit sie sich mit der auf dem fenster gelegenen Salben hat schmüren können, während dieser zeit aber beobachtet sie einen schein vor ihro, und gleichwie dieser Ihr ganz frembd, und übernatürlich vorgekommen, so hat Sie umb sich geschaut, und so dan rechter hand auf einem hölzenen Lahnusessel einen Franciscaner mit einen stoken in der rechten, und ein büchel in der linken hand haltend, und neben ihr sizend ersehen, welcher von der hta[†] mitter, und wunderschön weissen Angesichts ohne Mantel ware. Nachdeme sie neu solchen ersehen, so ist sie darüber erstaunet, und umb so mehr entsäzlich erschroken, alß Sie gedacht, diese vorstellung seye ein gespenst, und wurd ihr umb so übler ergehen, alß sie keinen Menschen zu hülff wurde errueffen könen, auch weil selbe eine so geraume zeit nicht gebeichtet hat. Worauf sie zu seyfzen, und den H. Antonium von Padua, und Mutter Gottes am H. berg, samt ihren Schuz Engel in herzen zu ruffen angefangen, worauf der neben ihr sizende Franciscaner vermutlich der H. Antonius von Padua mit folgenden Formalien sie angeredet: *Mägdlein habe kein forcht, ich thue dir nichts, und förchte dich nicht, ich habe dir eine wenige Medicin gebracht, die deinige hilft dir nichts, morgen wirst die meinige in etwas verspüren. – Gehe Mägdlein zu einem Priester, und lege ab eine wahre reumüthige beicht, so wirst du demnoch völlig gesund*. Gleich darauf, alß um Mitternacht hat sie zu Klainz leiten gehöret, und hat wegen außgestandenen schroken die ganze Nacht kein Aug zugethan, sondern biß an tag immer gedacht, was das für ein Medicin seyn muste. Der Franciscaner vermutlich der H. Antonius von Padua ist gegen zwey vhr fruhe erst verschwunden, und sie sich über eine halbe stund erst, nachdem sie die Erscheinung nimer gehabt, zurug geleget, wobey wunderbarlich beobachtet, das Sie alsogleich den krumpen, und zusamen geschnurften fuss außgestreket, den sie sonst nihemals bewegen können. Und weil sie diesen Effect gleich empfunden, so ist sie fruhe morgens auf den gedanken verfahlen, weil sie sonst niemahls den fuss außstreken und zurug biegen können, solches doch diese Nacht geschehen,

weiters zu probiren, ob sie nicht gar auf die füss stehen könte. Sie ist also auß dem beth gekrochen, bey dem beth nieder geknüet, aldort 5. Vatter Unser, und 5 Englische Gruss zu Ehren des H. Antonii de Padua, und U. L. F. am H. Berg gebettet, darauf aufgestanden, und unter der Thürschwelle ihrer Mutter, welche über ihre aufrechtstehung erstaunet, und das wunderwerkh nicht genug bewunderet, entgegen gekommen, und zu ihro gesagt, sie wolle ringsherum umb ihre felder gehen, wie sie auch solches das erstemahl den 15. Augusti 1767. alß an fest Mariae Himmelfahrt, alß an einem Sambstag, gleichwie sie auch an einem Sambstag von Schlag berührt worden, ganz trostreich, und voller freyden, nicht nur allein zu hauß bewürketh, sondern auch den 16. darauf, alß in die confraternitatis S. Antonii de Padua (nach welcher sie schon ehevor geseyfzet, und ihro Wohlehrwürdigen herrn Franciscum Koschag Schloss Geist. der Herrschaft Wisell während ihrer krangheit gebetten, Er Geistliche Herr möchte Ihro zu der Bruderschaft des H. Antonii verhilflich seyn) nacher Clainz geritten, aldorten auf Einrathen des erschunen H. Antonii de Padua gebeichtet, und in die angewunschene Bruderschaft sich einverleibet. Gleichwie sie auch den 8. tag ihrer genesung die nach während ihrer durch 2. [~~Jahr~~][612] ganzer Jahr, und 7. Monath gedauerten krangheit angelobte Wohlfahrt mittels aufnehmung einer H. Meess bey der gnaden vollen Mutter Gottes am H. berg verichtet, und so gestalten die schuldige danksagung vor erlangte gesundheit abgestattet hat.

Wir eingangs berührt, auch ends unterschrieben, und geförtigte attestiren hiemit der warheit zursteuer, das bey dem obstehend beschriebenen wunder, und augenscheinlichen Mirakul weder was vergrössert, nach gemindert, sondern die Formalia von worth zu worth bey der gerichtlich vorgekehrten Inquisition, wie diese die Inquisitin erzehlet hat, zu papier gesezet worden, auch gedachte Gertraud Strassnerin den 3. 7'ber 1767. fruhe morgens in gegenwarth der Geist- und weltlichen Obrigkeit an der herrschaft Wisell obige außsäge, und wahre begebenheit mit einem Solemnem Jurament bekräftiget, und unzweifelbahr gemacht habe. Actum herrschaft Wisell ut supra.

(L. S.) Mathias Corenini Vicarius loci m'ppa
(L. S.) P. Franciscus Borgias Deffabris Con'or, et Confrat. Director m'ppa
(L. S.) Jos. Ernst Mandel Verwalt. der landgerichts herrschaften Wisell, und Königsperg m'ppa
(L. S.) Sebastian Pollay Kastner m'ppa
(L. S.) Augustinus Franciscus Koschag Sacellanus Wisselii m'ppa
(L. S.) Anton Neügar
(L. S.) Joseph Strassner als Vatter
(L. S.) Catharina Strassnerin als Mutter.

1014

III. Ad majorem erga Divum Antonium Patavinum devotionem in populo excitandam fuit anno 1664. erecta canonicè Confraternitas ejusdem Sancti pro utriusque sexus Christifidelibus, quam Alexander VII. multis Indulgentiis condecoravit ut ex ejusdem Bulla patet, quae hujus est tenoris:

Alexander P. P. VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in Ecclesia Domus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum sub invocatione olim S. Leonardi, nunc verò S. Mariae Annuntiatae loci Klanecz Zagrabiensis Dioecesis una pia, et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas S. Antonii de Padua, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonicè erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores quamplurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt. Nos, ut Confraternitas praefata majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam: ac eisdem nunc, et pro tempore existentibus ┬ [Confratribus],[613] et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè quoque paenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam: Nec non tam eisdem descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus, verè similiter paenitentibus, et confessis, ac eadem communione refectis, qui Confraternitatis praefatae Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium die festo ejusdem Sancti Antonii de Padua â primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac eadem Sacra communione refectis Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium hujusmodi in S. Mariae Magdalenae, ac Nativitatis, et Purificationis beatissimae Mariae Immaculatae, ac Conversionis Sancti Pauli festis diebus, ùt praefertur, visitaverint, et oraverint, quo die praefatorum id egerint septem annos, et totidem quadragenas: Quoties verò Missis, et aliis divinis Officiis in dicta Ecclesia, vel Capella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam

qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum dictae Confraternitatis, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem eamdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad Salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, praesentes nullae sint, utque, si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, praesentes nullae sint eo ipso. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXX. Maji MDCLXIV. Pontificatus nostri anno decimo.

S. C. Ugolinus.

Datur facultas, ut in Ecclesia duntaxat praefata olim S. Leonardi, nunc verò S. Mariae Annuntiatae praesentium Indulgentiarum jam in proximo festo Ss. Simonis, et Judae Apostolorum publicatio, Confratrum, et Consororum conscriptio fiat, ita tamen, ut nomine omnium, et singulorum ejusmodi Confratrum, et Consororum Nobis velut Ordinario loci pro Confirmatione Regularum in directionem Confraternitatis ejusmodi jam forsan institutarum, vel instituendarum memoriale porrigatur, et tandem pro ulteriori etiam per alias Ecclesias super ejusmodi Indulgentiis in proximo festo Circumcisionis Domini fienda publicatione insinuatio fiat. Datum Zagrabiae die 18. Octobris Anno Domini 1664.

Petrus Petretich
Ep'pus Zagrabiensis.

IV. Cum R'mus D. Episcopus regulas quasdam pro directione, et augmento Confraternitatis institui voluerit, hinc erant quaedam conscriptae, ac eidem praesentatae, quas in festo Sanctissimae Trinitatis anno 1665. confirmavit. Alexander VII. Romanus Pontifex etiam Confratres, et Consorores defunctos Confraternitatis S. Antonii solari volens, aliis suis litteris incip. *Omnium saluti* Romae die 30. May 1664. benignè concessit, ut quandocunque Sacerdos aliquis Saecularis, vel Regularis Missam defunctorum singulis diebus infra Octavam S. Antonii, et secunda feria cujuslibet hebdomadae pro anima cujuscunque Confratris, et Consororis dictae Confraternitatis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit,

1016

ad Altare S. Antonii celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita, ut Domini Nostri Jesu Christi, beatissimaeque Virginis Mariae, ac Sanctorum omnium meritis sibi suffragantibus â Purgatorii poenis liberetur. Huic Pontificiae concessioni non est quidem inserta clausula *ad septennium*; quia tamen ad initium dicitur: *ad futuram rei memoriam*, non vero *perpetuam*, dicendum est, hanc concessionem esse juxta usitatum stylum Curiae Romanae intelligendam *de septennio*, quia clausula: *praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris* etiam ommissa est: unde quolibet septennio renovanda est.

V. Magnus solet, praesertim in quibusdam anni festivitatibus ad hunc S. Antonium miraculis clarum fieri populi concursus non tantum ex Sclavonia, et Croatia, sed etiam ex Styria. Exercitium S. Viae Crucis devotè frequentatur, et quolibet mense semel publicè ducitur. Concionatores bini unus diebus Dominicis, alter diebus festivis in lingua Croatica, seu Sclavonica verbum Dei populo proponunt. Praeterquam, quod hujus Coenobii incola saepius ad exaudiendas Confessiones in Parochorum subsidium evocentur, etiam infirmis assistunt, eisque saepius, etiam in majori distantia Sacramenta Paenitentiae, Sanctissimae Eucharistiae, ac extremae unctionis administrant, non obstante tempore brumali, aut pluvioso.

Caput IV.
Catalogus Fratrum in hoc Conventu piè in Domino defunctorum.

1650. 19. April. V.P. Franciscus Cervich Salcan. Conc. Ann. Rel. 12.
…… 27. Jul. V.P. Franciscus Bosnensis.
1662. 26. Oct. V.P. Philippus Comel Gorit. Ann. Rel. 20.
1667. 10. Apr. M.V.P. Josephus Orsich Guard. actual. Ann. Rel. 26.
1675. 2. Feb. VP. Raymundus Gassner.
1677. 12. Feb. M.V.P. Joannes Baptista Brulich Con'or, olim Guard. Ann. Rel. 32.
1679. 3. Feb. M.V.P. Berardus Bandar olim Guard. an. 39. Rel. 22.
…… 17. Mart. Rel. Fr' Bernardus Zuek laic. ann. Rel. 33.
1680. 9. Nov. V.P. Athanasius Diminich ann. 37. Rel. 20.
…… 9. Dec. Rel. Fr' Marianus Krayll laic. Lab. Ann. Rel. 26.
1681. 4. Apr. V.P. Georgius Superina Ann. 28. Rel. 11.
…… 4. Maji M.V.P. Pacificus Rachich Guard. act. Ann. 42. Rel. 19.
1682. 14. April. V.P. Bernardinus Pouse Ann. 44. Rel. 25.
1687. 7. Jun. V. P. Joannes Baptista Okunski Croata Ann. 32. Rel. 11.
…… 3. Dec. Rel. Fr' Lucas Hoffmann laic. Carlost. Ann. 35. Rel. 15.
1692. 10. Jul. Rel. Fr' Casimirus Chumar laic. Ann. Rel. 35.
1693. 9. Maji V.P. Faustinus Apurg Tyrol. Ann. 35. Rel. 9.
…… 16. Maji Rel. Fr' Hilarius Fischer laic.
1694. 5. Apr. Rel. Fr' Gregorius Gleich laic.

1703. 25. Maji Rel. Fr' Isaac Zirrer laic. Ann. 38. Rel. 20.
1705. 31. Maji ARP. Bonaventura Ukmar Croat. Samab. saepius Guard. olim Diff'or, Custos, et Provinc. Pater. Ann. Rel. 56.
…… 10. Sept. R. P. Ferdinandus Stadler, Styr. Conc. lect. Theol. bis Prov. Diffinitor, et Ex-Custos Ann. 62. Rel. 47.
…… 6. Oct. Rel. Fr' Rupertus Tollmayr Cler. Canal. Philos. stud. Ann. 24. Rel. 2.
1715. 16. Mart. Rel. Fr' Deodatus Buratelli Flumin. Cler. Philos. stud. ann. 20. Rel. 3.
1716. 9. Sept. Rel. Fr' Onuphrius Carl laic. Ann. Rel. 27.
1726. 2. Octob. Rel. Fr' Paulus Doviagk laic. Carn. ex Dobrava Ann. Rel. 45.
1727. 26. Mart. Rel. Fr' Donatus Urbanizi laic. Lab. An. Rel. 31.
…… 15. Aug. M.V.P. Gabriel Frey Vic. et Praes. nat. Bav. Ann. Rel. 41.
…… 6. Nov. M.V.P. Narcissus Crainz Ann. Rel. 47.
1729. 1. Feb. Rel. Fr' Crispinus Luz laic. Tyrol. Ann. 49.
…… 8. Jun. Rel. Fr' Marcellus Greslinger laic. Bav. Ann. 58. Rel. 28.
1731. 28. Sept. V.P. Conradus Berze Labac. Ann. 31. Rel. 14.
1733. 15. Maji V.P. Michael Sitter Camnic. Ann. 33. Rel. 13.
…… 23. Aug. V.P. Elias Köschner Ann. 42. Rel. 23.
…… 14. Nov. Rel. Fr' Adamus Riedel laic. Ann. 55. Rel. 22.[614]
1734. 28. Aug. Rel. Fr' Nicolaus Krussitsch Lab. Cler. Phil. stud. Ann. 20. Rel. 3.
1738. 9. Jan. V.P. Pius Michelitsch Ann. 54. Rel. 27.
…… 19. Apr. Rel. Fr' Balthasar Kossarnig laic. Ann. 65. Rel. 43.
…… 23. Maji V.P. Remigius Buglioni Philos. lector Ann. 43. Rel. 23.
1739. 26. Feb. V.P. Bernardus Pojaunigk Salcan. Ann. 29. Rel. 11.
…… 19. Sept. Rel. Fr' Cancianus Lausman laic. Bavar. Ann. 57. Rel. 30.
1740. 25. Nov. Rel. Fr' Bartholomaeus Ladovich laic. Ann. 68. Rel. 33.
1742. 21. Apr. M.V.P. Cyriacus Spreizer Lab. saep. Vic. et Guard. Ann. 59. Rel. 41.
1745. 30. April. M.V.P. Stephanus Paviz olim Guard. et per plures annos Concionator zelosissimus ann. 74. Rel. 51.[615]
1750. 30. Aug. V.P. Philibertus Penz Lab. Ann. 60. Rel. 38.
…… 16. Nov. Rel. Fr' Chrysanthus Geisenhoffer laic. Bavar. Ann. 59. Rel. 38.
1757. 25. Feb. Rel. Fr' Crispinus Golli laic. Carn. An. 59. Rel. 27.
…… 20. Maji M.V.P. Urbanus Nusdorffer saep. Guard. Jubilaeus Ann. 80. Rel. 60.
1758. 12. Maji M.V.P. Mansuetus Ehrenreich saep. Guard. et. Vic. Ann. 55. Rel. 37.

1018

1761. 12. Sept. M.V.P. Servulus Callin Gorit. Ann. 75. Rel. 60.
1763. 3. Maji A.V.P. Felicianus Brattusch Con'or, Ex-Diff'or Ann. 74. Rel. 55.
1765. 13. Sept. V.P. Longinus Knilling Org. Tyrol. Ann. 28. Rel. 10.
1768. 2. Maji Rel. Fr' Mariophilus Lautterer laic. Suev. Puch. ann. 54. Rel. 33.
…… 10. Maji Rel. Fr' Balthasar Schropff laic. Tyr. An. 68. Rel. 46.
1771. 24. April. Rel. Fr' Salvator Gassmayr laic. Tyrol. Hort. ann. 44. Rel. 23.
…… 17. Maji M.V.P. Maximinus Ude Lab. lect. Theol. An. 43. Rel. 27.
1773. 23. Mart. Rel. Fr' Severinus Asspacher laic. Tyr. Sculptor, mirae abstinentiae homo, et Religiosus omni virtutum genere excultus Ann. 64. Rel. 40.
1774. 23. Oct. V.P. Hyacinthus Lettnar Conc. Croat. Carn. Ann. 40. Rel. 22.
…… 13. Dec. V.P. Fulgentius Plessko Lab. Ann. 75. Rel. 55.
1780. 25. Oct. MVP. Wilhelmus Sumregg Carn. Labac. Conc. et act. Guard. ann. 60. Rel. 41.
1784. 14. Mart. MVP. Lambertus Fabian Carn. Neostad. Con'or Ss. Thl. lect. saepius Guard. ann. 58. Rel. 38.
1786. 19. Mart. R.P. Gelasius Matkovich Liburn. Flumin. Org. ann. 61. Rel. 43.

Caput V.
Elenchus P. P. Praesidentum, et Guardianorum Conventus Clanicensis.

Praesidentes.

A.V.P. Franciscus Tremanini Ex-Diff'or 1632.
M.V.P. Leonardus Buttorchich 1639. 1640.
V.P. Carolus Brioli el. 9. Jul. 1640. 1641.
V.P. Bernardus Vichich 1642. 1643.
A.V.P. Dionysius Ivankovich Ex-Diff'or 1644.
V.P. Benignus Decollaris 1647.
V.P. Joannes Maria Tarvisanus 1648.
V.P. Maxentius â Castua Con'or 1650.
A.V.P. Michael Noyse Ex-Diff'or 1651. 1652.
V.P. Carolus Perion 1653.
M.V.P. Franciscus Benkovich 1655. 1656. 1657.
M.V.P. Bonifacius Priuchich Conor, et lect. 1658. 1659. 1660. [erat primus Guardianus, ut pag. 993. num. 2. dixisti.][616]

Guardiani.

M.V.P. Ignatius Mogorovich Con'or 1661.
A.V.P. Dominicus Pizzulini Ex-Diff'or 1662. 1663. 1664.
M.V.P. Raphael Vuchich el. 15. Nov. 1664. 1665.
M.V.P. Casimirus Dimiakovich Con'or lect. 1666.
M.V.P. Josephus Orsich el. 22. Jan. 1667.
A.V.P. Dominicus Pizzulini, Ex-Diff'or el. 29. Aug. 1667. 1668.
M.V.P. Bonaventura Ukmar Con'or 1669.
M.V.P. Casimirus Dimiakovich Con'or, lect. 1670. 1671.
M.V.P. Berardus Bandar 1672.
M.V.P. Casimirus Dimiakovich Con'or, lect. 1673.
A.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or, Ex-Diff'or 1674. 1675.
M.V.P. Leopoldus Borkovich Con'or 1676. 1677.
M.V.P. Pacificus Rachich Con'or lect. 1678. 1679. 1680.
A.R.P. Bonaventura Ukmar Con'or Ex-Diff'or, Ex-Cust. Prov. Pater 1681. 1682. 1683.
M.V.P. Gabriel Scheffertnig Con'or, et lect. 1684. 1685. 1686.
M.V.P. Leopoldus Borkovich Con'or Gn'lis 1687.
M.V.P. Apollinaris Martiniz 1688.
M.V.P. Carolus Janeschitsch Con'or, et lect. 1689.
M.V.P. Felix Chiarpei Con'or, et lect. 1690.
M.V.P. Wenceslaus Muhizh Con'or 1691. 1692.
M.V.P. Bonaventura Gietler Con'or, lect. Thl'gus 1693.
M.V.P. Nicolaus Shussitsch 1694.
A.V.P. Eugenius Weilhard Con'or, lect. Thl'gus 1695.
A.R.P. Bonaventura Ukmar Con'or Gn'lis, Ex-Diff'or, Ex-Custos, Prov. Pat. 1696.

1020

A.V.P. Henricus Fabiani Con'or, lector Gn'lis Ex-Diff'or 1697.
M.V.P. Juniperus Merschnig 1698.
A.R.P. Bonaventura Ukmar, Con'or Gn'lis Prov. Pat. 1699.
M.V.P. Berardus Feitl 1700.
A.R.P. Bonaventura Ukmar Con'or Gn'lis, Ex-Diff'or, Ex-Custos, Provinciae Pat. 1701. 1702. 1703.
M.V.P. Josephus Radoviz 1704.
M.V.P. Georgius Lucich Con'or 1705.
M.V.P. Dominicus Pillepich Con'or 1706. 1707.
M.V.P. Bonaventura Gietler, Con'or, lect. Thl'gus 1708. 1709.
M.V.P. Georgius Lucich Con'or 1710. 1711.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1712.
M.V.P. Georgius Lucich Con'or Gn'lis 1713. 1714.
A.V.P. Mauritius Bobner Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1715.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1716. 1717. 1718.
M.V.P. Stephanus Paviz Con'or 1719.
M.V.P. Aloysius Valvasor 1720.
M.V.P. Casimirus Schlattner Con'or, Ss. Theol. lect. 1721. 1722. 1723.
M.V.P. Paulinus Rutter Con'or 1724.
M.V.P. Casimirus Schlattner Con'or, Ss. Theol. lect. 1725.
M.V.P. Ildephonsus Pomayr Con'or 1726. 1727.
M.V.P. Theophilus Zunzer Con'or, lect. Thl'gus 1728. 1729.
M.V.P. Aloysius Valvasor Con'or 1730.
M.V.P. Franciscus Corradini Con'or, Ss. Theol. lect. 1731. 1732.
M.V.P. Raphael Kovatschitsch 1733.
M.V.P. Alexander Bresciach Con'or 1734.
M.V.P. Felicianus Brattusch Con'or 1735.
M.V.P. Florentius Pober Con'or 1736. 1737. 1738.
M.V.P. Vincentius Mariaschitz Con'or, lect. 1739. 1740.
M.V.P. Rudolphus Gorsche Con'or 1741.
M.V.P. Honorius Kopfer Con'or 1742. 1743. 1744.
M.V.P. Ludovicus Plauzhoffen Con'or, lect. Thl'gus 1745. 1746.
A.V.P. Calixtus Watscher Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1747. 1748. 1749.
M.V.P. Waychardus Posarelli Con'or 1750.
M.V.P. Hieronymus Markillitsch Con'or, Ss. Theol. lect. 1751. 1752.
M.V.P. Ludovicus Buset Con'or, Ss. Theol. lect. 1753. 1754. 1755.
M.V.P. Florianus Tschokl Con'or, lect. Thl'gus 1756.
M.V.P. Nicephorus Abbich Con'or, lect. Gn'lis 1757.
M.V.P. Caelestinus Hriber, Con'or, lect. Gn'lis 1758.
M.V.P. Germanus Paulitsch Con'or 1759. 1760. 1761.
M.V.P. Jacobus Wocalitsch Con'or 1762.
M.V.P. Maximinus Ude Con'or, lect. Thl'gus 1763. 1764. 1765.
M.V.P. Maximus Selderer Con'or 1766. 1767. 1768.

M.V.P. Borgias Fabris Con'or 1769. 1770.
M.V.P. Norbertus Paccassi Con'or, lect. Gn'lis 1771. 1772. 1773.

1021

M.V.P. Cosmas Geislmann Con'or, lect. Gn'lis 1774. 1775. 1776.
M.V.P. Erenfridus Gnad Con'or, lect. Gn'lis 1777. 1778.
M.V.P. Engelbertus Arnold 1779.
MVP. Wilhelmus Sumregg Conc. 1780.
MVP. Erenfridus Gnad Con'or, lect. Gn'lis el. 24. Nov. 1780.
MVP. Severus Sever Con'or 1781.
MVP. Benedictus Mulei Con'or, lect. Gn'lis 1782. 1783.
MVP. Peregrinus Durbessich Con'or 1784. 1785. 1786.
M.V.P.[617] Vitus Tschebul 1788. 1789. 1790.
M.V.P. Cosmas Geiselmann, Con'r, Lect. gener. 1791. 1792. 1793.
M.V.P. Accursius Latkovich Con'r, 1794. 1795. 1796. 1797.
M.V.P. Verecundus Porenta Con'r, Lect. 1798. 1799. 1800. 1801.
M.V.P. Annanias Hostnigk Con'r. 1802. 1803. 1804.
M.V.P. Verecundus Porenta Consultor. 1805. 1806. 1807.
M.V.P. Chrysostomus Fogh Con'r, Lector Phl'iae 1808.
M.V.P. Bernardus Czalampich Con'r 1809. 1810. 1811. 1812. 1813.
A.V.P. Verecundus Porenta Ex-Minister, Df'tor 1814. 1815. 1816.
M.R.P. Raymundus Maurovich Con'or, Lector 1817.
M.R.P. Augustinus Cyriak[618] Con'or 1818. Deinde[619] eligebantur tempore Capituli v. Congregationis ordinariè mense Aug. v. Sept.
Anno 1817. M.R.P. Augustinus Czeriak, Paroch. Administrator 1819. 820. 821.
A. 1821. M.R.P. Emericus Gradeczky. Paroch. Adm. 822. 823. – Df'tor. 824. 825. 826. 827.
~ 1827. M.R.P. Gelasius Rubida, Paroch. Adm. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838.
~ 1838. M.R.P. Benedictus Dimmer, Paroch. Adm. 839. 840. 841.
~ 1841. ~ ~ ~ Fortunatus Horvath, Paroch. Adm. 842.
~ 1842. M.R.P. Gelasius Rubida, Paroch. Adm. 843. 844.
~ 1844. A.R.P. Stanislaus Vuković 845. 846. 847. 848. 849. 850. usque ad Capitulum.
~ 1850. A.R.P. Gelasius Rubida, Custos, qui resignavit, deinde (?) M.R.P. Antonius Lehpammer, Paroch. Adm. 851. 852. 853. 854. 855. 856. usq. ad Cap.
~ 1856. M.R.P. Nemesianus Smoković, Paroch. Adm. 857. 858. 859.
~ 1859. ~ ~ ~ Magnus Bosek 860. 861. 862. usq. ad Cap.
~ 1862. ~ ~ ~ Hyacinthus Herženjak, Paroch. Adm. 863. 864. 865.
~ 1865. A.R.P. Nemesianus Smoković, Custos, 866. 867. 868. –
~ 1868. M.R.P. Augustinus Pernar, Paroch. Adm. 869. 870. 871. 872. quo translocari debuit.
~ 1872. R.P. Bonifacius Pavliček, Paroch. Adm. 873. 874. 875. 876. 877. 878.
~ 1878. R.P. Leonardus Ziherl 1879.

Sigillum

Conventus Clanicensis praesefert Imaginem Beatissimae Virginis Mariae ab Angelo Salutatae, cum hac in orbe inscriptione: SIG. MINUS CON. CLAN. ORD. MIN REFORM.

21. Dec. 1779

1022

XII. CONVENTUS ad B. V. Mariam Annuntiatam NAZARETHI In Ducatu Styriae.

Caput I. De ducatu Styriae.

I. Styriae Ducatus Domui Austriacae subjectus habet ad Orientem Hungariam, et Sclavoniam, ad Septentrionem Austriam, ad Occidentem tenet Archiepiscopatum Salisburgensem, et Carinthiam, ad meridiem Carnioliam respicit. Longitudo ejus est juxta P. Herzog Cosm. Aust. Francisc. pag. 265. mill. german. 25. latitudo verò quasi mill. 14. Ast juxta modernos Geographos latius patet, nam longitudo ejus est 35. mill. et latitudo in aliquibus locis 22. mill. licet, id, quod est inter Carinthiam, et Austriam vix 8. mill. comprehendat. Praeter plures amnes, et fluvios omnium per universam Styriam principes *Murrha*, et *Dravus* ambo navigabiles celebrantur. Ab incunabulis suis â *Tauriscis*: dein circa Annum Christi 590. â *Vindis*, seu *Wandalis*: â *Bojaris* verò, seu *Bavaris* circa annum 791. inhabitata, ab horumque Principibus aliquandiu gubernata fuit.

II. Styriae Regio e Marchionatu in Ducatum sublimata fuit â Friderico I. Romanorum Imperatore, qui Ottocarum V. anno 1165. aut (ut vult Prevenhueber de Vet. Styria) VI. Leopoldi Styriae Marchionis filium anno 1180. Styriae Ducem instituit. Extincta in Ottocaro Ducum Styriae Prosapia, Ducatus ad Principes Austriacos, et quidem Leopoldum VI. cognomento *Virtuosum* Austriae Ducem, et mox fati Ottocari socerum, non titulo emptionis, ut quidam volunt, sed vi testamentariae dispositionis transiit, manetque usque in hodiernum diem. Ottocarus autem condito anno 1186. die 19. Augusti testamento praefatum Leopoldum haeredem instituit his verbis: *Communicato igitur meliorum nostrorum prudenti consilio, Nobilissimum, strenuissimum, fidelissimumque Ducem Austriae Leopoldum consanguineum nostrum, si sine haerede decesserimus, succesorem designavimus, cujus Provincia cum nostrae sit contigua, sub unius Patris, ac Principis facilius utraque valeat moderari iustitia* etc. Ita P. Herzog Cosmogr. Austr. Franc. pag. 265. ex P. Pusch S. J. §. 5. de Vet. Styriae March. Geneal.

III. Styriae regionis etymologiam invenire haud quisquam poterit, nisi, et Tauriscorum, quorum soboles sunt Styri, originem investigaverit, etenim Styros â Tauriscis populis descendere, nemo est historicorum, qui ambigat. Circa originem Taurisco-

rum diversae sunt scriptorum opiniones: aliqui putant, Tauriscorum nomen derivari â *Tauro* animali, germanis *Stier*, ex qua voce per aliqualem immutationem nomen *Steyerer* concrevit: hujus opinionis est Velserus, qui lib. 2. rerum Boicar. p. 44. dicit: *Tauriscorum, quod inter pauca admirandum, nomen interiit, nominis interpretatio in alia lingua mansit. Stiri sunt, utut mutatis aliquantum finibus, quod plerumque omnibus populis accidit. Stieri germanis tauri.* Velsero consentit D. Schönleben in Apparat. Carn. pag. 21. et alii. Tauriscorum nomen alii deducunt â montibus dictis *Taurus*, germanice *Tauern,* quorum multi hanc denominationem sortiti sunt, adjectis aliquibus additamentis, ut *Krimmlertaurn, Windischtaurn, Felbertaurn, Karntaurn* etc. ex eo, quia montes excelsi apud Graecos communiter *Tayra* vocabantur, quam vocem postmodum latini in *Taurum* commutarunt, montesque praealtos *tauros*, sive germ. *Taurn* etiam in aliis mundi partibus nominârunt: ne verò confusio inter tot montes hoc nomine insignitos oriatur, quilibet eorum speciale assumpsit distinctionis praedicatum. Populi, qui circa, et supra hos Montes habitabant, *Taurisci* nuncupari coeperunt. Alii verò contendunt, ipsos montes â Tauriscorum gente cognominatos fuisse *Tauros, Taurn*, et non gentem â montibus. Ego circa hoc exortam inter scriptores disceptationem non dirimo, sed aliis dijudicandum relinquo. Ommissa igitur Tauriscorum origine, ajo: germanicum nomen *Steÿerer* magnam connexionem habere cum nomine *Stier* (ob quod â vulgo *Heüfresser* nuncupantur) nullam cum nomine *Taurn*.

IV. Verisimilior mihi apparet circa nomenclaturam Stirorum opinio P. Pusch S. J. in sua Chronolog. Sac. Ducat. Styriae p. 1. § 3. qui etymologiam Stirorum deducit â Superioris Austriae, non procul â Styriae regionis finibus distante Civitate, nomine *Styra*; cum enim Boji post pulsos Wandalos, seu Sclavos suum imperium usque ad Dannubium extendissent, eorum Marchiones in Urbe *Styra* residebant: obinde Civitatem ipsam cum sibi adjacente Provincia *Styrae Marchiam*, vel ut latius lib. 6. de migr. Gent. habet *Styro-Marcham* nominatam fuisse, successu temporis communiter lingua teutonicâ *Stayer March*, hodie *Baÿernmarkt* vocitatam. Verba P. Pusch loc. cit. ita leguntur: *Prima nascentis Provincia, ac dignitatis* (Styriae Ducatus) *incunabula haud alibi, quam in vastissimo veterum Boiorum imperio, et quidem ad Styram fluvium, eique cognominem Urbem, nunc Austriae Superiori adjectam quaerenda sunt. Haec etenim primaeva Comitum, seu Marchionum Styrensium Regia, qui inter quaternos Boici limitis Praefectos arcendis hostibus invigilabant. Ab hac imprimis ipsimet Principes, dein Provincia, novis identidem incrementis aucta nomen STIRIAE sortita est. Nec sola vocis aetymologia id luculenter ostendit, sed etiam Insignia Urbi illi* (Stryae) *et hujati Metropoli* (Graecio) *totique Ducatui communia evincunt, quae nivei coloris Pantherem in campo viridi flammas eructantem, gentilem scilicet eorundem Marchionum tesseram, incertum, quâ causā primitus assumptam, repraesentant* etc. Hucusque P. Pusch.

1024

V. Praeter plures amnes, et fluvios omnium per universam Styriam principes *Murrha*, et *Dravus* ambo navigabiles celebrantur. *Styria* unicum habet Episcopatum, nempe Secoviensem (Major enim Styriae pars subest in Spiritualibus Archiëpiscopo Salisburgensi, magna item pars Styriae inferioris praesertim subjacet Archiepiscopo Goritiensi, ac Episcopo Labacensi) Praeter Episcopatum Secoviensem ab Eberhardo II. Archiepiscopo Salisburgensi sub Honorio III. Summo Pontifice anno 1220. fundatum, numerat universae Styriae Ducatus Abbatias quatuor, Praeposituras 5. Carthusiam unam, Parthenia Virginum (praeter ea, quae in Civitate Graecensi sita sunt, de quibus infra) […][620] *1ma*, et antiquissima Abbatia nominatur ad MONTES an. 1074. ab B. Gebhardo Salisburgensium Antistite fundata. *2da*: ad S. LAMBERTUM fundata ab Hermano Marquardi Ducis Carinthiae filio anno 1104. quae fundatio in Generali Curia Moguntiae authoritate Henrici IV. Caesaris sub dato XVI. Kal. Feb. ind. 12. confirmata fuit. *3tia* RUNAE Ordinis Cisterciensis â Leopoldo Marchione Styriae, Sophia ejus Consorte, et Ottocaro filio eorum anno 1129. fundata. *4ta*: ad NOVOS MONTES ab Ottone Austriaco Archiduce Alberti I. Imperatoris filio an. 1327. Praepositura *1ma* et antiquior est SECOVIENSIS ab Adalramo Comite de Waldeg anno 1140. fundata. *2da*: VORAVIENSIS ab Ottocaro, et Cunegunda ejus Conjuge fundata anno 1163. *3tia* STAINZENSIS â Luitoldo Comite, et Toparcha Wildonensi fundata Anno 1229. *4ta*: ROTTENMANNENSIS â Friderico III. Imp. fundata anno 1455. *5ta* PÖLLAVIENSIS ab Ill'mo lib. Bar. Joanne de Neüperg, hujus stemmatis ultimo fundata anno 1503. In his Praeposituris R. R. D. D. Canonici Regulares S. Augustini degunt. Carthusiam SEIZENSEM, quae totius Germaniae prima est, fundavit Ottocarus Marchio Styriae, Leopoldi Marchionis filius anno 1159. *Primus* velatarum Virginum Parthenon est GÖSSENSIS Sanctimonialium Ordinis Sancti Benedicti ab Adula Aribonis Toparchae Leobiensis Conjuge ad ann. 1004. fundatus, et ab ejus filio etiam Aribone ad fastigium perductus, cui subinde Cunegundis Soror, fundatricis filia praefecta fuit. *2dus* JUDENBURGENSIS In PARADYSO Sororum Clarissarum, quibus ad hunc locum vivente S. Clara introductis Henricus, et Gisla Conjuges Cives Judenburgenses anno 1256. Coenobium construxêre. *3tius* KIRCHBERGAE Sacrarum Virginum S. Dominici ante quinque jam saecula ab Austriae Ducibus fundatus, quibus accedunt Monasteria Marenbergense Ordinis et in Studeniz Ordinis.[621]

VI. Inter 16. Styriae Urbes celebrior, et totius Styriae Metropolis est *Graecium*, germanis *Graz*, quae â Murrha fluvio alluvitur. Omnem celebris hujus Urbis circuitum vallant alta moenia, propugnacula plura, et fossae profundae. Urbs adnexam habet rupem praecelsam, cujus verticem fortissima haud expugnabilis arx coronat duplici muro, altis moeniis munita, ac omni apparatu bellico peregregie instructa. Tria hic instituta sunt suprema Tribunalia videlicet: *Intimum Consilium, Excelsum Regimen,* et *Camera*, quae tria universae interiori Austriae (sub quo nomine non modo Styria, sed et Carinthia, et Carniolia cum Istria, et Comitatu

Goritiensi comprehenduntur) jura dicunt. Non mediocre hic Civitati addit ornamentum publica, ac celebris Universitas sub dato 1. Januarii anno 1585. â Carolo Archiduce fundata, atque â Sixto V. Summo Pontifice confirmata.

VII. Templa, et Religiosa Coenobia in Urbe Graecensi sequentia numerantur: *1ᵐᵘᵐ* Parochiale Sanctissimo Sanguini Redemptoris nostri sacrum. *2ᵈᵘᵐ* est Templum Aulicum S. Algidii cum Collegio, quod R. R. P. P. Societatis Jesu ab anno 1456. usque ad annum 1773. inhabitarunt. *3ᵗⁱᵘᵐ* S. Pauli Apostoli cum adjacente Coenobio R. R. P. P. Augustinianorum Eremitarum anno 1558. obtentum, subin per haereticos defoedatum, anno 1619. denuo reassumptum. *4ᵗᵘᵐ* Ad B. V. Assumptam cum Conventu P. P. Franciscanorum, olim ad Patres Conventuales pertinente, anno verò 1515. Patribus Franciscanis consignato. *5ᵗᵘᵐ* Ad S. Antonium Paduanum cum Asceterio R. R. P. P. Cappucinorum prius ad S. Laurentium dictum. *6ᵗᵘᵐ* Ad S. Leonardum cum Claustro Sanctimonialium Ord. S. Dominici, antea per nostros Fratres inhabitato, et anno 1515. patrocinante Maria Blanca Maximiliani Regis Romanorum Consorte Sacris Virginibus tradito. *7ᵐᵘᵐ* Ad S. Josephum Sponsum B. V. Mariae, cum Monasterio R. R. P. P. Carmelitarum Discalceatorum. *8ᵛᵘᵐ* Ad Omnes Sanctos cum Parthenone Clarissarum Monialium, qui e luthericolarum Musaeo, Ferdinando Archiduce mandante, et ejus Genitrice Bavariae Ducis filia, Caroli Archiducis Consorte Maria suffragante in harum Coenobium vocatis Monachiô Sacris Virginibus permutatus est anno 1602. *9ⁿᵘᵐ* Ad B. V. Annuntiatam cum Monasterio Monialium Carmelitanatum in littore Murrhae fluvii sito, fundato â Ferdinando III. Imp. ejusdemque Consorte Maria, ac Eleonora Ferdinandi II. vidua anno 1648. *10ᵐᵘᵐ* Ad Ss. Trinitatem ad ejusdem fluminis ripam cum Claustro Virginum de S. Ursula V. et M. nuncupatarum anno 1686. constructo: primae tres Virgines Viennâ evocatae fuêre.

VIII. Extra Urbem Religiosorum Monasteria sunt sequentia: *1ᵐᵘᵐ* Ad B. V. Auxiliatricem de *Succurre* dictam RR. PP. Min. Conventualium, qui postquam in ipso loco, ubi hodie in Urbe Franciscanorum Conventus spectatur, ab anno 1240. sedem habuissent, ac anno 1515. translati sunt. *2ᵈᵘᵐ* Ad S. Andream Apostolum RR. PP. Praedicatorum Ord. S. Dominici, hìc situm est magnum Urbis Coemeterium. Hic pariter adjunctum conspicitur Orphanotrophium cum Sacello Ss. Innocentium. *3ᵗⁱᵘᵐ* Ad B. V. Lauretanam cum Xenodochio, et Coenobio F. F. Misericordiae ex Ordine S. Joannis de Deo, qui per Maximilianum Ernestum Archiducem Ferdinandi II. fratrem anno 1615. introducti fuêre. *4ᵗᵘᵐ* Ad S. Joannem Baptistam RR. PP. Cappucinorum. *5ᵗᵘᵐ* Ad S. Annam Matrem B. V. Mariae RR. PP. Augustinianorum Discalceatorum in fossa monetaria. Pro hujus Monasterii fabrica Leopoldus I. primum lapidem posuit anno 1673. *6ᵗᵘᵐ* Ad S. Laurentium Mart. cum Nosocomio pro faeminis Sororum Elisabethinarum tertii Ord. S. P. N. Francisci. *7ᵐᵘᵐ* Templum est ad S. Spiritum cum hospitali Civico. His accedit Mons Calvariae, mille quasi passibus ab Urbis moeniis distans. Sunt igitur Graecii Monasteria virorum 9. faem. 5.

1026

Caput II.
De primae Capellae aedificatione, ejusque Fratribus Minoribus de Observantia Provinciae Bosnae Croatiae donatione.

§. I.
De aedificatione Capellae Lauretanae.

I. In Comitatu Cilejensi, Styriae inferioris intra Dioecesim Labacensem supra Castrum Altenburg, seu Mariae Burg eminet quidam peramoenus colliculus 8. milliaribus Labaco remotus. In hoc colliculo Celsissimus, et Reverendissimus D. Thomas Chrön S. R. I. Princeps, ac IX. in ordine Episcopus Labacensis cogitabat quoddam deliciarum, ut in eo praesertim tempore aestivo subinde suum exhilararet animum, aedificare. Ast, cum aliunde infra hunc collem sita sit Arx Altenburgensis ad Episcopos Labacenses spectans, mutavit consilium, ac, loco humani Deliciarii, jucundum glorisosissimae Virgini Mariae praeparavit habitaculum, aedificando scilicet Capellam Domui Laurethanae conformatam. Quia verò ipsa Laurethana domus primitus Nazarethi in Palaestina (â qua Civitate anno 1291. die 10. Maji primo Tersactum in Dalmatia, dein anno 1294. die 10. Decembris Laurethum Angelico ministerio translata fuit) steterat â tempore Apostolorum, qui eam domum, in qua B. V. Maria ab Angelo salutata et VERBUM CARO FACTUM EST, in formam Capellae redegerant, hanc Capellam Nazarethanam applicari voluit.

II. Quia autem monticulus isthic sub sanguinaria jurisdictione Dominii Sanneg (vulgo Unter Sanneggarischen Landgericht) situs est, praelaudatus Episcopus locum prius ab hac jurisdictione exemit, et liberavit, ut habetur registratum in Urbario Dominii Sanneg de die 2. Feb. 1629. his verbis:

Ex hoc territorio Domino Episcopo Labacensi etc. locus supra collem nempe, et agri penes Altenburgum ad aedificandam ibidem Ecclesiam in honorem B. V. Mariae Lauretanae datus, et assignatus fuit per me Joannem Sigismundum Comitem de Wagensperg, Dominum in Oberweitsperg, et Schwanberg Carinthiae haereditarium Mareschalum Caes'tae Reg'tae Cath. Majest. intimum Consiliarium, et Camerarium etc. Habito hoc consensu Celsissimus Princeps Thomas Chrön pro aedificio Capellae primum lapidem consecravit, et posuit die 26. Julii anno 1624., ut constat ex Protocollo Episcopali his verbis:

Anno MDCXXIV. die 26. mensis Julii positus erat, ac consecratus lapis primarius sub invocatione, ac titulo Beatissimae Virginis Mariae in cubiculo Domus Nazarethanae natae, caelitusque per Gabrielem Archangelum Salutatae in Colle castro Altenburgensi apposito, in quo deliciarium pro captanda aura olim construi debuerat, prius ab Illustri Domino Joanne Sigismundo Wagen Barone, ac Domino in Sanneg ab ejusdem jurisdictione sanguinaria ibidem cum Oberburgensi concurrente, quousque sepimenta agri nostri versus Praspergam oppidum extenduntur, etiam ad Saanum fluvium liberato, ac libertate donato.

III. Si Protocollum Episcopale, et Urbarium Dominii Sannegg ad invicem conferantur, nonnulla apparebit contrarietas; nam Episcopus dicit, quod anno 1624. jam fuerit Collis Nazarethanus â sanguinaria jurisdictione Dominii Sanneg liberatus, Urbarium verò Dominii praedicti collis assignationem refert ad annum 1629. Ast haec duo facile combinari possunt, si dicatur, quod Conventionis contractus jam ante annum 1624. factus, anno 1629. Urbario Dominii Sanneggensis primò insertus fuerit. Vel verò dicendum, quod Collis anno 1624. quoad jurisdictionem sanguinariam, anno verò 1629. etiam quoad Dominium directum Episcopo cessus fuerit. Quod enim monticulus etiam quoad dominium directum Episcopo consignatus fuerit, patebit ex litteris fundationalibus §. sequenti adducendis, in quibus Celsissimus fundator totum montem usque ad radicem Fratribus Minoribus donat, quod sanè fieri haud potuisset, nisi omnigena jurisdictio supra monticulum in Episcopum Labacensem translata fuisset. Nec contemnenda est eorum opinio, qui asserunt, Episcopum Labacensem semper habuisse Dominium directum supra Collem, Dominium verò Sanneg jurisdictionem sanguinariam, â qua praelaudatus Episcopus eum liberavit.

IV. Supra portam Capellae Laurethanae, quae respicit Coemeteriolum, et hortum Conventus orientem versus appositum est Insigne Celsissimi Principis, et Episcopi Labacensis Thomae Chrön, cum hac inscriptione: *Sacellum hoc Nazarethanum, veteri Laurethano, ut potuit, conformatum Thomas IX. Ep'us Labac. pia grat. ergo V. P. Anno S. S. Jubilaei MDCXXV.* Minimè tamen ex hac inscriptione desumendum est, Capellam hoc anno jam perfectam fuisse, nam ea sequenti aestate in maximo labore fuit, ut ex ipsius Thomae Episcopi verbis, in ejusdem Protocollo registratis patet hujus tenoris:

Anno MDCXXVI. Hac aestate valide incubamus huic fabricae Nazarethanae prope nostrum Castrum Mariaburgum, sive Altenburgum, scilicet ad turrim, muros per gyrum, campanas, earum consecrationem, tecta, januas, tabulata, sive laquearia Ecclesiae, picturas, statuas, cancellos ferreos, seras, et clausuras, cum pavimentis interiori, et exteriori pariter ex lapide albo, et nigro, et alia etc. perfecimus, una cum Sacristia, ita, ut Deo, Deiparaque Virgine propitiis vires concedentibus ad consecrationem propediem manus extendemus. Amen. Apparet ex his, Capellam anno 1626. nondum fuisse consecratam, quo verò anno consecrata est? nullum extat publicum Instrumentum id insinuans. Fuisse verò eam consecratam anno 1628. testimonium perhibet Valvasor Topogr. Carn. lib. 8. pag. 671.

V. Fuit Thomas Chrön Labaci in Carniolia Patre Cive, et Senatore natus anno 1560. Habuit Thomas Viennae avunculum D. Casparum Sittnikh J. U. Doctorem, qui hunc juvenem ad se accepit, et studiis applicuit, in quibus talem profectum fecit, ut in 18. suae aetatis anno inter Canonicos Labacenses loco Primi Truber Apostatae coaptatus fuerit. Post mortem Sebastiani Samungen factus est Ven. Capituli Labacensis Decanus. Anno 1597. die 24. Augusti ê vivis sublato Episcopo Labacensi Joanni Tautscher Graecii parentavit, et eodem anno in festo S. Lucae â Ferdinando II. Archiduce Austriae renuntiatus fuit Episcopus Labacensis. Ad Episcopalem dignitatem sublimatus omnem adhibuit curam, ut Gregem

sibi commissum curaret, et ab omnia zizania purgaret, oves errantes ad Ovile Christi reduceret, recte ambulantes in fide solidaret, Clerum redormaret, Ecclesias profanatas reconciliaret. Fidei zelo accensus haereticorum libros undique conquisitos flammis addixit, lutheranos Concionatores, seu Praedicantes patrocinante sibi Ferdinando Archiduce ê Carnioliae finibus exulare fecit, quo facto intra breve tempus ad 41000. animarum haeresi lutherana abjurata ad gremium Sanctae Romano-Catholicae Ecclesiae reduxit. Intra spatium 14. annorum consecravit Ecclesias 23. Altaria 54. ac 17562. personis Sacramentum Confirmationis administravit. Ab anno 1612. usque ad annum 1625. incl. 258. personis Minores Ordines contulit, in Subdiaconos ordinavit 285. in Diaconos 272. ac in Presbyteros 244. Paucis huic zelosissimo Antistiti Carniolia in acceptis referre debet, quod Catholica sit. Tandem exantlatis pluribus pro augmento fidei Catholicae laboribus postquam Ecclesiam Labacensem exemplariter annis 33. rexisset, humanis valedixit Oberburgi, ac ad Coelestem Patriam suorum laborum praemium recepturus, ut indubie sperare licet, evolavit die 10. Feb. anno 1630. annum agens 71.

VI. Thomae Chrön eodem anno in Episcopatu Labacensi successit Cel'mus, et R'mus D. D. Reinaldus Scharlichius natione Dalmata, Patre Nobili, et egregio milite, qui in bello contra Turcas vitam cum bonis amisit, relictis pluribus prolibus orphanis. Ferdinandus II. Romanorum Imperator, prolium curam suscepit, et Reinaldum, qui caeteris et doctrina, et prudentia praecelluit, filio suo Ferdinando III. postea Romanorum Imperatori Praeceptorem dedit. Dein factus fuit Praepositus Pisinensis, anno verò 1622. die 14. Augusti consecratus fuit in Episcopum Tergestinum praesentibus Episcopis Justinopolitano R'mo Domino Hieronymo Rusca de Rusconibus Ordinis Praedicatorum, Segniensi R'mo D. Joanne Baptista Agatich Ordinis S. Augustini, et Petenensi R'mo D. Carolo Weinberger ex Ordine Minorum de Observantia, ab altetitulato suo Ante[ce]ssore[622] R'mo et Cels'mo D. Thoma Chrön. Erat Reinaldus debilis pedibus, ita, ut etiam in primo ingressu ad Cathedralem Ecclesiam deportari debuit, nullasque Episcopales functiones per se, sed omnes per suum Coadjutorem perficiebat, nihilominus capite sanus, insigni enim doctrina, et prudentia pollebat, in omnique scientiarum genere apprimè versatus erat. Hic Ecclesiam Nazarethanam Fratribus Minoribus officiandam tradidit, eisque Conventum aedificavit, ac fundavit, ut mox §. sequ. videbitur. Postquam 10. annis Ecclesiae Labacensi laudabiliter praefuisset, die 7. Decembris anno 1640. ex hac vita migravit, ac Labaci sepultus fuit.

§. II.
De Ecclesiae, seu Capellae Nazarethanae Fratribus Minoribus de Observantia Provinciae Bosnae Croatiae donatione, et Conventus aedificatione.

I. Ut Capella Nazarethana (ad quam indies major fiebat populi concursus) majora etiam indies sumeret devotionis incre-

menta, Celsissimus, ac Reverendissimus S. R. I. Princeps Reinaldus Scarlichius Episcopus Labacensis sui praedecessoris in reformatione morum, ac promovendo cultu Divino impiger sectator, Ecclesiam S. Mariae Nazarethanae in Colle supra Altenburgum â suo praedecessore, ùt dictum, Thoma Chrön aedificatam Patribus Franciscanis Observantis pro tunc Provinciae Bosnae Croatiae, et Carnioliae officiandam obtulit, quam oblationem VDiff'rium in Capitulo Provinciali Labaci die 17. Octobris anno 1632. celebrato gratanter acceptavit. Visa hac acceptatione Celsissimus Princeps mox die 25. Octobris anni ejusdem confici curavit Inventarium omnium rerum, quae tunc in Capella reperiebantur, in praesentia R'mi D. D. Maximi Rigo Protonotarii-Apostolici, et Cel'mi et R'mi Principis Auditoris etc. Ad'm R'ndi D. Gregorii Rosmano Protonotarii Apostolici Parochi, et Commissarii Fraslaviensis, et Canonici Labacensis, Ad'm R'ndi Patris Leonis Magliavaz Provinciae Bosnae Croatiae, et Carnioliae Ministri Provincialis, et R'ndi D. Theodori de Mantua Diffinitoris actualis, et Guardiani Labacensis, ac R'ndi D'ni Magistri Jacobi Urabiz Sacerdotis Collegii Mariani Oberburgensis.

II. Porro res Ecclesiasticae, puta Calices, paramenta etc. quae tempore introductionis P. P. Franciscanorum in Ecclesia, et Altari B. V. Mariae, ac annexa Sacristia reperiebantur, erant, ut ex adnexo Inventario desumitur, sequentes:

In Sacrario

Calices 4. argentei, et deaurati, cum suis patenis N'o unus ex illis est inscriptus Inventario Altenburgensi.

Corporalia 5. Palae 3. Purificatoria 6.

Vela labore pretioso elaborata partim ex tela, partim ex serico 17.

Bursae 2. una ex serico, altera ex serandina alba, et rubra.

Substratoria 7. serico, et acu laborata.

Mappae pulchrae, et simplices in universum 10. et 2. ceratae.

Pulvinaria ex serico 2.

Albae cum Amictibus 5.

Cingula 3.

Superpellicea 3.

Casulae 4. una flavei coloris cum stola, et manipulo, altera ex filandria violacea, et alba cum stola, et manipulo. 3'tia ex Damasco lanio albo, et rubro cum stola, et manipulo. 4'ta ex Veludo nigro elaborata cum cruce, alba stola, et manipulo.

Missale unum novum.

Strophiola pro abstergendis manibus 8.

Strophiola pro ampullis 5.

Crux partim argentea, partim aenea deaurata, et gemmis intexta, supra illam corona perlina, ad pedes ejusdem Crucifixi est appensus nummus argenteus 4. Imperialium.

Antipendia ex Damasco hispanico violacea 2. et ex damasco violaceo et albo 2.

1030

Campanulae 5.
Urceoli 2. ex vitro cum pelvi, et ex stanno 2. cum pelvi.
Pelvis aenea pro lotione manuum.
Lampas, aut phanale unum ex vitro.
Descriptio translationis aedis Lauretanae.
Intortitia 6. librarum 20.
Candelae albae, et flavae librarum 40.
In turri campanae cum funibus 2.
Vexilla 2. parva ex lino.
Mensa pro paramentis cum almariis capsulis, et scamnis.

Ad B. V. intra Cancelos ligneos deargentatos.

Ad statuam B. V. annuli ex auro appensi 3. sunt 2. Rubinis capsati, tertius lapide insigni exsculpto ornatus.
Cingulum unum argenteum catenatum longitudinis ulnarum 2. interceptum nodis deauratis 6.
Par oculorum ex argento.
Ludovici Regis Hungariae moneta una argentea, et deaurata quantitatis unius Imperialis.
Item numisma unum argenteum, et deauratum quantitatis Coronati Veneti.
Caput parvum argenteum cum catenula.
Cor argenteum lapidibus duobus exornatum.
Corona 4. una ex alabastro nodis argenteis 7. et aureis 4. altera ex Coralinis, et perlinis 2. communes.
Ex partibus statuae Imagines 3 oleacei coloris.
Item statuae 2. pro capiendis Reliquiis ligneae, et deargentatae.

In Altari, et Ecclesia.

Candelabra 4. ex ligno, 2. deargentata, 2. rubra, et deaurata.
Crucifixus ligneus, et deauratus, ad quem sunt appensi 2. Agnus Dei, et Corona una.
Imagines B. Virginis 2. parvae.
Pagella Secretorum.
Litaniae Nominis Jesu, et beatae Virginis.
Exemplar Indulgentiarum.
Capsula pro colligendis eleemosynis.
Intorticia 2. Insignibus defuncti Episcopi depicta.
Vas ex stanno pro aqua benedicta.
Imagines ad parietem Ecclesiae oleacei coloris magnae 8.
Lampas argentea â civibus Labacensibus oblata B. Virgini.
Crucifixus supra fenestram deauratam in tabulis ligneis depictus.
Genuflexoria 2.
Tapete unum pro obtegendo Altari.
Intorticia, ut offeruntur â rusticis, ornata 3.
Lectorinum 1.

In Sacello ante Ecclesiam

Candelabra aenea 2.
Crucifixus ligneus 1.

1031
N'o 44.

Pagella Secretorum.
Imagines 2.
Tapete unum.
Lampas ex vitris.
Intorticia ùt in Ecclesia 2.
Fenestrae Ecclesiae, et portae vitris, ac seris bene, ac necessariis ornatae, et munitae.
Item velum ex serico caerulei coloris pro obtegenda imagine B. M. V. cum fimbriis auro, et serico textis, zonisque sericeis pro attrahendo, et aperiendo.

In Arce Altenburgensi.
Inventario ejusdem Arcis inscripto.
Thuribulum argenteum cum navicula argentea, et cochleari.
Casula ex serico auro, et argento contexta cum stola, et manipulo.
(L. S.) Reinaldus Ep'pus Labac.

III. Facto Inventario Ecclesia illico P. Ministro Provinciali praesenti, et acceptanti nomine totius Provinciae una cum praedicto Inventario consignata fuit, quam consignationem R'mus D. Episcopus patentibus litteris sub die 1. Januarii 1633. confirmavit. Insuper pro construendo Conventu totum montem usque ad radicem concessit una cum certa provisione calicis, et lignorum etiam pro futuris perpetuis temporibus, cum oneribus ibidem annexis, quae omnia ex ipsis litteris originalibus, quas subnecto, luculentius patet:

Ad perpetuam rei memoriam.

Nos REINALDUS SCARLICHIUS Dei, et Apostolicae Sedis gratia X. Episcopus Labacensis, et Princeps, Sac. Caes. Majestatis Ferdinandi II. etc. Consiliarius, ac pro eodem in Excelso Inferioris Austriae Regimine locumtenens, nec non S. Catholicae Religionis per universam Carnioliam, Styriam inferiorem ad Sotlae torrentem, et Carinthiam ad Dravum usque fluvium Reformator etc.

Tenore praesentium notum facimus, quibus spectat universis, quod Pastoralis Officii nostri rationem exactius considerantes, curamque gregis nostri Dei gratia nobis commissi assumentes, et Summi illius Pastoris, ac Patrisfamilias vestigiis debite tum errantes reducendo oves, tum fideles in vinea Domini elaborandum collocando operarios inhaerere volentes, plurima menti nostrae subvenerint meditanda: Optime quidem nobis constat diversos Sacrarum Religionum operarios in vinea, et agro Ecclesiae Suae Sanctae excolendo â Patrefamiliarum providentissimo destinatos esse, tamen in sublevanda, et extollenda Imagine sua, in ejusdem salute studiosè procuranda, et promovenda, in vitae, morumque honestate debite instituenda, et plantanda in reliquis non minimos reperimus Minores Fratres Sancti Francisci de Observantia nuncupatos. Testantur fructus uberrimi tum exemplari vita, tum religiosa observantia, velut â fidelissimis vineae Dominicae cultoribus promanati, quod hucusque cordi nostro firmiter inhaeserunt, ex quibus singularis erga universam hanc Seraphicam Religionem processit, et indies crevit affectus, ut et ipsum in effectum tam pro nostra

1032

quam pro memorati gregis nostri nobis commissi salute, nunc deducere conati simus. Ad honorem ergo, et majorem gloriam Dei Omnipotentis, et Ejus glorisosissimae Virginis Matris Mariae, et Patris Francisci Ecclesiam nostram in B. Virginis Nazarethanae honorem consecratam, supra castrum nostrum Altenburgum Episcopatus nostri Labacensis cum fundo, et monte ad radices usque sine impedimento tamen viae communis circumcirca derelinquendae, pro constando, et de novo ibidem erigendo Monasterio praedictis Fratribus Minoribus Sancti Francisci de Observantia Provinicae Bosnae Croatiae, et Carnioliae, una cum certa provisione calcis, et lignorum tam pro fabrica persolvenda, quam pro aliis necessitatibus perpetuis temporibus â nobis assignandis, ad haec et piscatione in aquis nostris praefixis terminis concedenda, jure ad nos pertinente plena auctoritate, ac libera voluntate Invictissimi Imperatoris nostri Ferdinandi Secundi gratiosissimo habito consensu contulimus, cessimus, ac dedimus, uti et his praesentibus omni meliori modo etc. conferimus, dedimus, ac damus. Ut verò memoria tam hujus nostrae liberrae voluntatis, collationis, ac cessionis, quam beneficii â nobis ipsis Fratribus praestiti perpetua habeatur, cupimus, ac volumus, ut Fratres in Conventu Nazarethano constituti omnibus septimanis, singulis sextis feriis pro vivis successive, singulis verò mensibus pro piè defunctis praedecessoribus, et successoribus futuris unam Missam inviolabiliter dicant, et celebrent. Insuper Nobis, et Successoribus nostris Ecclesiae praedictae duntaxat liberum visitandi ingressum, omni remoto obire, reservamus, uti etiam designationem Guardiani praefati Conventus Nazarethani, tempore futuri Provincialis Capituli, aut Congregationis in memorata Provincia, quandocunque celebrandae, ita, ut dum duos, aut tres pro Guardianatu illo ad nostrum arbitrium proponimus, Superiores majores, vel illi, ad quos jure, ac legitime spectat, ex propositis deligere, et ad praefatum Conventum unum pro Guardiano loci (salvis semper Ordinis Constitutionibus in aliis quibuscunque) destinare, et determinare teneantur. Caeterum confidentes de Salvatoris nostri promissione aeterna, quam his, qui temporalia ob sui amorem praestant bona, pollicitus est in altera vita centuplum reddenda Reliqua Superioribus Ordinis pro nobis fienda, ac facienda benignè remittimus, ac concedimus, rogantes, omnes Successores nostros, qui hanc liberam nostram voluntatem, cessionem, ac donationem consensu Caesareo factam viderint, aut legerint, ut in illo Conventu Fratres Minores S. Francisci de Observantia degentes, omni favore, amore, et gratia prosequantur, hic nostrae voluntati, concessioni, et dationi annuentes, praemii aeterni unà nobiscum participes reddantur: in contrarium se indignationem Dei Omnipotentis, B. V. Mariae, et Sancti Patris Francisci noverint incursuros. Datae in nostra Episcopali Residentia Oberburgi die prima mensis Januarii Anni post partum Virgineum Millesimi Sexcentesimi trigesimi tertii.

Reinaldus Episcopus Labacensis (L. S. pend.) Simon Jursitsch Vice-Cancellarius

IV. Quae circa praeinsertas fundationales litteras necessario observanda occurunt, declarabo in seq. cap. Ut autem isthaec fundatio inviolabilis firmitatis robur accipiat, Celsissimus fundator Suae Caesareae Majestatis consensum exquisivit, et obtinuit; absque enim Imperatoria facultate nec fundatio Conventûs fieri potuisset ab Episcopo Labacensi, utpote qui de bonis ad Episcopatum pertinentibus, quorum tantum Administrator, non Dominus proprietarius est. nihil alienare potest absque Consensu fundatoris ipsius Episcopatus, qualis est Aug'ma Domus Austriaca. Factam igitur concessionem, et donationem Ecclesiae Nazarethanae Fratribus Minoribus, Ferdinandus II. Romanorum Imperator, et Archidux Austriae non tantum confirmavit, ac ratam habuit, sed etiam hunc Conventum cum omnibus pro tempore in eo habitantibus, ac cunctis ad eum pertinentibus in specialem suam protectionem Caesaream assumpsit, et omnia privilegia, exemptiones, libertates, quibus alia hujusmodi loca, et personae in suis ditionibus perfruuntur gratiosissime concessit demandando sub poena 50. Marcarum puri auri omnibus Regnorum gubernatoribus, aliisque Officialibus, cujuscunque gradus, dignitatis, aut praeeminentiae existant, ne ipsis Fratribus aliquam molestiam causare, aut eos in suis juribus, et privilegiis quocunque modo, aut sub cujuscunque praetextu molestare praesumant, sed potius in ipsorum juribus, et privilegiis manuteneant, ac contra quoslibet injustos impetitores, et turbatores nomine Caesareae Majestatis strenuè defendant, et protegant.

V. Porro Caesareum Diploma (quod ex Originali transumo) manu propria subscriptum, ac majori pendenti sigillo munitum, ac die 3. Maji Viennae anno 1635. exaratum talis est tenoris:

Nos FERDINANDUS Secundus Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Ungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Luxemburgi, ac superioris, et inferioris Silesiae, Wirtembergae, et Teckae: Princeps Sueviae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, et Goritiae: Landgravius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgaviae, ac superioris, et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis, et Salinarum etc.

Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus, et notum facimus tenore praesentium, quibus expedit universis. Christianae nostrae curae, et solicitudinis opera pro Regnorum, et Provinciarum nostrarum salute, et felicitate haud dignius, et magis fructiferè impendi posse arbitramur, quam, si ea, quae ad gloriosam Domini Dei nostri laudem, ejusque Sanctorum honorem respiciunt, ante omnia sedulo procuremus, adoque Sacris praesertim faveamus fundandis locis, in quibus religiosae personae vanis mundi spretis deliciis, pia Sanctorum Patrum imitantes exempla, suave Domini jugum in assiduis piis operibus ferunt, ac Omnipotenti tamquam palmites adhaerentes, et illius Divini Numinis, atque Sanctorum suorum memoriam devotè celebrantes, caelestem gratiam pro omnium beneficio uberrime mereri, ac juxta suis Sanctis doctrinis, et

1034

conversationibus fidelium corda, quasi imbribus caelestibus utiliter irrigare student. Quando itaque Venerabilis Reinaldus Episcopus Labacensis noster Consiliarius, et interioris nostri Regiminis Austriaci locumtenens, Princeps devotus, Nobis dilectus ad honorem, et majorem gloriam Dei Omnipotentis, et ejus gloriosissimae Virginis Matris Mariae, et Sancti Patris Francisci Ecclesiam suam in beatae Virginis Nazarethanae honorem consecratam supra Castrum Altenburgum Episcopatus Labacensis cum fundo, et monte ad radices usque pro construendo, et de novo ibidem erigendo Monasterio Fratribus Minoribus Sancti Francisci de Observantia Provinciae Bosnae Croatiae, et Carnioliae, unà cum certa provisione calcis, et lignorum tam pro fabrica persolvenda, quam pro aliis necessitatibus perpetuis temporibus ab ipso assignandis, uti etiam piscatione in aquis suis praefixis terminis, concedenda nostro gratiosissimo habito consensu contulit, cessit, atque dedit, ea nimirum ratione, et conditionibus, prout in sequentibus cessionis, et collationis continetur litteris, videlicet

Hic sunt insertae de verbo ad verbum litterae fundationales R'mi D. Ep'pi Reinaldi supra n. 3. allata, quibus recitatis prosequitur Imperator hoc modo.

Nos ex supra memorato nostro animo, et affectu hujus Monasterii erectionem, ac fundationem promovere, ac protectionis, et gratiarum nostrarum beneficiis munire cupientes, dictam â Venerabili Reinaldo Episcopo Labacensi eidem factam cessionem, et collationem ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, ac de potestatis nostrae plenitudine, vigore praesentium denuo benigne approbamus, ratificamus, atque confirmamus ita nimirum, ut ex nunc perpetuis futuribus temporibus constituendus honorabilis eligendus hujus Nazarethani Conventûs Guardianus, ejusque Successores unà cum Monachis, et Fratribus, atque Conversis, seu Novitiis, ac servientibus suis omnibus, et singulis hanc ipsam structuram, et Monasterium in dicto loco unà cum memorato calcis, lignorum, et piscatione usu quietè inhabitare, ibidemque pias ad Deum preces fundere, ac alia religiosae professionis, et vitae suae exempla, et officia exercendo, suae, aliorumque fidelium animarum saluti vacare, atque consulere, et ob id ipsum pro sustentatione sua juxta normam, et regulam sui Ordinis praescriptas eleemosynas absque omni impedimento colligere possint, ac valeant. Et ut iidem Fratres Minores S. Francisci de Observantia Omnipotenti Deo nostro tantò devotius possint famulari, quanto magis exterioribus curis, molestiis, et vexationibus fuerint absoluti, ita hoc de novo erigendum Monasterium unà cum omnibus Confratribus aliisque personis, ministris, et servitoribus sui, in nostram, haeredumque, ac Successorum nostrorum specialem tuitionem, et protectionem recipimus, atque praeterea statuimus, et te-

nore praesentium firmiter praecipimus, ut hoc in memorato loco erigendum Monasterium, Conventus, et Sacra Dei Domus, ac ipsi Fratres Minores S. Francisci de Observantia, eorumque Ministri, Servitores, ac familia tota in omnibus, et per omnia gaudeant, fruantur, ac potiantur privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, juribus, praerogativis, gratiis, ac beneficiis, quibus omnia alia hujus Ordinis Monasteria, Religiosorum Sacrae Domus, et loca, Deoque Sacrati viri, et Religiosi in nostris haereditariis Regnis, et Provinciis, ac ditionibus gaudent, fruuntur, utuntur, ac potiuntur quomodolibet de consuetudine, vel de jure. Quapropter universis, et singulis nostris Principibus Ecclesiasticis, et Saecularibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Gubernatoribus, locumtenentibus, Praefectis, Praesidentibus, Capitaneis, Vice-Dominis, Castellanis, ac Urbium, Civitatum, Oppidorum, et quorumcumque locorum, et Communitatum Rectoribus, Burgimagistris, et Consulibus, ac aliis subditis, et fidelibus nostris cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut praeeminentiae existant, serio mandamus, et praecipimus, ut praefatos Fratres Minores S. Francisci de Observantia, totumque ipsorum Conventum, et Monasterium Nazarethanum in praefata cessione, collatione, donatione, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, juribus, praerogativis, praesertim verò in colligenda eleemosyna, ab omnibus aliis gratiis, beneficiis, ac concessionibus nostris non impediant, nec minimam molestiam, vel injuriam inferant, aut â quopiam inferri permittant, quin totius ipsos nostro, ac haeredum, et successorum nostrorum nomine in omnium istorum libero usu perpetuis futuris temporibus firmiter manuteneant, ac defendant. Si quis autem hanc nostrae fundationis, gratiae, et privilegii paginam transgredi, vel ausu quovis alio temerario violare praesumpserit, cujuscunque dignitatis, et status existat, is praeter iram, et ultionem justi Dei Vindicis, quam scire potest quilibet ex alto contra violatores Sacrarum domorum provenire, etiam nostram, haeredum, et successorum nostrorum gravissimam indignationem, et mulctam quinquaginta Marcarum auri purissimi tam nostro, et haeredum, ac successorum nostrorum aerario, quam hujus Monasterii usibus ex aequo, omni spe veniae sublata pendendam se noverit ipso facto incursurum. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, sigilloque nostro majori Caesareo communitarum. Datum in Civitate nostra Viennae die 3. mensis Maji, Anno Domini Milessimo Sexcentesimo trigesimo quinto, Regnorum nostrorum Romani decimo sexto, Ungarici decimo septimo, Bohemici vero decimo octavo.

Ferdinandus m'ppa

Joannes Baptista Comes de Verdenberg	(L. S. pend.)	Ad mandatum Sac^{tae} Caes^{tae} Majestatis proprium Casparus Frey

VI. Facta, et confirmata cessione Ecclesiae, et donatione fundi pro construendo Monasterio, illico Fratres â Superioribus

1036

Provinciae cum litteris commendaticiis ad diversos benefactores (quia beneficia, et auxilia â Celsissimo fundatore subministrata non erant sufficientia pro toto Conventu, et Ecclesia ampliori aedificandis) exmissi erant; eorum auxilium imploraturi, quatenus pro celeriori Conventus aedificatione adjutrices benignè porrigerent manus. Quod ambitus major â meridie in septentrionem protensus anno 1639. (quo anno primus Guardianus institutus legitur P. Georgius Ugollinus Ex-Diff'or) suam saltem externam perfectionem jam attigerit, patet ex horologio solari in muro versus horticellum interiorem depicto, ubi praedictus annus legitur appositus. Conventus non censetur fuisse totus simul aedificatus, sed primitus aedificatus fuit ambitus magnus cum ambitu Novitiatum versus per modum litterae L. ita ut ex ambitu pateretur descensus ad Sacristiam. Postquam verò Ecclesia ad totalem perfectionem, prout hodie visitur, devenerat, adjunctus fuit alius ambitus chorum versus, et conjunctus cum Ecclesia. Tandem anno 1686. sub Provincialatu A. R. P. Antonii Lazari in Congregatione intermedia Labaci die 10. Feb. celebrata aedificatum novum pro Novitiatu, ejusque delineatio exhibebatur, et approbabatur, hinc post Capellam Laurethanam hoc tempore aedificatus fuit Novitiatus, in quo sunt 7. Cellae pro Novitiis praeter Cellam P. Magistri, et Scholam, in qua Novitii lectiones Spirituales, et instructiones excipiunt â suo Magistro, in cantu chorali exercentur, aliisque Spiritualibus exercitiis oblectantur. Fuit autem Conventus hic jam anno 1680. deputatus pro Novitiatu, â quo semper hìc permanet.

VII. Quamvis verò Patres nuli parcebant labori in conquirendis sufficientibus pro construendis Conventu, et Ecclesia subsidiis, attamen non obstante omni possibili adhibita opera aedificium tam lente exurgebat, ut nec anno 1654. aliqua ex parte perfectum fuisse videatur, uti colligitur ex actis diffinitorialibus Congregationis intermediae Labaci die 12. Aprilis 1654. celebratae, ex qua emanavit sequens Decretum n. 7: *Nec in Conventu Nazarethano aliqua nova fabrica incipiatur, sed prius incoepta perficiatur.* Patet igitur, quod fabrica incoepta necdum perfecta fuerit. Imo Conventus primò suam totalem perfectionem (Novitiatum demas, qui tardius, ut dictum, adjunctus fuit) vidit anno 1666. aut ad initium anni 1667. quod denuo ex quodam Decreto Diffinitoriali in secunda intermedia Congregatione Labaci die 22. Januarii anno 1667. celebrata lato apparet hujus tenoris: *Conventus Nazarethanus jam completa fabrica quoad cultum Divinum se aliis Conventibus conformet, e matutinum de nocte absolvat.* Sunt nunc in toto Conventu Cellae Religiosorum 39. nam in Novitiatu sunt Cellae cum cella P. Magistri 8. in ambitu adnexo cum duobus cubiculis pro infirmis cellae 8. in ambitu majori Cellae 14. in ambitu chorum versus Cellae 7. quibus, si adjungantur Arcularia, et Pharmacopaeja, sunt Cellae 39.

VIII. Praeter haec 39. cubicula in Conventu pro Religiosorum habitatione extructa, sunt penes portam extra clausuram tria alia cubicula pro hospitibus saecularibus, quorum unum dici-

tur *cubiculum Principis* (Fürstenzimmer) probabilius ex eo, quod penes Ecclesiam loco cujus aliunde deliciarium erigi debuisset, fuerit excitatum aliquod aedificium pro commoditate Principum, eo demum in spatium pro erigendo Conventu converso, sibi habitationem in Monasterio delegerit, ac speciale cubiculum pro sua commoditate erigi curaverit: unde etiam cubiculum illus semper appellatur *cubiculum Principis* usque ad hodiernum diem, sed haec conjectura non undequaque fundata videtur, nam si Princeps pro se aliquod cubiculum habere voluisset, illud potius in superiori ambitu fabricâsset, et pro dignitate suae personae magis exornâsset, quam penes terram in loco humido. Tum quia commodior est habitatio pro uno Principe in arce Altenburg mox sub monte sita, quae aliunde ad ipsum pertinet, quam in Conventu: mihi apparet, quod Principes Nazarethum saepius venientes, et ibidem cibum sumentes, in hoc cubiculo refocillari praelegerint, et ex eo Principum cubiculum vocitari coeperit: si haec mea conjectura alicui non placet, seligat priorem, aut novam [~~fingat~~] inveniat.[623]

IX. Cum Conventus isthic in monticulo situs, in loco sano, ac peramoeno, cui hortus per unam partem usque ad radicem ejusdem extensus adjacet, suis numeris absolutus maximo semper laboraret aquae defectu, cogitatum fuit saepius, quomodo huic necessitati occuri posset. Erat quidem in horticello cisterna dissipata non valens continere aquas, obinde oportebat saepius, praesertim tempore siccitatis aquam ex fluviis montem alluentibus equis adducere cum expensis non exiguis faciendis in equos, currus, vasa etc. Dum cogitaretur de adducenda aqua ad montem per syphones, et expensae graves imminerent, contigit casu, aut speciali Dei ordinatione, quod quaedam Domina ex *Gonovitz* nominata Margarita Michlin iret peregrinatum ad S. Xaverium, et in nostro Conventu diverterit, cui inter caeteros sermones proposuit eidem P. Waychardus Posarelli p. t. Guardianus defectum aquae, quae commiserans Conventui sponte obtulit 100. f. quo beneficio cum gratiarum actione accepto, mox praedictus Guardianus habita licentia Celsissimi, et Reverendissimi Episcopi Labacensis in scriptis obtenta, per cujus agros aqua ex vicino monte *Dobraule* dicto duci debebat, ac Ill'^mi^ Domini L. B. Curti ex Sanneg, cujus tres rusticos, seu potius terrena ipsorum hoc opus tangebat, habito item concensu V. Diffinitorii operi manum admovit. Hinc

X. Anno 1752. die 29. Septembris in festo S. Michaelis Archangeli labor sumpsit initium, dum ipso die positus fuit alveus, et praevia benedictione fontis impositae Reliquiae Ss. Vincentii, et Christinae M. M. cum sequenti inscriptione: *Praevia benedictione fontis die 29. 7'bris 1752. impositae fuerunt Reliquiae Ss. Vincentii, et Christinae M. M. per me P. Waychardum Posarelli p. t. Guardianum* quae manent in capsula ex lamina reposita, et ex parte sinistra Orificii, ubi infixus est syphon epistomio signato ‡ occlusa. Tempus proinde, quod hujus operis labores exigebant, fuit â 29. Sept. 1752. usque ad diem 20. Decemb. anni ejusdem, dein â 20. Martii

1038

1753. usque ad 4. Augusti anni ejusdem, Frui tamen hoc beneficio aquae coepit Conventus jam 17. Julii anni ejusdem 1753. fuit itaque aqua adducta ad Culinam, Refectorium, hortum ad portam interclusam extra Conventum pro lotione, ante Ecclesiam pro forensibus, quae dein deducta fuit ad stabulum pro adaquandis equis, et ab hinc dispergitur per montem. Impositi verò erant siphones pinei 916. quercini 145. universim 1061. Opus hoc constabat f. 405 X. 49. d. 2. Cum verò exoletis siphonibus ligneis aquae in Conventu ex terra erumpentes muris damnum causarunt, hinc anno 1778. siphones plumbei in Conventu ad praecavenda damna ulteriora, et majorem durationem impositi erant.

Caput III.
De variis fundationibus pro Conventu, et Ecclesia Nazarethana factis.

§. I.
De fundationibus Episcopalibus.

I. Ex litteris fundationalibus Celsissimi, et Reverendissimi D. D. Reinaldi Scarlichii Episcopi Labacensis, piissimi hujus Mariani Coenobii fundatoris cap. priori §. 2. n. 3. pag. 1031. adductis evidenter patet, quod praelaudatus Episcopus praeter donationem montis Nazarethani (ex quo ligna sive pro fabrica sive pro foco sufficientia haberi non posse optime noverat, nisi quis vellet monticulum intra triennium omni arbore destitutum videre) aliam provisionem calicis, et lignorum fundaverit, et hoc quidem non tantum pro fabrica Conventus, et Ecclesiae tunc construendae, sed etiam pro futuris ejusdem Conventus, et Ecclesiae necessitatibus, ut ex illis verbis litterarum clarè desumitur: *Unâ cum certa provisione calicis, et lignorum tam pro fabrica persolvenda, quam pro aliis necessitatibus perpetuis temporibus â Nobis assignandis.* Ex hoc eruitur, Successores Reinaldi in Episcopatu Labacensi teneri ad conservanda, et reparanda sartatecta, ad subministrandum calcem pro necessaria aliqua fabrica sive de novo erigenda, sive reparanda, item ad ligna ex suis silvis danda non tantum pro aedificiis, sed etiam pro foco, quia sub ly *pro aliis necessitatibus* includuntur omnis generis lignorum indigentiae, et calicis.

II. Visum quoque fuit in litteris fundationalibus, quod Celsissimus Princeps Rainaldus Scarlichius dederit facultatem Conventui Nazarethano piscandi in suis aquis in terminis praefixis; quia verò fundator dicit *in suis aquis* in numero plurali, hinc Fratres in utraque aqua *Dreta*, et *Sovina*, seu *Saana*, quae infra collem penes Altenburg conjunguntur, piscabantur imperturbate usque ad annum 1688. quo anno â Celsissimo Principe Sigismundo Christophoro e Comitibus ab Herberstein Episcopo Labacensi prohibita fuit piscatio in fl. *Dreta*, permissa tantum piscatione in *Saana* fl. An verò hoc prohibere Episcopus, et Princeps potue-

rit? salvo meliori iudicio, respondeo negativè, attento, quod piscatio veniat pro stipendio Missarum, quae tam pro defunctis, quam vivis Episcopis legenda sunt, nisi fors in alia aqua major, et aequivalens districtus assignatus fuisset. Ratio est, quia haec licentia fuit confirmata per Imperatorem, ut Archiducem Austriae, qui tanquam Supremus Princeps descendens ex domo, cui Episcopatus suam debet fundationem indissolubile addit robur: Est etiam licentia praedicta gravata onere Missarum, sicque piscatio computatur in stipendium, et recompensationem Missarum: non est igitur amplius Episcopis liberum dictam licentiam, sicut et provisionem calicis, et lignorum vel frustrandi, vel minuendi, praesertim cum termini illius piscationis jam fuerint praefixi, et ipsa piscatio virtute illius licentiae ab origine Conventus exercita: aliaque Eleemosyna calicis, et lignorum in quacunque necessitate Conventus subministrata. Supposito igitur, quod Missae fideliter persolvantur â Conventu, nec piscatio praedicta impediri potest, nec provisio calicis, et lignorum Conventui subtrahi. Terminus piscationis in *Saana* fl. hic est, videlicet ab Arce Altenburg usque ad pontem Praspergam versus, sed nunc restricta est ad quoddam signum non procul â ponte penes viam positum, ubi aqua dominii Sanneg incipere dicitur.

III. Praeter nunc specificatam eleemosynam fundationalem solet etiam Conventus ab Episcopis, et Principibus Labacensibus annuè percipere 36. lb. de Carnibus, et 3. currus bonos de foeno pro nutriendis bobus, quod Conventus pro conducendis lignis, et aliis rebus necessariis intertenere debet. Pro his, aliisque beneficiis tenetur Conventus qualibet septimana feriâ 6ta legere unum Sacrum pro vivis Episcopis, singulis verò mensibus unum pro defunctis Episcopis. Insuper reservavit sibi Episcopus Reinaldus Scarlichius, et suis Successoribus jus visitandi Ecclesiam illis verbis: *Insuper Nobis et Successoribus nostris Ecclesiae, praedictae dumtaxat liberum visitandi ingressum, omni remoto obire reservamus.* Quod intelligendum est, de visitatione Capellae Laurethanae, quae ab ipsis Episcopis aedificata fuit, non de Ecclesia majori, quae â diversis benefactoribus solicita Fratrum cura, et non absque magnis eorum laboribus posterioribus temporibus aedificata, et cum ipsa Capella conjuncta fuit. Nec obstat, quod tam ipsemet fundator Reinaldus Scarlichius, quam ejusdem in Episcopatu Successor Cel^{smus}, et R^{mus} D. Otto Fridericus Comes â Buchaim multa pro aedificio majoris Ecclesiae contribuerint, non obstat, inquam, quia etiam pro aedificio Conventus non exigua praestiterunt beneficia, et tamen nullus Episcoporum sibi arrogat jus visitandi Conventum.

IV. Insuper reservavit etiam sibi jus designandi, seu praesentandi duos, vel tres Religiosos caeteroquin habiles in omnibus Capitulis, et Congregationibus Provincialibus pro Guardianatu Nazarethano, ut desumitur ex illis verbis litterarum fundationalibus: *Etiam* (reservamus) *designationem Guardiani praefati Conventus Nazarethani, tempore futuri Provincialis Capituli, aut Congregationis in memorata Provincia quandocunque celebrandae, ita, ut, dum duos, aut tres pro Guardianatu illo ad nostrum arbitrium proponimus, Superiores majores, vel illi, ad quos jure, ac legitimè spectat, ex propositis deligere, et ad praefatum Conventum unum pro Guardiano loci (salvis semper*

Ordinis Constitutionibus in aliis quibuscunque) destinare, et determinare teneantur. Ex hac Episcopali fundationali renovatione plura ┬ [~~absurda~~] perturbantia[624] sequi possent, nisi verba bene ponderentur ac ad omnimodam trutinam revocentur: Unde animadvertendum venit *primò*: Episcopum debere praesentare pro Guardianatu Nazarethano tres Religiosos dignos, et qualitatibus â Constitutionibus Ordinis requisitis praeditos, ut ipsemet fundator innuit illis verbis: *Salvis Ordinis Constitutionibus:* Secus possent omnes â Superioribus repudiari non minus, ac si Patronus Saecularis Clericum indignum id beneficium Ecclesiasticum praesentaret, qui ab Episcopo, seu ab eo institutio competit, rejici potest.

V. *Secundò* animadvertendum est: Episcopum teneri in quolibet Capitulo Provinciali, se Congregatione intermedia praesentare Religiosos idoneos pro Guardianatu Nazarethano, non verò de triennio in triennium. Ratio *primò* est, quia ipsemet fundator hoc praescripsit in supra citato textu, vi cujus sibi reservavit praesentationem Guardiani Nazarethani *tempore futuri Provincialis Capituli, aut Congregationis in memorata Provincia quandocunque celebrandae,* id est, in quolibet Capitulo, aut Congregatione, in quibus mutationes Guardianorum fieri consueverunt, reservamus nobis jus praesentandi Guardianum pro Conventu Nazarethano. Ratio *2^tdò* est, quia, si Episcopi tantùm de triennio in triennium Guardianum praesentare vellet, in multis violarentur Constitutiones Ordinis, quas tamen fundator salvas esse voluit, ut mox visum. Quod autem praedictae Constitutiones violarentur, patet inductione. Sic Guardianus prima vice electus continuare deberet per tres annos, quod sub invaliditate electionis absque dispensatione P. Ministri Generalis fieri haud potest: Item Superioribus non esset liberum in suis Capitulis transferendi Guardianum Nazarethanum ad alium Conventum, aut eum prorsus ┬ [ob causas relevantes][625] deponendi [~~absque interveniente aliquae causa~~][626] aut id aliud Provinciae officium, quod est ex Constitutionibus Ordinis incompatibile cum Guardianatu, assumendi, quae omnia sunt contraria Constitutionibus Ordinis. Tum quia ex ijsdem Constitutionibus quilibet Guardianus tenetur tempore Capituli, et Congregationis resignare suum officium, et sic eo tempore non est Guardianus; unde vel ille vel alius denuo eligi debet; quapropter si nullus praesentaretur, unus ad arbitrium Capituli Provincialis eligi potest.

§. II.
De bono *Hansitschenhoff* dicto, et de fundis â D. Hörner Conventui legatis.

I. Non procul â Slavo Graecio, vulgo *Windischgraz*, in Styria situm est quoddam bonellum dictum *Hansitschenhoff*, quod olim ad Ecclesiam Nazarethanam spectabat: Dein fuit ab ipso Celsissimo, et Reverendissimo D. Thoma Chrön Episcopo Labacensi divenditum cuidam A. R. D'no Andreae Tautscher Parocho, et Commissario Slavo Graecensi, cum hac conditione, ut ordinarias contributiones Inclytae Styriae

Provinicae, et Ecclesiae Nazarethanae quotannis 12. f. pendat, ut coligitur ex quadam scheda Celsissimi Principis Thomae Chrön propria manu subscripta hujus tenoris: diese Steüer seyn schuldig Priesters Andreae Tautschers Vicarii, und Commißsarii in WindischGraz Erben von einem Gut (so sie daselbst von der H. Kirchen zu Nazareth kaufrechtlich innen haben) E. Ehrs. Landschaft in Steüer ohne abgang Jährlichen zu bezahlen, der H. Kirchen zu Nazareth absonderlich zwelf gulden Reinisch zinßgelt zu entrichten, kraft wohlverfertigten brieffs, auf welchen man sich kürze wegen referiren thuet. In quorum fidem haec scripsit, et notavit Altenburgae 11. Septemb. 1629.

Thomas Episcopus Labacensis.

II. Supra alienationem boni *Hansitschenhoff* fuisse factum publicum instrumentum, quod tamen meas subterfugit manus, patet ex mox allatis verbis: ‚'kraft wohlverfertigten brieffs auf welche man sich kürze referiren thuet." Quod instrumentum factum fuisse creditur die 5. Julii 1629. ut testatur Celsissimus, et R'^mus^ D. D. Otto Fridericus Comes â Buchaim Episcopus Labacensis de dato Altenburg die 27. Aug. 1646. his verbis: das unser herr Antecessor see: gedächtnuß Thomas Bischof zu Laÿbach dieß abstehende auf einem Sub dato Graz von 5. Julii deß 1629. Jahrs außgefertigten Steüerbrieff eigenhändig geschrieben habe bekennen wie mit unserer vorgestellten hand vnterschrift. Actum Altenburg den 27. Aug. 1646.

Otto Friedrich bischoff
zu Laybach.

III. Quamvis verò altetitulatus Episcopus Thomas Chrön in supra allata scheda nihil expresserit, quale bonum illud fuerit, clarè tamen desumitur ex quadam scriptura de dato 1. Feb. 1646. Marci Meglitsch, qui dictum bonum ab haeredibus Tautscherianis emerat, illud fuisse vocatum *Hansitschenhoff*. Utrum verò haec venditio redimibiliter, aut irredimibiliter facta fuerit? ipsemet emptor praedictus hac in re anceps videtur esse; cum enim ab eodem litterae obligatoriae peterentur, sic inter caetera respondit: das ich die Obligation wegen den dienst nach Nazareth von mir hinauß geben solte kan ich solches der zeit nicht thuen, dan ich muß mich vorhero in ihren consens, wie erlauben würdet, genugsamb ersehen, wie, und was für gestalt, ob es ein eigenthumb kaufrecht, oder nur leiber, alß ich gewarnet worden, darmit hat, damit ich also dabeÿ auch auf kein Eyß geführet werde. Dan weilen der hof in geistlicher Stüftung ist, müßte der consens nicht allein von

1042

Ihro fürstlichen G'den, oder Convent zu Nazareth, oder auch von ihr Päbstlichen Heiligkeit beschehen etc.

IV. Quod tamen hoc bonum redimibiliter ab Ecclesia Nazarethana alienatum fuerit, eruitur ex quodam rescripto Excelsae Styriae Provinciae de dato Graecii 21. Julii 1653. virtute cujus ob neglectam â pluribus annis steurae, aliorumque tributorum solutionem D. Joannes Andreas Lackner (qui dictum debitum solvit), in possessionem praedicti boni *Hansitschenhoff* immissus fuit cum hac ibidem inserta conditione: Wan mehr gedachtes Gotteshauß zu Altenburg dessen Nachkommen, oder wer solches von rechts wegen zu thuen befugt, oft bemelte gülten und vnterthanen wider ablösen wolten, und sich ein Quatember vor Außgang des Jahrs mit erlegung des gelts so mehr erholter Lakner destwegen entricht, anmelden, das oft ermelte Lakner, oder seine Erben, zu Außgang des Jahrs, und nicht ehe der Ablösung statt thuen sollen etc.

V. Tandem, quod bonum *Hansitschenhoff* ab Ecclesia Nazarethana redimi quocunque tempore possit, patet ex eo, quia Conventus Nazarethanus praedicto Andreae Lakner die 26. Julii 1667. cessit saepefatum bonum ad tria corpora, seu ad tres usque gradus descendentiae in linea recta inclusive. Fatetur quoque ipsemet D. Andreas Lackner, praedictum bonum esse redimibile sequentibus, quas ex Originali desumo, litteris:

Ich ends unterschriebener bekenne hiemit für mich, und alle meine Erben, das ich vermög von einer hochlöbl. Verordenten Stöll und Landshaubtmanschaft in Steüer etc. in handen habenden Saz, und Ansazbrieff, über den Hanschitschenhof habenden jus: da, und zum fahl abgedachten hof das Gottshauß zu Maria Nazareth ob dem Geschloss Altenburg genant, zu dero Closter, oder Gottshauß solten bedürftig seyn, das ich, meine Erben, oder des Saz, oder Ansatz Inhaber obgedachten Hanschitschenhof mit ablegung aller meiner daran habenden schuld und praetension dem Gottshauß, oder Closter, und sonsten Niemand andern, schuldig, und obligiert abzutretten bin … Beschehen zu Maria Nazareth des 26. Julii des 1667. Jahr.

(L. S.) Hannß Andre Lakner

VI. Ex hucusque adductis clarè colligitur, quod bonum *Hansitschenhoff* ad Ecclesiam Nazarethanam pertinuerit, antequam ea nobis consignata fuisset. Dum verò Cel'mus,

et R'mus Princeps Reinaldus Scarlichius nobis Capellam, seu Ecclesiam Laurethanam donâsset, donavit etiam omnia ea, quae Ecclesiae, seu Capellae adnexa erant, ut ex supra c. 2. §. 2. n. 2. pag. 1030. adducto inventario liquet. Et quamvis nec in Inventario, nec in litteris fundationalibus ulla reperiatur mentio expressa boni *Hansitschenhoff* reperitur tamen implicita sub generali nomine *beneficii praestiti*; et sub hoc nomine etiam comprehensum est ipsum Ecclesiae Inventarium, quod nobis una cum Ecclesia consignavit, imo sub nomine *beneficii* omnia alia beneficia, quae praeter Ecclesiam, et expressè nominata Fratribus exhibuit, intelligenda veniunt. Nec dici potest, quod sub nomine *beneficii praestiti*, cum dicatur in singulari, intelligatur tantum beneficium calcis, lignorum, et piscationis, quod in fundationalibus expressum est, non potest inquam dici, nam licet in rigore gramaticali exponatur, ly *beneficii* pertinere ad calcem, ligna, et piscationem, adhuc debuisset ponere in plurali *beneficiorum*, quia beneficium calcis, lignorum, et piscationis, cum ab invicem non dependeant, et unum sine altero praestari potest, tria beneficia omnino dicenda sunt.

VII. Quo verò titulo praedicti 12. f. intuitu boni *Hansitschenhoff* (quos hodie Conventus fideliter, ex Dominio *Waldeg* percipit) Ecclesiae obveniant? certi nihil haberi potest, sive fundationis, cessionis, ac donationis litterae inspiciantur, sive alia instrumenta litteraria consulantur: praesumendum tamen est, fundatorem aut voluisse hanc eleemosynam cum aliis beneficiis praestitis Ecclesiae, et Conventui obvenire in compensationem Missarum, quas pro Episcopis vivis, et defunctis celebrandas ordinaverat, cum in suis donationalibus litteris dicat: *Ut verò memoria tam hujus nostrae liberae voluntatis, collationis, ac cessionis quam beneficii â nobis ipsis Fratribus praestiti, perpetua habeatur, cupimus, ac volumus, ut Fratres in Conventu Nazarethano constituti, omnibus septimanis, singulis sextis feriis pro vivis successive, singulis vero mensibus pro pie defunctis praedecessoribus, et successoribus futuris unam Missam inviolabiliter dicant, ac celebrent:* aut verò intendisse, in aliam Capellae necessitatem, puta illuminationem lampadis procurandam suppellectilem Altaris etc. impendi, quia hoc beneficio Ecclesia, antequam nobis traderetur, et Conventus aedificaretur, jam fruebatur.

VIII. Perillustris D. Philippus Hörner videns, licet Fratres multum occuparentur circa aedificationem Conventus, et Ecclesiae Nazarethanae, ipsum aedificium ob penuriam benefactorum valde lentè erigi ad tam pium opus citius promovendum, et ad perfectionem deducendum in extremis constitutus circa annum Chri-

1044

sti 1640. in sua ultima dispositione Conventui testamentanter reliquit 5. fundos, et domum suae habitationis (vulgo *fünf Huben und den Hof*) Quia verò hi coloni aliquod debitum apud Excelsam Styriae Provinciam ob neglectam solitorum contributionum solutionem contraxerunt, fuerunt praedicti coloni â dicta Provincia D. Mathiae Plaphart postae Magistro Francii (in quo territorio dicti fundi siti erant) in arendam dati, eo, quod praefatum apud Provinciam Styriae contractum debitum exolverit, cum hac tamen conditione, ut praefatos fundos, quandocunque â Conventu illi ea summa, quam pro solutione debiti expenderat, fuerit restituta, eidem Conventui cedere sit obligatus. Dum verò fabrica ad perfectionem vergeret, et Conventus rusticos, quod aliunde Regulae Fratrum Minorum adversatur, amplius habere nollet, eos Syndicus Apostolicus D. Joannes Kunstel vendidit Perillustri Domino Joanni Carolo de Samburg â Purgstall Provinciae Carnioliae Logographo, et Consilii Bellici Secretario pro 700. f. quorum 350. dati erant D. Mathiae Plaphart pro redemptione rusticorum, alii 350. pro aedificio Conventus, et Ecclesiae applicati erant, uti constat ex contractu facto Labaci 25. Feb. 1661.

IX. Hanc 5. fundorum abalienationem postmodum Vn'ble Diffinitorium ratam habuit sub die 18. 8'bris ejusdem anni sequenti Rescripto:

Philippi Hörner fel. mem. et ejus uxoris funda quinque in Franz jacentia, Sacro Monasterio S. Mariae Gratiarum in Nazareth supra Altenburg per modum donationis, et purae eleemosynae testamentaliter relicta, cessa, et donata de scitu, et consensu R'mi P. Commissarii Generalis, et Ministri Provincialis P. Pauli de Tauris, Perillustri Domino Joanni Carolo de Samburg â Purgstall Inclytae Provinciae Carnioliae Buchhalter, et bellico Secretario Provinciali â Guardiano P. Michaele Bosgnyach, nec non Diffinitore Provinciae per Excell'mum D. Syndicum Apostolicum Joannem Kunstel vendita, et virtute Sancti nostri Instituti abalienata, superfluamque venditionis summam, uti in rationibus nobis, et praeterito Diffinitorio exhibitis apparet, in aedificio Ecclesiae, et Monasterii per Syndicum impensam, Vn'ble Diffinitorium per praesens Rescriptum, et Decretum ad evitandas quorumque, et quascunque praetensiones ratificat, confirmat dictam abalienationem, et juxta Summorum Pontificum, et Ordinis Decreta, et Constitutiones factam, et dicto Domino de Samburg perpetuam promittit manutenentiam omni meliori forma, et modo. Actum Tersacti 18. 8'bris 1661.

Caput IV.
De attentata separatione Conventus Nazarethani a Provincia Bosnae Croatiae, et unione cum Provincia Austriae.

I. Postquam nostri Patres magnis laboribus, et indefessa solicitudine tam Conventum, quam Ecclesiam ad totalem perfectionem perduxissent, et ipsum Conventum per 40. annos in pacifica possessione incoluissent, surrexit quidam, cujus status, aut conditionis? ignoro, anno 1672., qui inscia Provincia nostra, imo et inscia Provincia Austriaca, ut fertur, quod tamen vix fieri potuit (eccur enim Imperator finalem sententiam P. Ministro Provinciali Provinciae Austriae indicâsset? si illum negotium hoc non tangebat) Sacrae Caesareae Majestati Leopoldo I. falsis narratis persuadere conatus fuit, ut Conventus Fridaviensis, qui nunc Ormosdiensis dicitur, ad Provinciam Sclavoniae spectans, et Nazarethanus ad Provinciam Carnioliae pertinens, ambo in Styria inferiori siti, Provinciae Austriae incorporarentur. Ut Imperatorem ad assensum moveret, attulit pro Conventu Fridaviensi motivum, quaedam scandala in eodem ex regimine Patrum Provinciae S. Ladislai perpetrata: pro Conventu verò Nazarethano aliquam convenientiam; dicebat enim, congruum esse, ut omnes Conventus P. P. Franciscanorum in Ducatu Styriae existentes Provinciae Austriae incorporarentur, ne exteri in Provinciis haereditariis gubernent, et dominentur. Fors putabat, quia Provincia titulum *Bosnae Croatiae* praeseferebat, eam esse ex meris Turcis conflatam? Profecto si Styria respectu Austriae non est Provincia extera, quia tam Austria, et Styria, quam Carniolia sunt Provinciae haereditariae Augustissimae Domus Austriacae.

II. Multa alia sunt, quae sinister susurro ignorâsse convincitur, aut se ignorâsse, ut suum intentum facilius assequi valeret, fingebat. *1mò* ignorâsse censendus est, quod Conventus Nazarethanus situs sit in Styria Slava, quasi in Carnioliae finibus, populusque vicinus tantum idiomate Slavo, seu Carniolico utatur, cui Patres Provinciae Austriae, quorum vix unus, vel alter praedictum callet idioma, nec concionando, nec Sacras audiendo confessiones, satisfacere potuissent. […][627] *2dò* ignorâsse convincitur ipsius fundatoris, et Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris Avi Leopoldi I. dictam fundationem confirmantis intentionem; nam Cels'mus fundator Reinaldus Scarlichius Ecclesiam Nazarethanam tradidit Fratribus Minoribus determinate Provinciae Bosnae Croatiae, ac pro his tantùm, et non aliis Ferdinandus II. glor. mem. Romanorum Imperator dictam fundationem, cessionem, et donationem in perpetuum confirmavit, praedictum Conventum, ac Fratres pro tempore in eo commorantes in suam specialem protectionem suscepit, prohibendo omnibus, cujuscunque gradus, dignitatis, aut praeeminentiae existerent, non tantum sub indignatione Caesarea, sed etiam sub poena 50. Marcarum purissimi auri (quam hic Projectans merito incurrere debuisset) ne quis Fratres hic commorantes iniquè perturbet, ut supra c. 2. §. 2. visum.

1046

III. Praeterea susurrator isthic, Imperatori suggessit magnum damnum Conventui Clagenfurtensi causatum (judica, an haec inscia Provincia Austriae actitata sint?) ex eo, quod, Patres Nazarethani eleemosynarum collectiones per Carinthiam faciant. Unicum, quod satis admirari nequeo, est, quod tam Pius,┬ prudens,┬ sagax,┬ ac doctus┬[628] Imperator falsis narratis perfidi Consiliarii (utinam! non haberet sequaces) illico tantam fidem adhibuerit, ut postposita omni alia inquisitione, ac inscia Provincia sese resolverit ad incorporandum Conventum Nazarethanum Provinciae Austriae: Quem ob finem tam Cardinali Hassiae Ordinis Protectori, quam P. Ministro Generali pro eorum annutu scripserat. Quid ad litteras Imperatoris Cardinalis Hassiae responderit, mihi ob defectum praedictarum literrarum compertum non est. Hoc unicum scio responsum Cardinalis expeditum fuisse die 20. Junii anno 1672. ut constat ex litteris Leopoldi Imperatoris Viennae die 30. Julii ejusdem anni exaratis.

IV. Tenor autem Responsalium R'mi P. Ministri Generalis talis est:

Sacratissima Caesarea Majestas!

Quamquam inscriptio benignissimarum Majestatis V'rae Caes. litterarum de 16. Maji currentis anni praeseferebat P. Sebastianum â Cajeta â decenio jam vita functum, adjectio tamen tituli Generalis Sancti Francisci, quo ego, meritis licet imparibus, insignior, sustulit personae aequivocationem; unde factum, ut ad meas pervenerint manus, â nemine sane reverentius excipiendae; id namque et alias debitum et meae, et Religionis mihi creditae in Aug'mam Vestram Majestatem observantiae proprium.

Per illas dignatur Caesarea V'ra Mat'tas insinuare scandala, quae dicuntur perpetrata â Fratribus mei Ordinis Reformatis[629] Monasterii Fridaviensis in Styria siti, ac ad similia imposterum praecavenda expedire, ut tam dictum Monasterium, quam aliud Provinciae Croatiae[630] non procul Cileja in germano solo[631] existens, et Nazareti nuncupatum, uniantur, et incorporarentur Austriacae Reformatorum Provinciae, ut hujus legibus, et moribus regantur.

Scandala, quod attinet, vel tantum recensita adeo abhorreo, ut ne vix quidem effari queam: eoque magis illa demiror, quo â strictioris observantiae professoribus Reformatis[632] videlicet dicti Conventus Fridaviensis duntaxat ferantur commissa; At quod insontibus Fratribus scilicet de Nazareth, qui enarratorum criminum ne quidem insimulantur ad parem amissionis sui Conventus poenam redundent, ansam

praebet suspicandi, utrumque nonnisi suppositum fuisse, et suggestum Sacr'mae Mat'tis V'rae Caes'ae Clementiae, opera eorum, qui iterato dicta Monasteria sibi subjicere, et nedum Fridaviense sui instituti, et reformationis verum Nazarethanum, quod Observantium est, contra Ordinis statuta, et in grave praejudicium tertii occupare praetendunt. Utut sit, cum de re non exigui momenti agatur, quaeque non mea, sed solius Sanctae Sedis Apostolicae (divisionem quippe Provinciarum, et hujusmodi Conventuum aggregationem sibi reservantis) authoritate fieri potest, et Mat'tis V'rae Caes'ae aequitas, et justitia alias se extendat ad omnes, quam obnixe possum, supplico, quatenus pro grato habeat accusatos desuper objectis criminibus audiri, ac pariter â me causam cognosci, ut pro qualitate delicti transgressores puniantur, et nisi suffecerit, alias Religiosos probos ipsis substituere, aut aliud opportunum applicetur remedium, quo scandala aboleantur, et Dei O. M. Caesareaeque V'rae Mat'tis servitio exactius imposterum prospiciatur eo debitae servitutis obsequio, quo me, meosque obstrictos profiteor Sac. Caes. Maj. V'rae quam Omnipotens perenni sospitet incolumitate, ut opto, et oro. Roma ex Conventu Aracoelitano.

Sacrae Caes. Mat'tis

Ad pedes V. M. C. provolutus, humillimus Sacellanus Franciscus Maria
Rhini de Politio Gn'lis S. Francisci.

V. Dum res, quae occulte agebatur, Provinciae nostrae innotuisset, illico Patres nostri supplicem ad Augustissimam Caesaream Majestatem dederunt, in quo causas pro retentione Conventus Nazarethani humiliter exposuerunt. Supplex hujus erat tenoris:

Sacra Caes'a Majestas, D'ne D'ne Clementissime!

Innotuit Religioni Seraphicae S. Francisci de Observantia Provinciae Carnioliae, quae alias Provincia Bosnae Croatiae, et Carnioliae intitulatur, de mandato V'tae Maj. Caes'ae Conventum Nazarethanum in Styria eleemosynis collectis Fratrum Provinciae nostrae constructum, ac fabricatum, â nostratis Provinciae corpore avellendum, Austriacaeque fore incorporandum.

Qui Majestatem V'ram disponebat ad assensum hujus translationis, et incorporationis, duo adduxit: Primò congruum nempe, ac conveniens esse omnes Conventus P. P. Franciscanorum in Ducatu Styriae existentes Provinciae Austriae incorporari, ne exteri in Provinciis haereditariis gubernent, ac dominentur. Secundò in exemplum adduxit Conventum Fridaviensem proxime Provinciae Sclavoniae adimendum

1048

ac Austriacae, cujus limitibus circumscribitur, incorporandum.

Proinde Majestatem V'ram humillime supplicamus, quatenus ante executionem, subsequentes clementissime dignetur discutere considerationes, in nostrae Provinciae tutelam adductas.

Equidem non negamus memoratum Conventum Nazarethanum, in limitibus quidem extare Styriacae Provinciae, remotissimum autem esse ab Austriacae Provinciae Conventibus, ita, ut ob viciniam, et communicationem Sclavonici idiomatis non in Styria, verum in corde ipsius Carnioliae erectus censeatur. Et quia Sancta Religio nostra in salutem proximi, animarumque lucrandarum Deo studium incumbit per Divini verò praedicationem, et confessionum exceptionem, ob vulgaris linguae commercium fructus facit salutares, quas Provinciae Austriacae Religiosi, germanicae tantùm linguae gnari haudquaquam possent reportare.[633]

Quamvis autem Provincia nostra nomen Provinciae Bosnae Croatiae praeseferat, figurare sibi attamen Maj. V'ra nequaquam debet, ex earumdem Provinciarum Religiosis Conventus esse conflatos, ac Religiosas domos nostras per eosdem gubernari: cum in Bosna nullum plane, et in Croatia paucos Conventus habeamus.┬ […][634] Gubernatur autem Provincia per Religiosos nationales Interioris Austriae Carniolos, ac Goritienses, adeoque non per peregrinos, ac exterorum regnorum Religiosos claustra moderantur. Retinet autem nomen Provinciae Bosnae Croatiae, et Carnioliae, eo, quod ante invasionem Turcarum plura ibidem claustra habuerit, ex qua pluralitate, et Conventuum numero denominatio Provinciae inhaesit.

Nec officere nobis potest sejunctionis exemplum Conventus Fridaviensis, ejusdemque de mandato Sac. Maj. Caes. ad Provinciam Austriacam unio, eo, quod illius domus Religiosa familia non solum separationis hujus Suae Maj. Caes. causam dederit, verum etiam per regni Sclavoniae Franciscanos respectu haereditariarum Provinciarum peregrinos homines existimatos, regitur, ac gubernatur, quod nobis nullo modo potest opponi, adoque nec animum Maj. Suae Caes. â nobis reddere alienum.

Supplicant autem pro retentione Conventus Nazarethani Maj. V'rae Caes. longa, per quadraginta annos, pacificaque nostrae Provinciae possessio, cura Religiosorum nostrae Provinciae in colligendis, ac in fabricam impendendis eleemosynis habita, Novitiatûs ibi existentis, in quo Juventus in Spiritu devotionis instruitur, erectio, alibi hujuscemodi construendi Novitiatus inhabilitas: Conventuum in Provincia nostra paucitas: Runensis Conventus in Styria existentis, ac â nobis possessi, sed necdum aedificati totaliter, qui etiam ob imperfectionem suam â nobis non repetitur, exemplum. Ferdinandi II. gloriosae memoriae Avi Mat'tis V'rae Caes. Praelibati Conventus Nazarethani pro Provincia Carnioliae Bosnae Croatiae in specie facta confirmatio: nulla avulsionis hujus â Provincia nostra, data causa.

Ideo in spem venimus Maj. V'ram Caes. (ut humillimè supplicamus) in memorati Conventus possessione Provinciam nostram Carnioliae, non solum relicturam, verum etiam ulterius stabilituram confirmaturamque, Deum Omnipotentem, ut gratiis suis cumulatius Mat'tem V'ram Caes. augeat devotissimè exoraturi.

Sac. Maj. V. Caes'ae

Humillimi Clientes, et Capellani
P. Pro'alis, et Religiosi Prov'iae Bosnae
Croatiae, et Carnioliae Ord. Min. S. Franc.
de Observantia.

VI. Visis Patrum Provinciae Bosnae Croatiae, et Carnioliae justis postulationibus Sac. Caes'a Majestas Consilium requisivit Celsissimi Principis, et Episcopi Labacensis (qui hujus fundator est Conventus, in ejusque Dioecesi existit) Domini D. Josephi Comitis â Rabatta, qui in favorem Patrum Provinciae Carnioliae suum sentimen Suae Caes'ae Majestati exhibuit hoc sub tenore:

Sacratissima Maj. Caes'a, D'ne D'ne Clementissime!

In causa Monasterii Patrum Fratrum S. Francisci de Observantia Nazarethum nuncupati, an illud â dictorum Fratrum Provinciae Carnioliae dismembrandum sit, et incorporandum Provinciae Austriacae? Sacratissimae Mat'ti V'rae hic adjacenti Clementissimo mandato humillimè obsequendo pro informatione, uti sentio, sincera mente respondeo.

Dictos Patres Fratres Provinciae Carnioliae manutenendos esse in Nazarethani Monasterii possessione.

Primò, quia pro ipsis expressè loquitur ab Antecessore meo Reinaldo Episcopo facta fundatio, et â Suae Majestatis gloriosae mem. Avo Augustissimo Imperatore Ferdinando Secundo desuper obtenta confirmatio, quam authoritatem ad instar legis firmissimam non expedit infringere, aut ei contraire.

Secundò: quia communis utilitas, quam habet hic populus ab isto Monasterio, procedit ex idiomate Sclavonico, quo dicti Patres concionando, et Confessiones audiendo festis, et Dominicis diebus deserviant, maxime in solemnitatibus Processionum, ubi ex Carniolia, Styria Sclavica, et Carinthia Sclavica[635] frequenter adveniunt ad duo, vel tria millia hominum idioma germanicum ignorantes,[636] ideo fundator subjecit Monasterium hoc Provinciae Carnioliae, quae abundat hujusmodi subjectis ad istam devotionem promovendam idoneis: Austriaca verò Provincia caret eisdem.

Tertiò: Videtur aequitas postulare, ut quadraginta circiter annis, magnis laboribus, et sudoribus erectum Monasterium, et jam ad complementum deductum Fratres Provinciae Carnioliae possidere permittantur, ne illis illud Virgilii objiciatur: Sic vos, non vobis etc. nam durum videretur sine culpa de laboribus manuum suarum expelli, et alios non laborantes ad fructus percipiendos supervenire

1050

Ideo Sacr'mae Mat'ti V'rae hanc meam opinionem debita humilitate subjicio, et Spiritualem utilitatem, quam ex Fratribus Sclavici idiomatis peritis[637] perceperunt hactenus, et percipiunt Sclavica Styria, atque Sclavica Carinthia, et Carniolia in hoc Monasterio Nazarethano.[638] Sacr'mae Mat'tas V'ra dignetur etiam favore suo, et gratia confirmare, ut juxta intentionem fundatoris, et pientissimi Confirmatoris hactenus frequentata devotio perseveret sub gubernatione Provincialis Carnioliae, quae certo deficeret, si ad Provinciam Austriacam devolveretur. Quam opinionem meam etiam tanquam Succesor fundatoris, et cujus interest devotionem Dioecesis per idoneos Concionatores, et Confessarios pro juribus conservare, Sacr'mae Mat'ti V'rae humillime commendo.

Altenburgi die 5. 7'bris 1672.

Josephus Ep'pus Labacensis.

VII. Tandem consideratis Provinciae Carnioliae Patrum rationibus, et perpensis motivis ab Episcopo Labacensi pro manutenendo Conventu Nazarethano pro Provincia Carnioliae adductis, ac explorato super his I. A. Regiminis sensu Leopoldus I. Romanorum Imperator in favorem Provinciae Carnioliae Fratrum Minorum de Observantia definitivam tulit sententiam, quam Graecium sub dato Viennae 4. Feb. 1673. ad I. A. Regimen (â quo demum tam Ministro Provinciali Austriae, quam Carnioliae pro directione publicata fuit) transmisit his verbis conceptam:

Leopold

Wür haben vnß Eüer gehors. Schreiben von 14. X'ber negsthin unterthänigst referiren lassen, vnd darauß mit mehrern gnädigst verstanden, was N. Provincial, und Religiosi Ordinis S'^ti^ Francisci de Observantia Provinciae Bosnae et Croatiae wider die von Eüch nach vor einer zeit mir occasion des Closters Friedau vermeinte incorporirung des Closters Nazareth des Oesterreichischen Provinz eingewendet und was massen Ihr nach Vernembung der drinigen Regierung, und vermitels selbiger des Bischoffen von Laybach Andacht gehorsambst ermeint habt, weilen solches Closter nit in die Sclavonische Provinz, in welchen Supposito ihr gestanden waret, sondern in die Crainerische gehörig, beÿnebens des Bischoffen zu Laybach Andacht darauf obsicht hätte: Es möchte dahero selbiges Closter noch ferers in den alten Stand gelassen, Ime aber die collectur des heiligen Almosens in Karndten ab- und eingestelt werden, zumahlen nicht billich, das selbiges denen andern armen Geistlichen des Lands Karndten durch dieses Closter benohmen, und entzogen werden solte. Allermasssen Wür vnß nun dieses Eüer unter-

thanigstes Gutachten beÿ solcher beschaffenheit gnädigst wohlgefallen lassen, alß werdet Ihr destwegen die weitere verfügung sowohl wegen fehrers verbleiblassung selben Closters in dem alten Stand, alß auch abstellung der Collectur des heiligen Almosens in Karndten zu thuen wissen. Dan an deme etc. Wienn den 4ten Feb. 1673.

VIII. Circa collecturam eleemosynae in Carinthia notandum, quod ea fuerit prohibita ab Imperatore ob sinistram eidem suggestam informationem; fuit enim sua Caesarea Majestas informata, ut ex mox adducto Clementissimo Rescripto patet, quod Fratres Conventûs Nazarethani in iis Carinthiae locis, in quibus Fratres Provinciae Austriae Conventus Clagenfurtensis collecturas exercent, eleemosynas colligant in praejudicium praedicti Clagenfurtensis Conventus Fratrum: quod tamen non verificatur, Fratres enim Nazarethani in Carinthia quidem colligunt eleemosynas, at intra districtum Dioecesis Labacensis, exceptis quibusdam nobilibus personis, et quidem in iis locis, quae Patres Conventus Clagenfurtensis nunquam penetrarunt: unde etiam nunquam aliquae querelae ab ipsis respectu hujus Nazarethani Conventus ratione alicujus praejudicii auditae erant. Eapropter Conventus Nazarethanus genuinam informationem Suae Sacr'mae Caesareae Majestati submisit humiliter deprecando, ut ab hoc interdicto faciendi collecturas in Carinthia, utpote nulli praejudiciosas absolveretur. Quid responsi Conventus â Caes'a Mat'te tulerit? in Scripturis non reperitur, illud tamen favorabile fuisse creditur ex eo, quod Conventus in antiqua in Carinthia collecturas faciendi consuetudine imperturbatus persistat.

Caput V.
De Ecclesiae aedificatione, ejus Altaribus, eorumque consecratione: Deque Confraternitatibus, Reliquiis, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De Ecclesiae aedificatione, ejus consecratione, ac ejusdem Altaribus.

I. Ad omnem evitandam aequivocationem animadvertendum venit, hic non agi de prima Ecclesia, seu Capella Nazarethana, sed de Ecclesia majori, quae post introductionem Fratrum Minorum erecta, et cum ipsa Capella Laurethana conjuncta fuit. Nam de prima jam dictum erat superius, quod ea aedificata fuerit â Celsissimo, ac R'mo Principe, et Episcopo Labacensi D. D.

1052

Thoma Chrön anno 1626. ac consecrata anno 1628. ut habet Valvasorius Topogr. Carn. lib. 8. sect. 3. pag. 671. Unicum adhuc de prima Ecclesia investigandum est, ubi situm erat Sacellum uno Altari instructum? de quo mentio est in Inventario Ecclesiae suprà c. 2. §. 2. n. 2. pag. 1030. aliqui putant Sacellum hoc stetisse in loco, in quo nunc Ara S. Crucis consistit: meo videri probabilius esse, Sacellum ante Ecclesiam fuisse extra portam lateralem orientem versus, ubi nunc parvulum Coemeterium est, per quam portam si non unicus, saltem principalis ad Ecclesiam introitus fuisse creditur, ad quod asserendum me movet Insigne Celsissimi Principis Thomae Chrön supra hanc portam positum cum supra insinuata subscriptione: si enim alia principalior fuisset porta, supra eam, et non supra hanc Insigne Episcopale apponeretur.

II. Cum ad Ecclesiam Nazarethanam ob plures gratias intercessione B. V. Mariae obtentas indies major [~~fiebat~~] fieret[639] non tantùm ex Styria, sed etiam ex Carinthia, et Carniolia populi confluxu, cui capiendo Ecclesia Nazarethana insufficiens, nimisque angusta erat: Unde Patres post traditam ipsis Ecclesiam mox cogitare coeperunt de majori aedificanda Ecclesia, pro quo opere celerius consumando apud diversos benefactores (quia beneficia Celsissimi fundatoris Reinaldi Scarlichii Episcopi Labacensis, licet plurima fuerint, non erant sufficientia tam Ecclesiam, quam Conventum ex fundamentis erigendi) opportuna auxilia quaerebant. Quamvis verò Fratres omnem impenderunt operam, tamen aedificium ejusdem ob defectum sufficientis eleemosynae adeo lentè exurgebat, ut ad eum statum, in quo consecrari potuisset, non nisi anno 1661. pervenerit. Hoc enim anno die 25. Septembris, quae incidit in Dominicam 4^{tam} Septembris, et 16^{tam} post Pentecosten, ac proximam post festum S. Matthaei Apostoli, et Evangelistae (qua Dominica quotannis cum magno populi concursu anniversaria Consecrationis, seu Dedicationis memoria recolitur) consecrata fuit (ut desumitur ex Scripturis, et notis Archivii Nazarethani, nam instrumentum deperditum est) in honorem B. V. Mariae sine labe conceptae, unà cum duobus Altaribus, ut infra videbitur, â Celsissimo, et Reverendissimo D. D. Ottone Friderico ê Comitibus de Buchaim Episcopo Labacensi.

III. Licet verò Ecclesia anno 1661. consecrata fuerit, non tamen adhuc omnigenam attigit perfectionem, quod ex eo desumitur, quia Episcopus Labacensis Otto Fridericus â Buchaim pro subsidio aedificii, pinguissimam in Dioecesi Labacensi tunc suo pastore viduatam Parochiam in Altenmark Patribus Nazarethani Conventus commisit administrandam his adjectis conditionibus, *1^{mò}* ut Contributiones Provinciae Styriae solvantur. *2^{dò}* ut Cathedraticum Oberburgum mittatur. *3^{tiò}* ut duo Sacerdotes Cooperatores interteneantur, reliquum verò in fabricam Conventus, et Ecclesiae Nazarethanae applicetur. Hanc Parochiam uno anno administravit A. V. P. Michael Angelus Bosgnyak Diff'or actualis; profecto magnum incrementum sumpsisset Ecclesia vel ex unius anni Parochialibus proventibus, si P. Administrator aut Oeconomiam intellexisset, aut intellectam benè direxisset. Quando verò Ecclesia omisso

titulo Immaculatae Conceptionis, assumpsit titulum Annuntiationis, nullibi reperire erat. Magis isthic titulus congruit Ecclesiae Nazarethanae, quia ipsa Capella uniformata est Capellae Lauretanae, in qua B'ma Virgo Maria ab Angelo Salutata, ac Verbum Caro factum est. In festo igitur Annuntiationis B. V. Mariae die 25. Martii celebratur hujus Ecclesiae patrocinium post assumptum praedictum titulum.

IV. Anno 1667. Ecclesia suam essentialem perfectionem, ut ex quadam Diffinitoriali decisione, vi cujus completa jam fabrica matutinum de media nocte persolvendum praecipitur, innotescit, assecuta est. Altaria aliqua, et nonnulla alia posterioribus temporibus addita erant. Stratum namque ex lapide quadro, et scisso factum fuit anno 1753. et anno 1754. et quidem anno 1753. stratae erant Capellae S. Josephi, S. Antonii, S. Petri Regalati, ante Ara S. Crucis cum ejusdem gradibus: Item Capellae S. Floriani, et S. Barbarae. Anno sequenti stratum fuit reliquum Ecclesiae corpus cum duabus Capellis sub Choro existentibus, totus labor, pro quo faciendo diversi benefactores liberales contribuerant eleemosynas, constabat 321. f. 49. Xr'. Anno 1759. fuit Pulpitus Concionatorius â domesticis Fratribus Genuino Kerschpaumer Arcularo, et Alexio Rivalta statuario factus, ac anno 1762. sub Guardianatu P. Maximi Selderer fuit marmoreo colore obductus, pro quo labore A. R. D. Joannes Josephus Thalmeiner Parochus extra Schönstein contribuit f. 100. Organum anno 1736. factum, fuit anno 1763. reparatum, aliqua registra de novo imposita, armarium nuceum novum factum, et ita positum, ut pulsus organi in medio chori fiat, qui hactenus ex laeva Chori, parte penes crates fieri debuit.

V. Arae in Ecclesia Nazarethana universim numerantur 10. Prima Ara est in Capella Laurethana B'mae Virginis Mariae ab Angelo Salutatae. *2'da* et prima extra Capellam in medio Ecclesiae sita mox ante dictam Capellam est Sanctae Crucis. *3'tia* et prima ex parte Epistolae est Ara S. Josephi, et Sanctae Annae. *4'ta* et secunda ex parte Epistolae est Ara S. Antonii Patavini, et S. Petri de Alcantara. *5'ta* et tertia ex parte Epistolae est S. Floriani, et S. Joannis Nepomuceni. *6'ta* et quarta ex parte Epistolae sub Choro est Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae, et S. Francisci Solani. *7'ma* et prima ex Cornu Evangelii est S. Petri Regalati, et S. Valentini. *8'va* et secunda Ara ex cornu Evangelii est S. P. N. Francisci, et Sanctissimae Trinitatis. *9'ma* et tertia Ara ex parte Evangelii est S. Barbarae, et S. Luciae Virginum, et Martyrum. *10'ma* et quarta Ara ex Evangelii parte est Desponsationis B. V. Mariae, et Sancti Jacobi de Marchia. Arae in Capella B. V. Mariae, S. Crucis, et duae Arae B. V. Mariae sub Choro sunt ligneae, aliae vero omnes ex Gypso, ita ut duae, et duae Arae sibi â diametro oppositae aequaliter elaboratae sint.

VI. Ara B. V. Mariae ab Angelo Salutatae extructa, et

1054

consecrata erat â Celsissimo, et Reverendissimo S. R. I. Principe, et Episcopo Labacensi Thoma Chrön anno 1628. Quo anno Ara S. Crucis aut consecrata fuerit, aut facta, nihil memoriae proditum est. Quia tamen aliae laterales Arae ex Gypsio factae erant, ut etiam haec aliis uniformaretur, fuit anno 1751. sub Guardiano A. V. P. Thoma Sagar Gypsio obducta. Ara S. Petri primitus titulum habuit B. V. Mariae in Coelos Assumptae, dein titulum habuit S. Valentini Martyris, anno verò 1747. tempore Canonizationis S. Petri Regalati, postquam anno 1751. novum altare ex Gypso fabricatum fuit, imposita quoque erat Imago S. Petri, et S. Valentini imago supra imaginem S. Petri in minori figura collocata. Quod moderna S. Petri Regalati olim nuncupata fuerit B. V. Mariae in Coelos Assumptae, quam Celsissimus, et R'mus D. Otto Fridericus â Buchaim Episcopus Labacensis suis sumptibus extruxit, ac die 25. Septembris anno. 1661. una cum Ecclesia, et Ara S. Antonii consecravit, patet ex Instrumento originali etiamnum extante consecrationis, quod hujus est tenoris:

Anno MDCLXI. die 25. mensis Septembris, quae fuit Dominica XVI. post Pentecosten, seu IV. Septembris, Indictione XIV. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Alexandri divina providentia Papae VII. anno VII. Nos Otto Fridericus Episcopus Labacensis in monte super Altenburgum, in Ecclesiae majori tituli Immaculatae Conceptionis Conventus P. P. F. F. Minorum S^{ti} Francisci de Observantia, quae ad Capellam Laurethanam, Divae Virginis Nazareth nuncupatam erecta est, laterale hoc altare primum â parte Evangelii aere nostro constructum in honorem Deiparae Matris Virginis sub titulo suae gloriosae in Coelos Assumptionis, Authoritate nostra Ordinaria consecravimus juxta formam, et ritum Sacrae Romanae Ecclesiae. Reliquias Sanctorum Martyrum Mauritii, Primi, et Victoriae Virginis, et Martyris in eo inclusimus: et singulis Christifidelibus hodie unum annum, et in die anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam Ecclesiam visitantibus, quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessimus. In quorum fidem has manus propriae subscriptione, et sigillo nostro munitas dedimus in Residentia nostra Oberburgensi die 17. Novembris Anno 1661.

Otto Fridericus Episcopus Labacensis. (L. S.)

VII. Ara S. Josephi ex Gypso facta fuit anno 1750. sub Guardianatu P. Thomae Sagar Ex-Diff'oris. Haec Ara cum Ara S. Petri Regalati extructa fuit partim ex munificentia Joannis Nepomuceni Matschig, in Religione P. Damiani, qui ante suam professionem 200. f. pro his Aris legavit, partim beneficio vicinorum rusticorum. Quando

1055
N'o 45.

verò haec Ara consecrata fuit, nihil posteritati relictum est, puto tamen eam fuisse consecratam anno 1661. una cum Ara diametrali S. Petri Regalati, et S. Antonii; si enim Ara S. Antonii hoc ipsissimo anno, ut mox videbitur, jam consecrata fuit, multo magis praesumendum est de Ara S. Josephi, quae anteriorem occupat locum. Instrumenta consecrationis tum Ecclesiae, tum hujus Arae indubitanter confecta supponuntur, sed injuria temporum deperdita fuêre, si enim Consecrator pro consecratione Altarium S. Petri Regalati, et S. Antonii de Padua Instrumenta seorsim confici curavit, signum est, quod etiam pro consecratione hujus Arae confectum fuerit.

VIII. Altare S. Antonii de Padua erectum fuit, et consecratum unà cum Ecclesia die 25. Septembris anno 1661. â Celsissimo, et R'mo D. D. Ottone Friderico â Buchaim Episcopo Labacensi, ut ex Originali desumpto ejusdem Episcopi attestato colligitur sequentis tenoris:

Anno MDCLXI die 15. mensis Septembris, quae fuit Dominica XVI. post Pentecosten, seu IV. Septembris, Indictione XIV. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Alexandri divina providentia Papae VII. Anno VII. Nos Otto Fridericus Episcopus Labacensis in monte super Altenburgum in Ecclesia maiori tituli Immaculatae Conceptionis Conventus P. P. F. F. Minorum S'ti Francisci de Observantia, quae ad Capellam Lauretanam Divae Virginis Nazareth nuncupatam erecta est, laterale hoc altare secundum â parte Epistolae in honorem S. Antonii de Padua authoritate nostra Ordinaria consecravimus juxta formam, et ritum Sacrae Romanae Ecclesiae. Reliquias S'torum Martyrum Ludovici, Leopardi, et Claudiae Virginis, et Martyris in eo inclusimus: et singulis Christifidelibus hodie unum annum, et in die anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam Ecclesiam visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessimus. In quorum finem has manus propriae subscriptione, sigillo nostro munitas dedimus in Residentia nostra Oberburgensi die 17. Novembris Anno 1661.

Otto Fridericus Ep'us Labacensis. (L. S.)

IX. Dum vero anno 1751. sub Guardianatu P. Waychardi Posarelli die 5. Octobris labor inchoatus pro nova Ara S. Antonii ex Gypso facienda, et anno sequenti terminatus fuisset, contigit, ut, dum mensa ejusdem Altaris die 4. Maji 1752. destructa esset, reperiretur in ara urceolus ex vitro continens schedam mox supra adducti consecrationis Instrumenti. Ex hoc colligitur, quod Ara prima S. Antonii steterit annis 91. Quia Altaria S. Antonii, et S. Francisci sibi â diametro opposita (quae uniformia

1056

sunt) propter gradus marmoreos elevanda etiam quoad mensam, non item alia, erant destructa, indigebant nova consecratione, quare ad instantiam P. Waychardi Posarelli p. t. Guardiani die 17. Augusti anno 1755. â Cel'mo Principe, et Episcopo Labacensi Ernesto Amadaeo ê Comitibus ab Attembs consecrata erant, quo die etiam confirmatio usque ad 7. vespertinam durans habita fuit.

X. Altare S. Francisci posterius est et erectione, et consecratione Altaribus S. Petri Regalati, S. Josephi, ac S. Antonii de Padua. Dum enim Ara haec anno 1748. ex munificientia Excellentissimi Domini Generalis Miglio ex marmore fieri debuisset per D. Lapicidam Labacensem nomine *Robba*, is autem facta ex marmore inferioris Arae parte Labacum ob noviter erigendum ex marmore ibidem ante consularem domum fontem evocatus, laborem Arae usque ad annum 1751. perficere nequierat, fuit Ara de consensu, et expensis in f. 501. ejusdem munificientissimi D. Generalis per certos Gypsatores ex gypso facta et perfecta anno 1751. Die 12. Augusti sub locali gubernio R. P. Thomae Sagar: dumque mensa ipsa die 7. Aprilis 1751. destructa esset, reperta fuit capsula ex lamina continens Reliquias Ss. Valentini, Vitalis, et Bonifacii Mm. una cum schedula hujus tenoris: Anno MDCLXXVII. die 22. mensis Augusti, quae fuit Dominica 11. post Pentecosten Ego Josephus (Rabbata) Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Labacensis consecravi Altare hoc in honorem S. Francisci, et Reliquias Ss. Valentini, Vitalis, et Bonifacii Mm. in eo inclusi. Ex quo patet, Aram hanc esse 16. annis posteriorem praecitatis tribus aris.

XI. Ara S. Barbarae proxima Arae S. Francisci circa eumdem annum, quo S. Francisci facta fuit, erecta fuisse censetur, nempe circa annum 1677. dein verò anno 1752. nova ex gypso sumptibus praelaudati Excel'mi Domini Generalis Miglio fabricata fuit, idem dicendum de Ara S. Floriani priori ex adverso posita, quae anno sequenti videlicet 1753. pariter novo ex gypso eleemosynis diversorum benefactorum erecta fuit. Primae hae arae consecratae fuisse autumantur eo anno, et die, quibus ara S. Francisci, nova verò Altaria nova consecratione non indigebant, quia mensae immotae persistebant. Tandem Arae desponsationis B. V. Mariae, quae olim Auxiliatricis Mariae titulum gessit, et Immaculatae Conceptionis ejusdem Virginis Mariae sub choro circa annum 1728. factae sunt, quos hoc eodem anno die 10. mensis Octobris Celsissimus, et R'mus D. D. Felix Sigismundus ê Comitibus de Schrattenbach S. R. I. Princeps, et Episcopus Labacensis solemni ritu consecravit, ut Conventus Nazarethani praefert Protocollum, nam instrumenta authentica de consecratione Altarium S. Barbarae, S. Floriani, B. V. Mariae desponsationis, et Immaculatae Conceptionis nulla prostant.

XII. His noviter exornata Ecclesia Aris splendidam induit faciem, intuentiumque ad se rapit oculos, praecellit enim et pul-

chritudine, et amplitudine (si Ecclesiam Montis Sancti demas) caeteras Conventuales Provinciae Ecclesias, habet enim in longitudine comprehensa Capella Lauretana orgias 19. et 2. palmos, in longitudine orgias 8. pedes 5. palmos 9. Praeterea non mediocre Ecclesiae tribuit ornamentum duplex campanile, ut quodlibet eorum duabus provisum campanis, quarum major anno 1742. rupta, Cilejae refusa fuit. A pede montis ascendendo per 170. gradus usque ad summitatem tres reperiuntur Capellae: prima B. V. Mariae, secunda S. Francisci, tertia in summitate montis S. Antonii de Padua.

§. II.
De Confraternitatibus, Sacris Reliquiis, aliisque piis exercitiis.

I. Praeter Confraternitatem Cordigerorum S. P. N. Francisci Seraphico Ordini proprium, et omnibus Provinciae Ecclesiis communem, erecta fuit anno 1706. Confraternitas Sacri Scapularis B'mae Virginis Mariae de Monte Carmelo authoritate R'mi P. Angeli de Cambolas Ordinis Carmelitarum de dato Romae ex Conventu B. V. Mariae Transpontinae die 26. Julii: tenor concessionis in originali extantis est talis:

FR ANGELUS DE CAMBOLAS Sacrae Theologiae Magister, Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis Qualificator, humilis Prior Generalis, nec non Commissarius, et Visitator Apostolicus, totius Ordinis Beatissimae, semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo antiquae Observantiae Regularis.

Dilecto nobis in Christo R'ndo Patri Guardiano pro tempore, ac ejus Vicario Ord. Reform. S. Francisci Conventus Nazareth in Styria salutem.

Id â nobis exposcit Christiana charitas, ut bona, quae nobis Divina largitate contigerunt, et Spiritualia maxime, quae data danti non pereunt, in proximos communicemus: Idcirco cum â Sede Apostolica sit nobis indulta facultas communicandi fidelibus Indulgentias, et gratias Spirituales Confraternitati nostri Scapularis ab ea concessas: facultatem tibi damus benedicendi Scapulare, seu habitum nostri Sacri Ordinis, ipsumque imponendi omnibus utriusque sexus Christifidelibus cum omnibus Indulgentiis, et gratiis Spiritualibus, quibus Confratres nostrae Sodalitatis Scapularis gaudent, et potiuntur: modo in libro dictae Sodalitatis canonicè erectae describantur. Insuper tibi concedimus auctoritatem recipiendi fideles, quibus habitum benedictum imposueris, ad participationem omnium bonorum Spiritualium, quae die

1058

noctuque fiunt â Religiosis totius nostri Ordinis, nec non eisdem Christifidelibus Sacrum Scapulare devote gestantibus plenariam absolutionem in mortis articulo conferendi, ea tamen conditione, et non aliter, quod hac facultate non uteris extra locum, in quo habitas, nec praesente aliquo Sacerdote Ordinis nostri, alias ex nunc pro tunc hanc concessionem revocamus, et irritamus. Praesentibus ad nostrum, et nostrorum Successorum beneplacitum valituris. In quorum fidem etc. Datum in Conventu nostro S. Mariae Transpontinae de Urbe die 26. mensis Julii Anno 1706.

FR Angelus de Cambolas Gn'lis Carmelitarum

(L. S.) Fr' Franc. Paulus Guavanta
Secret. Ord.

II. Quia autem haec potestas benedicendi Scapularia, eaque personis utriusque sexus imponendi restricta fuit ad Superiores tantùm, quod non exiguam difficultatem facessebat Superioribus, debebant enim Superiores, subin etiam aliis negotiis occupati, propter quamlibet personam quocunque tempore ad Confraternitatem inscribi petentem ad Sacristiam descendere: Ad alleviandum igitur Superioris Officium P. Joannes Nepomucenus Tropper p. t. Guardianus petiit anno 1746. â R'mo P. Priore Gn'li Ordinis Carmelitarum facultatem, quatenus sibi factam potestatem suscipiendi Confratres, et Consorores Sacri Scapularis ad Confraternitatem B. V. Mariae de Monte Carmelo etiam P. Sacristae pro tempore existenti subdelegare queat. Ad suam petitionem favorabile obtinuit responsum hujus tenoris:

Ad'm R'nde P. Observ'me!

In veneratione humanissimarum vestrarum de die 6. Decembris praesentibus facultatem concedo R. V. et suis in officio Successoribus, ut delegare possint P. Sacristae Ordinis Vestri Religioso Sacerdoti authoritatem inscribendi, et assumendi ad Confraternitatem Ss. Scapularis B. V. Mariae de Monte Carmelo. Assistat mihi R. V. suis S. precibus, et sacrificiis, et apprecando ipsi omnia prospera, et verè felicia sum in osculo Sancto.

Neapoli 24. Dec. 1746.

R. V.

Humilis famulus
Fr' Benignus Gn'lis Carmelit.
Discalceatorum.

III. Praeter multiplices Sanctorum Reliquias, in Reliquiariis repositas, adsunt etiam particulae in suis separatis thecis inclusae sequentes, videlicet *1ma* de Particula S. Crucis. *2da* de veste B. V. Mariae. *3tia* ex ossibus S. Antonii de Padua. Via S. Crucis (quae â devoto populo tum privatim, tum publicè assiduè frequentabatur) fuit prius extra Ecclesiam posita, dein

anno 1733. ad Ecclesiam translata tum, ut populo commodior esset, praesertim tempore pluviae, et nivium, tum ut ab immunditiis, aliisque profanationibus praeservaretur. Instituuntur hic duo Concionatores, quorum unus diebus Dominicis, alter festis diebus in lingua Slavica populo in magna copia concurrenti Verbum Dei proponit. Licet autem singulis diebus Dominicis populus in magno numero adveniat, sunt tamen aliquae per annum festivitates, in quibus etiam populus ex longinquis partibus, puta Carinthia et Carniolia in solito majori numero confluit[640] ad Venerandam Dei Genitricem, semperque Virginem Mariam (quae hic loci magnis claret miraculis) prout id tabellae, et anathemata in ipsa Capella appensa luculenter demonstrant. Plures olim Parochiae processionaliter Thaumaturgam Virginem veneraturae advenerant, sed nunc, postquam Processiones longinquae, quas per noctem emanare oportuit, in Ditionibus Austriacis ad praepedienda mala, quae occasione similium Processionum perpetrari dicebantur, sint prohibitae, non nisi ex propinquis Parochiis adveniunt. Praeterea hujus Coenobii incolae frequentissime in subsidium Parochorum advocantur ad excipiendas fidelium Confessiones. […][641]

Caput VI.
Elenchus Fratrum in Conventu Nazarethano pie in Domino defunctorum.

1665. 25. Feb. V.P. Benedictus Fligell ann. Rel. 30.
1667. 26. Aug. A.V.P. Joannes Maria Travisanus Gorit. olim Prov. Diff'or ann. Rel. 39.
1677. 2. Junii R.P. Zacharias Textorius Labac. Con'or Gn'lis, olim Prov'iae Custos, et Diffinitor act. an. Rel. 35.
1681. 3. Julii Rel. Fr' Hieronymus Terbischeg Camn. laic. An. Rel. 26.
1684. 4. Feb. A.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or Gn'lis tertiò Diff'or act. Ann. Rel. 40.
…… 4. Maji Rel. Fr' Adamus Durchenwald laic.
1693. 7. Aug. Rev. P. Bernardus Perne Con'or, lect. Gn'lis, olim Prov'iae Custos Ann. 37. Rel. 20.
1696. 29. Mart. V.P. Raphael Mochortchitsch Ann. 47. Rel. 27.
1700. 4. Apr. A.V.P. Bonaventura Novak Con'or, lect. Theol. olim Prov. Diff'or ann. 83. Rel. 63.
1701. 7. Maji Rel. Fr' Thadaeus Windisch laic. Chyr. an. 36. Rel. 10.
1704. 13. Maji Rel. Fr' Dominicus Rockner laic. ann. 65. Rel. 39.
1709. 18. Jun. Rel. Fr' Pontianus Peringer laic. Bavarus sut. ann. Rel. 21.
1710. 12. Aug. Rel. Fr' Ludovicus Gebhardt ex Palatinatu laic. sart. ann. 65. Rel. 36.

1060

1711. 24. Junii A.V.P. Vincentius Lampretich Salcanensis Con'or, tertio Diff'or act. ann. 68. Rel. 49.
1713. 26. April. Rel. Fr' Chrysanthus Sedlmayr Bavarus, laic. ann. 54. Rel. 28.
1715. 7. Mart. M.V.P. Gaudentius Lingo Carint. fuit olim Guard. ann. Rel. 30.
…… 28. Mart. V.P. Callistus Verhounig Carn. Con'or actual. ann. Rel. 22.
1725. 31. Jan. Rel. Fr' Primus Grischer Carn. Gottschev. laic. ann. Rel. 17.
1726. 15. Sept. V.P. Bertrandus Kölbel Bav. Ingolst. an. 56. Rel. 37.
1729. 15. Mart. Rel. Fr' Sigismundus Kapler Silesita, laic. Arcul. ann. Rel. 38.
1734. 13. Maji V.P. Marianus Martschinko Styrus Prasperg. act. Con'or fest. ann. 26. Rel. 8.
1735. 18. Jul. V.P. Marcellus Dernouschig Carn. Lab. Con'or ann. 73. Rel. 53.
…… 28. Dec. V.P. Gaudentius Wollrab Styrus Runensis an. 36. Rel. 15.
1736. 28. Maji Rel. Fr' Hilarius Fridel Rottenburgens. laic. ann. 59. Rel. 32.
…… 10. Jul. VP. Alexander Perger Labac. peritus P[h]armaceuta[642] ann. 71. Rel. 39.
1737. 20. Sept. V.P. Ignatius Marzhizh Carn. Lab. an. 48. Rel. 28.
1740. 8. Feb. Rel. Fr' Pontianus Widmann Bavar. laic. sut. ann. 37. Rel. 10.
1744. 9. Jan. V.P. Bartholomaeus Bullovitsch Carn. Labacens. Pharmaceuta ann. 64. Rel. 48.
…… 4. Aug. A.V.P. Simeon Marx Bavar. multis annis Novitiorum Magister, assiduus Chori assistens, et aliis virtutibus exornatus, Diff'or aggregatus Sacerdos Jubil. ann. 81. Rel. 68.
1748. 6. Dec. Rel. Fr' Sabinus Pendel Morav. Iglav. laic. Panif. ann. 45. Rel. 15.
1751. 19. Aug. Rel. F. Ubaldus Engeleitner Bav. laic. an. 74. Rel. 42.
1752. 20. Maji Rel. Fr' Marcellinus Pfeilschiffter laic. Pannif. ann. 69. Rel. 40.
1756. 5. Feb. A.V.P. Calixtus Watscher Carn. Neostad. lect. Gn'lis Ex-Diff'or ann. 60. Rel. 40.
1758. 1. Januar. V.P. Joannes Baptista Schigan Camnicen. Con'or ann. 47. Rel. 30.
1759. 24. Feb. Rel. Fr' Primus Winderle Suev. laic. sart. ann. 79. Rel. 53.

1762. 12. Dec. M.V.P. Franciscus Salesius Pettermann Con'or Dom. act. ann. 53. Rel. 34.
1769. 1. Oct. A.V.P. Sigefridus Kappus Labac. Missionar. Apost. Guard. et Novit. Mag. Ex-Diff'or ann. 67. Rel. 51.
1771. 8. Aug. M.V.P. Eugenius Laver Carn. Labac. Con'or saepius Guard. et Novit. Mag. ann. 49. Rel. 32.
1772. 23. Jan. Rel. Fr' Jacobus Mazenkopf Tyr. laic. an. 69. Rel. 45.
1773. 11. Feb. M.V.P. Placidus Juray Carn. Lab. Con'or saepius Vicar. et Guard. ann. 68. Rel. 51.
…… 6. Nov. M.V.P. Gerardus Widiz Carn. per plures annos ferventissimus Con'or, bis Jubil. ann. 82. Rel. 66.
1774. 27. Junii M.V.P. Innocentius Jessenko Carn. Lab. Con'or, lect. Gn'lis ann. 42. Rel. 26.
…… 4. Sept. V.P. Albinus Papesch Carn. Neostad. an. 48. Rel. 28.
1777. 27. Apr. M.V.P. Aegidius Omersa Camnic. Con'or, et Guard. Sacerd. Jub. ann. 76. Rel. 59.
…… 26. Jun. V.P. Landelinus Fada Con'or, Carn. Lab. an. 49. Rel. 29.
…… 10. Dec. M.V.P. Marianus Shuppiz Carn. Lab. fuit Guard. et act. Vicar. ann. 58. Rel. 37.
1780. 2. Maji M.V.P. Gratianus Percopiz Con'or, lect. Theolog. Carn. Neost. ann. 66. Rel. 47.
1781. 22. Feb. Rel. F. Gualbertus Biffrader laic. coc. Tyr. an. 57. R. 32.
…… 2. Aug. Rel. F. Aemilianus Aparnig Cler. Nov. an. 20. Rel. 2.
1782. 28. Feb. A.V.P. Reginaldus Franz Carn. Camn. Con'or, Ex-Def'or, ann. 64. Rel. 47.
…… 5. Oct. MVP. Romanus Wider Con'or Carn. Camn. an. 60. Rel. 43.
1783. 28. Aug. Rel. F. Pacificus Zirrer Carn. Lab. laic. coc. an. 47. R. 29.
…… 30. Oct. Rev. P. Jacobus Kukaina Con'or lect. Gn'lis, bis Ex-Def'or, et Cust. habitualis Styr. Fraslav. an. 65. Rel. 47.

1062

Caput VII.
Elenchus Patrum Guardianorum Conventus Nazarethani.

A.V.P. Georgius Ugollinus Ex-Diff'or 1693. 1640.
A.V.P. Alexander Rampel Ex-Diff'or 1641. 1642. 1643. 1644.
M.V.P. Joannes Baptista Millosich 1648. 1649.
A.R.P. Alexander Rampel, Ex-Diff'or, et Ex-Min'r Pro'alis 1650. 1651. 1652.
M.V.P. Michael Angelus Bosgnyak Con'or 1653.
A.V.P. Michael Noyse Ex-Diff'or 1654. 1655.
M.V.P. Joannes Maria â Goritia 1656. 1657. 1658.
M.V.P. Michael Angelus Bosgnyak Con'or 1659. 1660. 1661.
M.V.P. Joannes Baptista Donati 1662. 1663. 1664.
M.V.P. Constantinus Percopiz Con'or 1665. 1666.
A.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or Gn'lis, Ex-Diff'or 1667. 1668. 1669.
M.V.P. Constantinus Percopiz Con'or 1670. 1671. 1672.
M.V.P. Paulus Surian Con'or 1673. 1674.
M.V.P. Bonaventura Novak Con'or, lect. 1675. 1676. 1677.
M.V.P. Casimirus Dimiakovich lect. Con'or Gn'lis 1678. 1679. 1680.
A.V.P. Antonius Bressan Con'or Gn'lis, Ex-Diff'or 1681. 1682. 1683.
M.V.P. Henricus Fabiani Con'or, lect. Thl'gus 1684. 1685. 1686.
M.V.P. Fridericus Codelli 1687.
M.V.P. Balthasar Mussich Con'or, lect. 1688.
M.V.P. Eugenius Weilhard Con'or lect. Theolog. 1689. 1690.
A.V.P. Antonius Bressan Con'or Gn'lis, Ex-Diff'or 1691. 1692.
R.P. Bernardus Perne Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Custos 1693.
M.V.P. Fridericus Codelli Con'or 1694. 1695.
A.V.P. Paschalis Mazoll Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1696.
A.V.P. Vincentius Lampretich Con'or, Ex-Diff'or 1697. 1698.
M.V.P. Godefridus Huppenberger Con'or 1699. 1700. 1701.
M.V.P. Fridericus Codelli Con'or 1702. 1703. 1704.
M.V.P. Mauritius Bobner Con'or, lect. Gn'lis 1705. 1706. 1707.

M.V.P. Archangelus Schittenberger 1708.
A.V.P. Petrus Stibelli Con'or, lect. Theol. Ex-Diff'or 1709. 1710. 1711.
M.V.P. Godefridus Huppenberger Con'or 1712. 1713. 1714.
M.V.P. Archangelus Schittenberger 1715. 1716. 1717.
M.V.P. Joannes Hoffstetter 1718. 1719. 1720.
M.V.P. Cosmas Tauber Con'or 1721.
M.V.P. Silverius Vidig 1722.
R.P. Angelicus Direin Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or, et Ex-Custos 1723.
M.V.P. Fridericus Skerpin Con'or 1724. 1725. 1726.
M.V.P. Urbanus Nusdorffer 1727.
M.V.P. Thomas Sagar 1728.
M.V.P. Josephus Bachovitsch Con'or 1729.
M.V.P. Cyriacus Spreizer Con'or 1730. 1731.
M.V.P. Alexander Breschiach Con'or 1732. 1733.
M.V.P. Theophilus Zunzer Con'or, lect. Gn'lis 1734.
M.V.P. Aegidius Omersa Con'or 1735.
M.V.P. Udalricus Furlan Con'or 1736. 1737. 1738.
M.V.P. Rudolphus Gorsche Con'or 1739. 1740.
A.V.P. Aloysius Mayrhoffer, Con'or, Lect. Gn'lis, Diff'or aggreg. 1741.
M.V.P. Udalricus Furlan Con'or 1742.
M.V.P. Rudolphus Gorsche Con'or 1743. 1744. 1745.
M.V.P. Joannes Nepomucenus Tropper Con'or, lect. Gn'lis 1746. 1747.
A.V.P. Thomas Sagar Ex-Diff'or 1748. 1749. 1750.
M.V.P. Waychardus Posarelli Con'or 1751. 1752.
M.V.P. Sigefridus Kappus Mission. Apostol. 1753.
M.V.P. Waychardus Posarelli Con'or 1754. 1755. 1756.
M.V.P. Jacobus Kukaina Con'or, lect. Gn'lis 1757. 1758.
M.V.P. Chrysogonus Schustertschitsch Con'or, lect. Gn'lis 1759. 1760.
M.V.P. Maximus Selderer Con'or 1761. 1762.
M.V.P. Adolphus Bobner Con'or 1763. 1764.
M.V.P. Gandulphus Nusdorffer Con'or 1765. 1766. 1767.
M.V.P. Juvenalis Smodin Con'or, lect. Gn'lis 1768. 1769.
M.V.P. Caelestinus Hriber Con'or, lect. Gn'lis 1770. 1771. 1772.
M.V.P. Honoratus Vadlau Con'or, lect. Gn'lis 1773. 1774.
M.V.P. Maximus Selderer Con'or 1775.

1064

M.V.P. Erenfridus Gnad Con'or, lect. Gn'lis 1776.
A.V.P. Waychardus Posarelli Con'or, Ex-Diff'or 1777.
M.V.P. Gandulphus Nusdorffer, Con'or 1778. 1779. 1780.
M.V.P. Benedictus Mulei Con'or, lect. Gn'lis 1781.
MVP. Facundus Lippitsch 1782. 1783.
MVP. Donatus Samlen Con'or, lector 1784. 1785. 1786. 1787.[643] 1788. 1789. 1790. 1791. 1792.
A.R.P. Abundus Pilpach Df'tor 1793. 1794. 1795.
A.R.P. Deodatus Kamnscheg Lect. Df'tor 1796. 1797. 1798. 1799. 1800. 1801. 1802. 1803. 1804. 1805. 1806.
M.R.P. Magnus Pober 1807. 1808. 1809. 1810. 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817. 1818. 1819.[644] 1820. –
Deinde eligebantur tempore Capituli vel Congregationis ordinario mense Aug. vel Septembri:
Anno 1820. M.R.P. Innocentius Müller, Curatus loci, 1821. 822. 823.
Anno 1823. ~ ~ ~ Castulus Bobek, Curatus, 1824. 825. 826.
Anno 1826. ~ ~ ~ Innocentius Müller, Curatus 827. 828. 829. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. †
Anno 1847. A.R.P. Callistus Omejic, 1848. 1849. 1850.
Anno 1850. M.R.P. Gotthardus Spendé, Curatus, 1851. 1852. 1853.
Anno 1853. ~ ~ ~ Sophronius Merk, Curatus, 1854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863.
Anno 1863. M.R.P. Athanasius Krajnik, Curatus, 864. 865.
Anno 1865. ~ ~ ~ Sophronius Merk, Curatus, 1866. 1867. 1868.
Anno 1868. ~ ~ ~ Thaddaeus Gregorič, Curatus, 1869.
Anno 1869. ~ ~ ~ Albertus Pinter, Curatus, 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879.

Sigillum

Conventus Nazarethani est figurae rotundae, in quo expressa est Imago B. V. Mariae Lauretanae in sinistris tenentis Jesulum, corona redimitum, utrinque in parte superiori pendent duae lampades, in inferiori flectunt duo Angeli candelabra in manibus tenentes, infra figuram scriptae sunt sequentes litterae. S. S. M. G. C. N. id est: *Sigillum Sanctae Mariae Gratiarum Conventus Nazarethani*.

26. Jan. 1780.

XIII. CONVENTUS ad Sanctissimam Trinitatem CARLOSTADII in Regno Croatiae.

Caput I. De Fortalitio, et Civitate Carlostadiensi.

I. Nemo est, qui ignorat, si vel historicos vel â longe salutavit, quot, et quantas strages Turcica immanitas non tantum Regno Croatiae, sed etiam Carnioliae, Styriae, Carinthiae, Forojulio, et finitimis regionibus causarit? quot millia Christianorum gladio peremerit? quot animas in duram captivitatem abduxerit? quot Civitates, oppida, vicos igne absumptos solo aequarit? praesertim post captam Urbem Constantinopolitanam die 1. Junii 1453. et subjugato anno 1462. Bosniae regno, ubi ipsis latum ostium ad praedictas regiones apertum fuit: Unde mox anno 1469. quidam Bassa cum 10. millibus in Carnioliam irrupit, ac suum exercitum in tres colonias divisit, quarum unam direxit ante Labacum, secundam ante Rudolphwertum, et campum S. Bartolomaei, tertiam verò ipsemet commendabat penes Metlicam, et Weiniz ad Colapis ripam. Ingens, et hucusque inusitata strages fuit haec Carnioliae Ducatui, ut alia mala taceam, sufficit commemorare, quod ad 6000. millia Christianorum occisa fuerint, et 8600. in captivitatem abducti, majorem causâsset miseriam, nisi Fridericus, et Wolfgangus fratres â Gallenberg, Georgius â Rain Vice Dominus Carnioliae, ac Capitaneus Metlicensis D. Wilhelmus ab Aversperg celeriter suppetias tulissent.

II. Plures similes irruptiones Turcarum, et saepius crudeliores vastationes, caedes, et invasiones commemorantur â Valvasorio in Cron. Carn. lib. 15. c. 9. et seqq. quo lectorem remitto: aliquas tamen breviter referam. Sic anno 1472. Turcae Labacum obsederant, anno 1475. sua hostilia arma denuo contra Christianos verterunt: idem contigit annis 1478. 1484. 1491. 1492. 1493. quo anno ad 10. millia Christianorum in captivitatem abduxerunt, non minorem terrorem incusserunt tam Carnioliae, quam Forojulio annis 1496. 1498. et 1500. Praeterea alias incursiones, quae usque ad haec tempora factae erant, nam ut Valvasorius Topogr. Carn. lib. 15. c. 12. pag. 398. adnotat: Turcae ab anno 1460. usque ad annum 1508. ultra 27. vices in Croatiam, et Carnioliam irruperunt, et ultra 200000 homines partim occiderunt, partim captivos abduxerunt. Anno 1511. Turcae denuo non tantum Carnioliam, sed etiam Istriam, Karssium, et Forojulium immaniter vastarunt.

1066

Eamdem miseram sortem expertum est Karssium anno 1522. quo anno Dominica Palmarum Turcae Parochum in *Slavina* Passionem Domini legentem ab Altari detractum cum multis aliis praesentibus immaniter interfecerunt. Non commemoro alias posterioribus annis â Turcis factas invasiones, vastationes, caedes, ac in captivitatem abductiones, praerecensitae enim sufficienter indicant praessuras, quas Croatia, Carniolia, Styria, Austria, imo et ipsa Civitas Viennensis anno 1529. perpessae sunt.

III. Ad cohibendas igitur tot hostiles incursiones, et praecavenda ingentia mala toties hucusque â Turcica immanitate praedictis regionibus causata, Carolus Archidux Austriae, annuente Rudolpho II. Romanorum Imperatore, et Hungariae Rege novum fortalitium in Croatia non procul â Turcicis finibus in loco, ubi tres nominatissimi fluvii, nempe *Colapis*, *Corana*, et *Mresniza* confluunt ê fundamentis die 10. Julii anno 1579. aedificare coepit, illudque â suo nomine *Carlostadium*, sive *Carolostadium*, germ. *Carlstadt*, vulgo *Carloviz* appellari voluit. Ad aedificium fortalitii Carlostadiensis tam Carinthia, quam Carnioliae Provincia multum contulerunt, nam Carnioliae status praeter multam pecuniae summam etiam dederunt 100. equos, super quibus ut Capitaneus constitutus erat D. Casparus â Lamberg, et 800. operarios.

IV. Erat hoc fortalitium Turcis spina in oculis, unde ejus aedificium omnibus viribus impedire, et perturbare conabantur per frequentes hoc tempore incursiones, anno quippe 1582. 3. Martii 20. equites Turcici in aliquos fabros lignarios in silva penes *Coranam* non procul Carlostadio irruerunt. Hoc eodem anno in mense Decembri 800. Turcae penes *Ozail* visi erant animo praedictam arcem spoliandi, sed eos D. Adamus ab Eichelburg Capitaneus cum 200. equitibus stravit, ac ad unum omnes occidit, paucis relictis, quos captivos Carlostadium adduxit: non multum post alii 500. Turcici equites in eodem loco apparuerunt, qui pariter dissipati, et in fugam acti erant, ast post breve temporis intervallum alia 3000. selectorum Bosnensium militum nostros in quodam angusto loco circumdederunt, et concluserunt, ubi 100. equites ex nostris ceciderunt cum multis aliis nobilibus Officialibus, inter quos erant D. Adamus ab Eichelburg Capitaneus, Christophorus ab Obritschan, Tobias â Dietrichstein, Henricus â Saurau, Hannibal ab Ek, Mathias Gussitsch, Lucas ab Attimis, cum aliis pluribus.

V. Quamquam verò Turcae saepius vicinitatem Carlostadiensem visitaverunt, et etiam in Suburbio aliquas domos in cineres redegerint, attamen vix non semper cum suo gravi damno â praesidiario Carlostadiensi milite repercussi erant, uti contigit die 17. Augusti anno 1598. quo die 100. Turcicos equites D. Georgius Lenkoviz Capitaneus Carnioliae, et

Stephanus Comes Ursini de Blagay usque in *Suezhai* persecuti sunt. Item anno 1601. venerunt Turcae usque ad fortalitium Carlostadiense animo illud expugnandi, ast ii non sine gravi damno forti resistentia D. Caroli â Gallenberg pro tempore substituti in praesidio Commendantis recedere coacti erant. Eamdem sortem experti sunt anno 1623. quo circa Carlostadium grassabantur, multos Christianos captivos tenebant, sed â persequente Carlostadiensi milite non tantum captivi libertate donati erant, sed etiam 70. Turcarum capita ad fortalitium adportata fuerant. Merito fortalitium hoc Carnioliae propugnaculum dicendum est, et antemurale: cum â tempore ejusdem aedificii Carnioliae Ducatus â Turcicis invasionibus liber existat, si quorumdam latronum incursiones saepius sine legitima authoritate, aut Superiorum jussu factas excipias.

VI. In hoc fortalitio erecta fuit Ecclesia Parochialis Sanctissimae Trinitatis, et posterioribus temporibus Capella S. Josephi, de quibus singilatim agetur. Fuit fortalitium hoc bina vice igne absumptum videlicet anno 1604. et anno 1692. ubi etiam Conventus cum Ecclesia in cineres abiit. Saepius etiam fortalitium multa patitur damna ab exundatione aquarum, quae subin in tantum excrescunt, ut per civitatem navibus duci oporteat, qualis inundatio facta est anno 1775. die 29. Maji, ubi Ecclesia, Culina, et Refectorium Conventus aqua ita repleta erant, ut Religiosi coacti essent coquere in fornacibus superioris ambitus, et in infirmaria celebrare, nisi quis voluisset ad aram majorem, cujus superior gradus, ubi Sacerdos stat, adhuc extra aquam erat, per scalam ex fenestra antiqui Chori descendere: Sacerdos ad infirmum Eucharistiam deferre volens usque ad aram majorem in navi adduci debuit. Pro perpetua hujus exundationis memoria est in armamentario (Zeüghauß) afforis media circiter orgia â terra sequens Scriptura in pariete apposita: *Anno 1775. den 29. May ware das Wasser hoch bis hieher.*

VII. Civitas haec, quamvis semper sub gubernio militari fuerit, tamen circa annum 1764. suos Consules, et Judices tempore L. B. de Beck Generalis Commendantis habere coepit, cujus primus Consul erat D. Joannes Guetterer mercator, anno verò 1779. â jurisdictione militari exempta fuit, ~~ac Coronae Hungariae adjecta~~. Numerantur in fortalitio Carlostadiensi dempto Suburbio, quod ad Parochiam Dubovaczensem spectat 250. circiter domus, et personae 1520. nascuntur ordinariè 84. personae, moriuntur verò circiter 86. Anno 1775. â 1. Januarii usque ad ultimam Decembris nati erant 68. copulati 23. paria, mortui verò 147. personae tam parvulae quam adultae. Subsunt Generali Carlostadiensi gubernio quatuor legiones, nempe *Sluinensis, Licanensis, Othoczensis* et *Ogulinensis*.

1068

Caput II.
De introductione Fratrum Minorum ad fortalitium Carlostadiense, et consignatione eisdem Ecclesiae Parochialis.

I. Octodecim prope annis negotium agebatur de aedificando pro P. P. Franciscanis in fortalitio Carlostadiensi Conventu, antequam ii realiter introducti fuissent; Anno enim 1641. Sac'ae Caes'ae Majestati Ferdinando III. Hungariae Regi expositum fuit desiderium totius confiniarii populi habendi in fortalitio P. P. Franciscanos adjecta cum petitione, quatenus licentiam sua Caes'a Majestas clementissimè aedificandi Conventûs, pro cujus aedificio populus tamquam certus de consensu jam aliqua materialia praeparaverunt, impertiti dignaretur: Magis semper Divini cultus promovendi zelo inflammatus Ferdinandus Imperator, ac Hungariae Rex, piis populi votis libenter annuit suo gratioso Rescripto de dato Viennae 11. Novembr. 1641. quod hujus est tenoris:

Ferdinand der dritte von Gottes Gnaden
erwöhlter Römischer Kayser etc. zu allen
Zeiten Mehrer des Reichs etc. etc.

Hoch- und Wohlgebohrne, auch Wohlgebohrne, Edle, Liebe, Getreüe. Wir haben aus Eüerm gehorsambsten Bericht von 26. 8bris negsthin vernohmen, was gestalt das ganze Gräniz Volk zu Carlstadt den Franciscanern Orden daselbst zu haben und ein Clösterl (darzu albereith Materialia vorhanden) aldorten aufzurichten verlangen thäten; danenhero Ihr dan dahin einrathet, das Wir Ihnen Franciscanern auf Ihr destwegen eingewente bitt vnsern gnädigsten Consens darzu erthaillen möchten. Weilen nun solches zur beförderung der Ehr Gottes, und der Granizer Seelen hayll geruhet, alß wollen Wir in solche Erbaunng gnädigst gewilliget haben, welches Ihr dan verers an sein orth erinderen und die ungehinderte verstattung dieses gebaus verfüegen wollet. Dan an deme vollziehet ihr vnsern gnädigsten Willen und Mainung und Wir verbleiben Eüch beynebens mit kay. und Landsfürst. Gnaden wolgewogen. Geben in vnserer Stadt Wienn den eilften Novembris 1641, vnsern Reiche des Römischen in fünften, des Hungarischen in Sechzehenden und böhaimischen in vierzehenden Jahr.

II. Quamvis et Materialia pro aedificando Conventu praeparata essent, et Caesareus Consensus obtentus fuerit, aedificium tamen et ipsa Fratrum introductio ad longius tempus protrahebatur: quae verò hujus morae causa fuerit? penitus ignoro. Id scio, quod Fratrum Minorum ad Praesidium Carlostadiense celerem introductionem etiam ipsemet D. Georgius Comes de Frangepanibus Vice-Generalis Carlostadiensis solicitaverit, ut ex ejusdem testimonialibus litteris de dato Carlostadii die 27. Aprilis 1654. quas ex Originali adduco, uberius constat, et sunt hujus tenoris:

Nos Comes Georgius de Frangepanibus â Thersacz, Segniae, Vegliae, Modrussiaeque Comes perpetuus, Sac'ae Caes'ae Regiaeque Mat'tis Consiliarius, Camerarius, Praesidiorum Thuran, Urassich, et Thohuin Capitaneus, Collonellus, nec non Croatiae, partium Maritimarum Vice-Generalis etc. Aequum, et rationabile est omnes, praecipuè vero Altissimo Sacratos, Ecclesiam Catholicam exemplaritate vitae, doctrinae Sanctitate, ac morum probitate condecorantes, dignis encomiis, congruisque laudibus celebrare. Hoc competit Venerab. P'ribus Prov'ae Bosnae Croatiae Ord. Min. Obs. qui non solum in maritimis Monasteriis ab Antenatis nostris Seraphicae familiae jam dudum constructis pia Divinorum Officiorum recitatione, ferventi Sacramentorum administratione, sana Verbi Dei variis linguis praedicatione, vineam Domini coluerunt, et de facto diligentissime colunt, verum etiam hisce in Croatia confinibus, die, noctuque indefessi sudantes, insinuatis exercitiis haeresum tribulos, aliorumque vitiorum spinas, summa populorum aedificatione radicitus extirparunt; adeoque non alios, nisi eos Matris Ecclesiae cultores in his partibus habere nec petimus, nec desideramus, imo ob hac rem omnibus, quibus expedit, praefatos Patres unice commendamus, eosdemque singulariter rogamus, quatenus ex illis de germanicis, et Croaticis probis Concionatoribus, providere nobis non dedignentur. Nos verò tantam gratiam toti Seraphicae Religioni compensare satagemus. Datae Carlostadii die 27. mensis Aprilis Anno 1654.

(L. S.) Comes Georgius de Frangepanibus m'ppa

III. Tandem anno 1657. die 1. mensis Decembris Ecclesia Parochialis Sanctissimae Trinitatis in Praesidio Carlostadiensi sita Patribus Franciscanis Provinciae Bosnae Croatiae consignata, et extradita fuit, ut ex quodam supplici libello anno 1658. â P. Paulo de Tauris Ministro Provinciali Provinciae hujus ad Augustissimum neo-electum Romanorum Imperatorem Leopoldum I. dato (in quo supplicat, ut milites ad publicos labores condemnati in aedificio Conventus operarios agerent) manifeste colligitur; ibi enim sic habetur: Es hat die löbl. Soldatesca in der haubtvestung Carlstadt etliche Geistliche von vnser Religion des heligen Francisci vor ungefähr 12. Jahren verlangt und an den Orden instendig begert, so das auch durch den

1070

verstorbenen Herrn Generaln, Weilland Herrn Wolf Cristophen von Frangepan, Grauen zu Tersaz etc. die Kay. Ratification darauf außgewürkt worden, und in deme Man endtzwischen ein zimbliche zeit wegen deren vnterhalt und accommoditet bescheftiget gewest, endlich den ersten december abgeloffenen 1657. die Khürchen, welche ermelte Soldaten auf ihren aignen vncosten auferpauet, sambt aller Zugehör mit gebürlicher Solemnitet und gewissen Conditionen auß Beuelch der Herrn Muster-Commissarien würklich eingeraumbt, herentgegen die weltliche Priester wegen gewissen vrsachen licenziert worden etc.

IV. Motiva, ob quae Ecclesia Parochialis Carlostadiensis nobis tradita fuerit, erant multiplicia, et quidem *primò*: quia populus erat copiosos, isque diversarum linguarum, ac Curato loci, qui praeter vulgarem, et latinam (non enim erat olim lingua germanica Croatis ita familiaris, ùt hodie) aliam non callebat, prorsus ignotarum, unde etiam antehac nostri Patres ex Conventu S. Leonardi saepius descendebat ad excipiendas fidelium praesertim germanorum Confessiones, ut patet ex quadam Epistola A. R. D. Nicolai Tribinacz ultimi Parochi Carlostadiensis de dato Carlostadii 1. Sept. 1655., in qua rogat P. Michaelem Bosgnyak tunc Guardianum S. Leonardi, ut pro proximo Dominico die, et festo Nativitatis B. V. Mariae cum duobus aliis sociis Confessariis veniret, et adjuvaret excipere Confessiones praesertim germanorum. *Secundò*: quia tanto populo unicus Curatus praedicando Verbum Dei, et administrando Sacramenta satisfacere haud potuit, proventus verò pro pluribus sustentandis Sacerdotibus nimis tenues erant. *3tiò*: quia fors minoris doctrinae erat, quam conditio personarum in Praesidio degentium exigebat. Quae omnia magis clarebunt ex Instrumento authentico infra adducendo, vi cujus Episcopus Zagrabiensis Ill'mus, et R'mus D. Petrus Petretich de Consilio Vnb'lis Capituli Ecclesiam Parochialem Fratribus Minoribus extradidit.

V. Factam die 1. Dec. 1657. consignationem Ecclesiae Parochialis Ss'mae Trinitatis in fortalitio Carlostadiensi sitae Fratribus Minoribus Ill'mus, et R'mus D. D. Petrus Petretich Episcopus Zagrabiensis, in cujus Dioecesi existit, publico Instrumento ratam habuit, quod ex originali desumptum hunc continet tenorem:

In Dei Nomine Amen

Petrus Petretitsch Dei, et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis, Abbas B'mae Virginis Mariae de Topuszka, ac Sacrae Caesareae, et Regiae Majestatis Consiliarius damus pro memoria. Quod cum in Praesidio Carlostadiensi populus, et miles tam germanicae, quam Croaticae nationis, et linguae satis copiosus, et frequens esset, ac de Pastore Spirituali, seu Curatore animarum quidem provisus: tamen quia ejusmodi Curatus, vel solus impotens tanto populo, et militi sa-

tisfacere, vel imperitus utriusque linguae, vel doctrinae minoris, quam conditio personarum in celebri illo loco, et Praesidio degentium exigeret, vel tandem ex alio defectu nequibat ita plenè Spirituale pabulum animabus illis numerosis, dignitate conspicuis praeferre, ut dispendia, et pericula animarum evenire non necessitarentur; alioquin etiam loci illius, et personarum dignitas, devotioque non solum in Sacris Missis quotidie pluries celebrandis, sed etiam aliis Divinis majore cum solemnitate signanter festivis diebus peragendis uberiorem numerum presbyterorum exigebat. Quoniam autem Saecularium Sacerdotem pro loci illius exigentia qualificatorum in illa, quae ibidem ordinata est, sustentationis provisione, copia de facili haberi non potest, necessarium erat Religiosum aliquem Ordinem ad supplendos ibidem praemissos in cura animarum defectus, cultumque Divinum promovendum, in locum, et Praesidium illud venire. Ad quod, cum proximis prioribus temporibus varii conatus adhibiti fuissent, et apud humilitatem quoque nostram alibique, ubi opportunum, et necessarium erat, factae instantiae. Tandem ex annuentia Sacrae Caesareae, et Regiae Majestatis Domini nostri Clementissimi, interveniente auctoritate Inclyti bellici Consilii R'ndis Patribus Ordinis Sancti Francisci de Observantia Provinciae Bosnae Croatiae, qui in supportandis praemissis defectibus ex Monasteriis suis eo frequenter venientes multum insudabant, Ecclesia Ss'mae Trinitatis Parochialis in dicto Praesidio fundata, et erecta, quae hactenus per Saeculares Presbyteros sub obedientia Episcopi Zagrabiensis existentes administrabantur, oblata (secus enim hoc pium, et necessarium opus perfici non posse videbatur) et collata est simul cum cura animarum. Cum verò Sacri Concilii Tridentini Decretum, et aliae Sanctissimorum Romanorum Pontificum Constitutiones Regularibus quibuscunque nova loca absque Ordinariorum licentia, et consensu occupare vetarent, A. R. P. Michael Bosnyagk praedictae Provinciae Bosnae Croatiae pro tempore Vice-Provincialis cum litteris credentialibus, et commendatoriis Ill'mi, et Excel'mi Comitis, ac Domini Herbardi ab Aversperg Sacrae Caes'ae Regiaeque Mat'tis Consiliarii Praesidii Carlostadiensis, et Confiniorum Croatiae etc. Generalis nostri venit in praesentiam, aliis Patribus, et Fratribus suis associatus, cum ea, qua par est, ac decet reverentia, et submissione ejusdem Domini Generalis, totiusque Praesidii pientissimum desiderium exposuit, ac voluntatem, suo Fratrumque suorum nomine â nobis ea, quae de jure ad Spirituale hoc incrementum, salutemque animarum illarum, Ordinisque praetacti, et Fratrum praefatorum stabilitatem, et securitatem requiruntur, postulando. Nos igitur ex Pastorali Officio nostro, uti tenemur, cultum Divinum promovere cupientes, salutique animarum in celebri illo loco magis provisum fore desiderantes, Sanctaeque Seraphicae Religioni pro possibilitate, ac tenuitate nostra servire studentes, desiderioque, et pientissimo zelo Excellentissimi Comitis Generalis, totiusque Nobilissimorum Praesidiariorum Communitatis plene satisfacere, et promptissime obsecundare volentes, matura intra nos habita deliberatione, adhibito etiam Venerabilium Fratrum nostrorum Cathedralis Capituli nostri Canonicorum sano Consilio anteducti Patris Michaelis Bos-

1072

nyak Vice-Provincialis, Fratrumque suorum postulatis annuimus eo libentius, quo magis rem salutarem, cultuique Divino promovendo utilem, celebrique illi loco honorificam eosdem postulare videremus, omnia, quae jura â Nobis exigunt, tum ad novi loci apprehensionem, Monasteriique aedificationem, et erectionem, tum ad curam animarum exercendam, Parochialiaque munia obeunda, eisdem Patribus dicti Ordinis, et Provinciae praenominatae concedentes, nostramque benedictionem ad praemissa singula, et universa impertientes, his conditionibus interpositis, ut nimirum praefati Patres Religiosi pro esse meliori, et stabiliori, ac securiori ipsorum permansione consensum Apostolicum, in quantum ob Decretum Sacri Concilii Tridentini Cap. 13. Sess. 24. de *Reformatione* esset necessarium primo quoque tempore impetrare non omittant: Interim cura animarum exerceatur per R'ndum Patrem Bonifacium de Ragusia Nobis â dicto Patre Vice-Provinciali praesentatum, et per Nos ad hoc approbatum, vel alium etiam modo simili Nobis praesentandum, futuris verò temporibus Guardianus, vel alius loci superior principaliter eamdem curam Parochialem obibit, qui toties, e quoties novus creabitur, Nobis, et Successoribus nostris pro approbatione, et benedictione est praesentandus. Caeteri autem Patres ibidem degentes de Guardiani licentia eamdem curam administrabunt, etiam in Confessionibus, qui ad eas audiendas ab Ordinario approbati fuerint, audiendis. Deinde, ut praedicti Patres Sacro Concilio Tridentino tam in numero ipsorum, quam cura animarum se accomodent omnino, atque conforment, nostras, et Successorum nostrorum dicto Concilio conformes Constitutiones, et laudabiles Consuetudines in iis, quae ad toties dictam spectant curam animarum observent. Eleemosynae quoque pro fabrica dictae Ecclesiae â piis Christifidelibus cujuscunque status, et conditionis quovis modo hactenus ordinatae, in quantum hic, et nunc eidem fabricae necessariae non sunt, ut aedificationi novi Monasterii applicari valeant, auctoritate ordinaria dispensamus. Tandem volumus, ut R'ndus Nicolaus Tribinacz, qui antehac Parochum agens ibidem curam animarum administrabat, Inventarium omnium suppellectilium dictae Ecclesiae ad praememoratam curam animarum, aliaque Divina administranda spectantium, et necessariarum in sua institutione sibi consignatarum unà cum rebus praedictis coram Archidiacono, vel alio misso nostro, et praerecensito Patre Michaele Vice-Provinciali, vel ejusdem substituto, ac etiam ex parte Excell'^mi^ Comitis, ac Domini Generalis, et aliorum, quorum interest, homine deputato, authenticè pro futura rei cautelae resignet, Exemplaribus ejusmodi Inventarii necessariis confectis. Datum Zagrabiae ex solita Residentia nostra Sabbato proximo ante Dominicam duodecimam post Pentecosten pridie videlicet Kalendas Septembris Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quinquagesimo octavo.

Petrus Petretitsch
Ep'pus Zagrabiensis (L. S.)

VI. Sapientissimè, ac providè suasit in praeinsertis litteris Ill'mus, et R'mus D. D. Petrus Petretitsch Episcopus Zagrabiensis Patribus noviter ad Praesidium Carlostadiense introductis, ut pro meliori esse, et stabiliori, ac securiori sua in accepta Ecclesiae Parochialis possessione, ac permansione, nec non pro impediendis plurimis, quae suo tempore oriri possent, controversiis consensum Apostolicum obtinere satagant. Praeviderat enim tempora futura, in quibus collationem Parochialis Ecclesiae, ut sui Successores, aut Vn'ble Capitulum infringere, et labefactare niteretur, vel verò alterius Ordinis Religiosi Fratres Minores ê sua possessione exturbare auderent, quorum ausus facile retundi possunt, si ipsi assignationi, translationi, et concessioni Ecclesiae Parochialis Fratribus Minoribus Apostolicae firmitatis robur, quod nulli hominum ipso Papa inferiori citra indignationem Dei Omnipotentis infringere licet, adjectum fuerit. Sicut enim Donatori non licet donationem, quando ea fuerit â superiore confirmata, irritare, etiamsi justae irritationis, seu revocationis causae intercurrant, sine praevio consensu Confirmatoris, aut ejus Successoris, ita nec licet Collatori, aut ejus Successori, vel quibuscunque aliis irritare collationem alicujus Ecclesiae confirmatam â Superiore se majore, etiamsi ab initio liberum erat ipsi Collatori eam conferendi, vel non conferendi.

VII. Porro Litterae Apostolicae, quibus Parochialis Carlostadiensis Ss'mae Trinitatis Ecclesiae Fratribus Minoribus traditio, et assignatio confirmata fuit, â Clemente IX. Pontifice Maximo incip. *Exponi Nobis* sub die 30. Martii Anno 1669. Romae sub annulo Piscatoris in forma Brevis, quas ex Originali adduco, expeditae hujus sunt tenoris:

CLEMENS P. P. IX.

Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecerunt, dilecti filii Minister Provincialis, Custos, et Definitores Provinciae Bosnae Croatiae Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod alias videlicet anno MDCLVIII. considerato, quod numerus populi, et Militum Praesidii Oppidi Carlostadiensis Zagrabiensis Dioecesis tantus esset, ut Rector amovibilis Parochialis Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis ibidem fundatae curae animarum Parochianorum tam Germanorum, quam Croatarum sibi subjectorum, ut par esset, gerendae non sufficeret, eique in hoc etiam, idiomatum imperitia esset impedimento, Tu de Consilio dilectorum etiam filiorum Capituli, et Canonicorum istius Ecclesiae tuae Zagrabiensis praedictam Parochialem Ecclesiam Sanctissimae Trinitatis dictis Exponentibus assignasti, ad hoc et ibidem Ecclesiae Sacramenta administrari curarent, Missas celebrarent, et animarum Christifidelium utriusque nationis ejusmodi curae, optima, qua fieri posset, ratione incumberent, ac illis facultatem erigendi ibidem Monasterium, seu Conventum tribuisti, ut eo melius animabus praedictis opem ferre, et oneri-

1074

bus Parochialibus satisfacere possent, nec non eosdem Exponentes ad impetrandum super praemissis Sedis Apostolicae beneplacitum teneri voluisti. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti Exponentes curae animarum hujusmodi ad fidei Catholicae conservationem, et incrementum sedulò incumbere, ac omni meliori modo prospicere parati sint: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos specialem igitur ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas â quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis â jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, qui dilectum filium Commissarium Curiae dicti Ordinis audiverunt, consilio, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi servatis servandis de veritate expositorum, ac de legitimis consensibus aliorum Regularium, quatenus ibi adsint, quodque Civium pietas, et ad eleemosynam largitionem propensio ad alendos saltem duodecim hujusmodi Ordinis Religiosos sufficere possit. Caeteraque omnia ad praescriptum Constitutionum Apostolicarum requisita concurrant, licentiam petitam construendi praedictam domum, seu Conventum regularem cum Ecclesia, Campanili, Choro, Sacristia, Claustris, Dormitorio, Refectorio, ac aliis quibuscunque Officinis, et spatiis amoto impedimento Constitutionis fel. record. Innocentii P. P. X. praedecessoris nostri auctoritate nostra Apostolica arbitrio tuo concedas, et postquam fabrica hujusmodi fuerit omnibus suis numeris absoluta, debitaque suppellectili tam Sacra, quam non Sacra pro usu, et habitatione dictorum Religiosorum necessaria instructa, ac in reliquiis servatis omnibus, et singulis Constitutionibus Romanorum Pontificum praedecessorum pariter nostrorum super hujusmodi erectionibus edictis, introductioni ut supra, sub clausura locum esse eadem auctoritate decernas, ita tamen, ut qui curam animarum personarum Saecularium in Ecclesia dicti Monasterii erigendi exercebit, in iis, quae ad curam animarum, et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi Dioecesani immediate subsit ad praescriptum Concilii Tridentini in Cap. XI. Sess. XXV. de *Regularibus* ac salva semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum Cardinalium. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, et aliis quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel gravis firmitate alia roboratis, statutis, et Consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenorem praesentibus non plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expressè se derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum

Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXX. Martii MDCLXIX. Pontificatus nostri anno secundo.

JC. Slusius.

VIII. Quod omnia, quae Pontifex in mox adductis litteris requirebat, adessent, et omnia obstacula, quae aedificationem Conventus impedire possent, abessent, testatus est ipsemet R'mus, et Ill'mus D. Martinus Borchovich Episcopus Zagrabiensis, cujus testimonium praecitatis Pontificiis litteris adjectum est, tenoris talis, videlicet

Anno Domini 1670. die 6. mensis Augusti. Constat, quod R'ndi Patres Franciscani Ordinis Minorum de Observantia loci Carlostadiensis numero duodecim ibidem persistere, et sub Regula sua vivere possint, siquidem ab anno 1658. quo videlicet anno ex consensu praedecessoris nostri velut loci Ordinarii, quem de Consensu Venerabilis Capituli istius Ecclesiae Zagrabiensis ipsis ad hoc praebuerat, illuc ingressi sunt, ibidem sine notabili molestia Incolarum vixissent hactenus, et non solùm numerum personarum Religiosarum familiae suae usque ad duodecim auxissent, sed etiam Monasterii parietes eleemosynis piorum hominum ad id accedentibus satis bene promovissent, et erexissent, nec diffidendum est, quod etiam in futurum Incolarum ibidem pietas quoad eleemosynarum largitionem erga eosdem Patres refrigesceret, praecipue cum alii Regulares nec in eodem loco, nec in vicinio intra spatium â jure prohibitum Residentias haberent, â quibus timeri possit, quod animos, et propensionem dictorum Incolarum quoad largitionem eleemosynae ab affectu eorumdem Patrum Carlostadiensium abstrahere valeret, sed neque etiam per quospiam Regulares aliqua in contrarium facta fuisset, aut defacto fieret contradictio, seu oppositio, prouti neque aliud aliquid (quod praescriptum Constitutionum Apostolicarum super ejusmodi negotiis editarum quomodolibet laedere posset) ad praesens occurreret, aut in futurum occurrere posset, timetur. Ideo authoritate Apostolica Nobis hac in parte specialiter in praesentibus litteris delegata, dictis Patribus Franciscanis accedente ad hoc praescitu, et consensu Venerabilium fratrum nostrorum Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, concedimus facultatem dictum Monasterium ipsorum, sive Conventum Regularem cum Ecclesia, Campanili, Choro, Sacristia, Claustris, Dormitorio, Refectorio, ac aliis quibusvis necessariis officinis, et cellulis extruendi, et perficiendi ad tenorem, et effectum praesentium litterarum Apostolicarum superinde emanatarum: Ita tamen, ut is, qui curam animarum personarum Saecularium in Ecclesia dicti Monasterii exercebit, tam juxta praesentium Apostolicarum, quam juxta praedecessoris nostri jam antea superinde emanatarum litterarum tenores, in omnibus illis, quae ad curam animarum, et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, correctioni, et visitationi nostrae, ad Successorum nostrorum immediate subsit in futurum semper ad praescriptum Concilii Tridentini an Cap. XI. Sess. XXV. de *Regularibus*, nostrasque, et Successorum nostrorum, dicto Concilio, Summorumque Pontificum statutis conformes Constitutiones, ac laudabiles, et approbatas Dioecesis hujus consuetudines omnino observet,

1076

prouti eadem, quâ supra authoritate admittimus, et concedimus. Datum Zagrabiae Anno, et die, quibus suprà.

Fr' Martinus Borhovich
Episcopus Zagrabiensis m'ppa (L. S.)

Caput III.
De aedificatione, restauratione, ac variis vicissitudinibus Conventus.

I. Postquam Fratres Minores Ecclesiae Parochialis Sanctissimae Trinitatis in Praesidio Carlostadiensi existentis ejusdem Gubernatore Excell'mo Domino Herbardo Comite ab Aversperg sub Provincialatu R'mi P. Pauli de Tauris Commissarii Generalis per Germaniam possessionem accepissent, Patres continuò ad sufficientia media aedificandi Conventûs conquirenda suos cogitatus conjecerunt. Et quia ad instantiam militaris gubernii introductio P. P. Franciscanorum ad Praesidium Carlostadiense peracta fuit, apud bellicam armilustrii Commissionem primum subsidium Patres quaesiverunt, â qua etiam benignè resoluti erant 2000 f. de Ecclesiae proventibus pro fabrica Conventus applicandi. In hunc finem etiam R'mus D. Petrus Petretitsch Episcopus Zagrabiensis, ut haec applicatio eleemosynae Ecclesiae pro fabrica Conventus licite fieri valeret, sua auctoritate, ut Cap. praec. n. 5. dictum, dispensavit, aliis verbis: *Eleemosyna quoque pro fabrica dictae Ecclesiae â piis Christifidelibus cujuscunque status, et conditionis quovis modo hactenus ordinata, in quantum hic, et nunc eidem fabricae necessaria non sunt, ut aedificationi novi Monasterii applicati valeant, auctoritate ordinaria dispensamus.*

II. Assignationis 2000. f. â Caes'a Regiaque bellica Commissione die 10. Augusti 1657. adhuc ante traditionem Ecclesiae factae tenor talis est:

Von der nunmehr in Gott ruhenden Röm.-Khay. auch zu Hungarn und Böhaimb Khönig. May. etc. allerseeligisten Angedenkhens, nach der Crabat- und Möhr Granizen abgeordenten Musterungs Commission wegen, Mehrallerhechstgedacht Ihrer Khay. May. etc. General Wachtmeister, Obristen, und General Obristen der Crabat- und Möhr Granizen herrn Hörwardten Grauen von Auersperg mit zuestellung anzuzaigen.

Ihme Herrn Generalen ist vorhin woll wissendt, welcher gestalten die Carlstetterische Löb. Soldatesca, in Sonderheit aber die Teütschen, grosses verlangen getragen und gebetten eine solche Geistlichkeit daselbsthin zu introduciren, damit Sye zumallen mit Teütschen beichthören und Predigen versehen werden möge.

Wann nun mit denen P. P. Franciscanern Strictioris Observantiae die introduction Ihres Ordens dahin nacher Carlstatt beraiths alhier accordiert, und verglichen worden und nunmehr die Nottdurfft erfordert, das denen selben die weitere gelegenheit und das Closter incaminirt werde.

Alß wolle herr General Ihnen Patribus auf beschehendes anmelden, zu fortsezung des gebeu, auß den Mitlen, so der Khirchen aldorten zuegehörig, Zway Tausendt Gulden gegen gebreüchiger bescheinung bezallen, wie nit weniger den Khirchen grundt, worauf das alte heüsl stehet, auszaigen und Wirklich einantwortten lassen, auch selbsten an seinem orth die Gottseelige werkh bestermassen befürdern helffen: vnd zu löb. Hoff Kriegs Rath berichten, wer die Khirchen Capitalien biß hero manegirt, wo die Interesse hinkhomben, und was die völlige Substanz dermallen seyn mechte? Datum Laybach den 10. Augusti Anno 1657.

Wilhelb Leopold N. N. der Zunahmen ist unleslich.
Johann Andre Zehentner, Freyh. (L. S.)
Eberhardt Leopold Vrsin Graff von Blaggay

III. Quamvis verò jam anno 1641. ut loquitur Ferdinandus III. Romanorum Imperator supra c. 2. n. 1. relatus, jam aliqua materialia pro aedificando Conventu praeparata erant, et non obstante subsidio 2000. f. â Caes'[a] bellica armilustrii Commissione assignato, aedificium Conventus nihilominus adeo lente ê suis exurgebat fundamentis, ut anno 1670., quamvis ibidem duodecim Fratres jam habitaverint, necdum suam perfectionem attigerit, ut patet ex testimonio R'mi D. Martini Borhovich Episcopi Zagrabiensis supra allato, ubi tantum parietes jam erectos fuisse commemorat. Tum quia Anno 1670. â Venerabili Diffinitorio constitutus legitur fabricae director P. Joannes Baptista Brulizh, unde Conventus primo circa annum 1676. ad perfectionem deductus est; Fratres tamen ab anno 1658. semper Carlostadii in privata domo, et probabilius in domo ad Ecclesiam spectante in eo numero morabantur, qui necessarius erat pro obeundis muniis Parochialibus sub directione proprii Superioris Regularis.

IV. Vix Conventus ad totalem perfectionem deductus fuit, denuo suam totalem ruinam conspicere debuit; exorto enim die 17. Aprilis anno 1692. repentino in Aula Generalis Commendantis pro tunc Celsissimi Principis de Chroy incendio non tantum Conventus cum Ecclesia, Altaribus, Campanili diffusis omnibus Campanis, sed etiam totum ferme Fortalitium demptis paucis domibus in cineres casu non satis deplorando abiit. Erat proinde piorum benefactorum munificentia imploranda, ut igne absumptus Conventus unà cum Ecclesia restauretur. Quamvis verò et ipsi Incolae Praesidii ingens damnum passi sunt [sint],[645] sint multumque

1078

aeris in reparationem suorum habitaculorum insumere debuerint, tamen etiam ad reparationem Conventus, et Ecclesiae adjutrices liberaliter porrexerunt manus, quorum, aliorumque benefactorum subsidio Conventus intra breve tempus pristinam adeptus est perfectionem.

V. Anno 1704. sub Guardianatu P. Dominici Pillepich fuit hortus muro circumdatus. Anno verò 1730., et sequenti tempore localis gubernii P. Cosmae Tauber fuit ambitus Conventus septentrionem versus pro sex cubiculis protractus videlicet ab antiquo Choro, qui fuit sub turri versus altare majus, hoc verò tempore etiam novus Chorus, ad quem ex novo tractu intratur, factus fuit, cui sub eodem Guardiano anno 1738. novum Organum accessit. Anno 1738. novus puteus in horto factus est, ex quo tam pro domestica necessitate, quam ab extraneis sufficiens aqua et caeteris in fortalitio salubris hauritur. Anno 1726. sub eodem Guardiano P. Cosma Tauber fuit reparatum Refectorium, et ambitus inferior lapide stratus. Sunt igitur nunc in Conventu 28. cubicula pro Religiosorum habitatione in inferiori ambitu penes Sacristiam sunt cellae duae pro aedituo, intra portas Conventus est unum magnum cubiculum, quod olim pro Schola serviebat, nunc verò pro Conservatorio Ecclesiasticae Suppellectilis intra clausuram est Arcularia. Ex parte occidentali Ecclesiae est tractus major, post Sanctuarium sunt 4. Cellae, et Provincialatus, qui locus per alium ambitum, ubi pariter 4. sunt cellae, conjungitur cum majori ambitu. Habitant verò nunc in hoc Conventu 24. aut 25. Religiosi.

VI. Conventum mirè exornant Icones vitam S. P. N. Francisci repraesentantes cum suis versibus factae anno 1764. sub Guardianatu P. Othonis Sprug, quae hoc Ordine dispositae sunt:

I.

Imago repraesentat nativitatem S. P. N. Francisci, cui subnectus est sequens

Distichon

Francisco genito Stygius turbatur avernus
Si timet infantem, quam tremet ante virum?

II.

Exhibet Jesum Cruci affixum, Franciscum alloquentem, et mandantem eidem, ut domum suam, Ecclesiam repararet.

Distichon

Vade meae Francisce domus reparare ruinas
ut valeas Superi filius esse fabri.

III.

Exhibet Franciscum suas vestes Patri extradentem.

Distichon

Nudus cum nudo melius luctabitur hoste
Dum nil Franciscus, quo teneatur habet.

IV.

Repraesentat Franciscum scribentem Regulam â Christo dictatam in monte Palumbo.

Distichon

Dictator Deus est, Franciscus Scriba, Minorum
Regula sic prodit, quis modo censor erit?

1079
N'o 46.

V.

Repraesentat Innocentium III. confirmantem Regulam S. Francisci.

Distichon

Franciscum firmam confirmat Papa columnam
quae Lateranenses, sustinet una bases.

VI.

Repraesentat D. Franciscum 5000. Fratrum Assisii mirifice pascentem.

Distichon

Convocat Assisi Fratrum jam millia quinque
crescit Francisci turba, manetque Minor.

VII.

Exhibet D. Franciscum praedicentem cuidam Camaldulensi Coronam Martyrii, qui antea D. Francisco praedixerat 5. Sacra Stigmata, et S. Dominicum utriusque sententiam confirmantem.

Distichon

Primus ait: Francisce feres Sacra Stigmata, et alter
Et tu Martyr eris: Tertius inquit: Amen.

VIII.

Repraesentat D. Franciscum Eliae instar curru igneo ad aethera raptum, et â Fratribus conspectum.

Distichon

Flammigero veheris Francisce per aethera curru
Quinimo Seraphim raptus amore volas.

IX.

Repraesentat S. Franciscum suos ê Purgatorio liberantem.

Distichon

Ex purgante suos Franciscus liberat igne
Non vis esse diu debitor? esto suus.

X.

Exhibet S. Franciscum puerum submersum ad vitam revocantem.

Distichon

Extincto lymphis puero, Franciscus, ut hospes
ipso prandendi tempore: vivat, ait.

XI.

Exhibet D. Franciscum ab obsessis daemones expellentem.

Distichon

In virtute crucis sathanam Franciscus abegit
namque crucis baculo pellitur iste canis.

XII.

Repraesentat D. Franciscum Poetam laureatum convertentem.

Distichon

Praeco coronatum pungis Francisce Poetam
Scandat virtutes, ut celeri ille pede.

XIII.

Repraesentat S. Franciscum a Daemone ad illicita tentatum, quem S. Pater eludit se injiciendo vepribus.

1080

Distichon

Dum Francisce rigas silvestria tesqua cruore
aspera purpureas, fert tibi spina rosas.

XIV.

Repraesentat B. V. Mariam S. Francisco puerum Jesum amplexandum tradentem.

Distichon

Accipe, quem genui tenerum Francisce puellum
Pauper in assueto vult recubare sinu.

XV.

Repraesentat S. Franciscum â F're Bernardo pedibus protritum, cui visio facta est, sibi esse ob suam humilitatem praeparatum Luciferi thronum.

Distichon

Luciferi solium meruit tam parvula virtus
Franciscus celsae praemia sedis habet.

XVI.

Exhibet S. Franciscum â scorto ad libidinem tentatum, quod se ignibus injiciendo debellavit.

Distichon

Franciscus Veneris compescuit ignibus ignes
fortius urebat membra supernus amor.

XVII.

Repraesentat S. Franciscum Portiunculae Indulgentiam impetrantem.

Distichon

Maxima Francisco datur Indulgentia Patri
Hanc tamquam proprium possidet Ordo Minor.

XVIII.

Repraesentat S. Franciscum viatorem per Angelum pastum.

Distichon

Pascens Angelicis manibus Francisce Viator
Angelus Angelicas poscit habere dapes.

XIX.

Supra portam Chori repraesentat S. Franciscum per musicam Angelicam recreatum.

Distichon

Musica caelestis Franciscum sublevat aegrum
talis in instanti cura juvare solet.

XX.

Repraesentat S. Franciscum Stigmata recipientem supra portam Conventus.

Distichon

Golgotha Christe tuis inflixit vulnera membris
Mons dedit Alvernae Stigmata quinque mihi.

XXI.

Repraesentat S. Franciscum morientem, et sub stellae specie in Coelum abeuntem.

Distichon

Sub specie stellae Franciscus adivit Olympum
erudit multos, doctor in aeva micat.

XXII.

Repraesentat S. Franciscum post mortem stantem.

Distichon

Mortuus est Pater, et quasi non est mortuus unquam
stat Franciscus adhuc, quî cecidisse potest? […][646]

Caput IV.
De Proventibus stollae.

I. Quid, et quantum stola usque ad annum 1685. importaverit? aut qualiter taxata fuerit? mihi compertum non est, hoc certum est, quod prius duo fuerint positi Ecclesiae Syndici, vulgo *Kirchenpröbst*, qui proventus stolae aliamque Ecclesiae eleemosynam conservabant, cujus medietatem Conventui propter peractiones Divinorum Officiorum, et Parochiales functiones tribuebant, cum alia medietate verò Ecclesiam independenter â P. P. Franciscanorum cura, et solicitudine, necessaria suppellectili providebant. Anno verò 1685. facta est Conventio inter statum militarem, et Conventum Carlostadiensem, vi cujus taxata fuit stola, quae relictis Syndicis Ecclesiae administrari coepit per Parentem Spiritualem PP. Franciscanorum, hac lege, ut totalis ejusdem proventus cederet in bonum Conventus, ê contra Conventus obligatus existeret Ecclesiam debita, et necessaria suppellectili providere sine omnibus militaris status expensis. Taxatio verò stolae, quam mox infra exhibebo, concernit tantum personas militiae addictas, nam quoad alios sive domesticos, sive extraneos exactio stolae permissa est discretioni P. Parochi.

II. Conventio ratione stolae ex parte militari inter Excel^{mum} D. Joannem Josephum Comitem ab Herberstein Generalem Commendantem Fortalitii Carlostadiensis, et inter ARP. Antonium Lazari Ministrum Provincialem Provinciae Bosnae Croatiae cum interventu P. Zachariae Mattich pro tunc Guardiani, et Parochi Carlostadiensis die 8. Octobris anno 1685. facta, quam ex Originali adduco sequentis est tenoris:

An heünt zu Endgesezten Dato ist auff Ihro hochwurdten H. P. Antonii Lazari Ord. S^{ti} Francisci Provincials in Bosnia, Croatia et Carniolia und des wohl Ehrwürdigsten P. Zachariae Battich alß Guardians in Nahmen des löb. Closters der P. P. Franciscaner alhier, wegen vnterhaltung der alhiesigen Pfarrkhirchen und künftiger Richtigkeit in Einnamb der Stol, bey Ihro hochgraf. Excellenz H. H. Generalen beschehenes Ansuechen mit der gesambten Soldatesca alhier volgender Schluss auf hoch wohlgedacht Ihro Excellenz H. H. Generalens gnädige Ratification beschechen.

1. Erbietet sich das Löb. Closter die Pfarr Kirchen allda nit allein mit dem nothwendigen gebeu ohne der Soldatesca Entgeld oder Zutrag zu vnterhalten, die gloken auch, so fern aine wurdt brechen, widerumb machen zu lassen, sondern auch alles, was in die Sacristey, und in der Kirchen zu denen Altärn, Canzel, auch sonsten vonnöthen hinführo

1082

selbst zu verschaffen und alles sauber und rein zu halten.

2. Hingegen andertens solle alle die jenige Stola (welche man bißhero zu vnterhaltung der Kirchen raichen müssen) dem löb. Closter völlig überlassen werden, worunter auch alles dieß zu verstehen, was per legata oder andern lezten Willens disposition zur Kirchen möchte verschafft werden.

3. Weillen anjezo ain neües Partuch mit zimlich grossen vncosten gemacht worden, alß solle mit dessen gebrauch bey ainer begräbnuß nach folgender vnterschied gehalten werden: Nemlich von einen Officier an biß auff ainen gefreyten inclusive, über die hernachgesezte ordinary Stol 30. Xr' zu fordern, des gleichen auch bey der Reitherey exclusive zu verstehen biß auff den gemainen Reither ~~auch~~: und so fern unter den Muquetierern und gemainen Reithern auch ainer von Adel zu begraben, solle eben das neüe Partuch gegen raichung solcher extra Stola auf verlangen erfolgt werden.

4. Damit wegen des quanti in der Stola künftig alles desto richtiger seye, würdet solche herunter Specificirt, und ist zwar biß anhero von dem ausleüthen, Pluviali oder vesper Mantel, begräbnuss in der Khirchen und Partuch vermög des A'^o^ 1673. den 12. May getroffenen vergleichs die helffte der Kirchen verbliben, und die aine helffte aber dem löb. Convent mit gewissen geding überlassen worden, anjezo aber wird das völlige quantum alda außgesezt, so dem Löb. Convent allainig gebührt.

Als erstlich von dem völligen geleüth, wan auch gleich künftig noch ain Glokhen in Thurn möchte verschafft werden ……	f. 1.	X. 30.
Messners gebühr ……..	–	18.
von außleüthen mit der kleinen Glokhen alleinig dem Messner ….	–	6.
für die begräbnuss in der Kirchen ……	30	–
von Partuch ain Officier vorhin zwar nur 45. Xr', wegen des neüen Partuchs aber noch 30. Xr' …….	1	15.
von gemainen Man ……	/	15.
von dem Vesper Mantel, oder Pluvial ……	3	/
vor die Copulirung aines Ober Officier ……	1	15.
ein gemainer Man …….	/	15.
für die Erste Tauf, welche gleich nach dem Gründonerstag folget, solle die Stol, wan es ainen armen treffen möchte in 4. Tauffen, nemlich das die andern drey der ersten Succurrirn, gethailt werden und in allen darfür seyn ……	1	15.
ein andere Tauff ……	/	9.
von ainem Pankharten …….	1	30.
für die beglaitung ~~eines~~ Abgestorbenen		

	f	Xr'
ein Officier vor einen Priester nach Belieben,		
ein gemainer Mann aber ……	/	9.
fürs Creüz oder Crucifix ……..	/	6.
für ein gesungenes Seel Ambt mit denen Assistenten und Orgel …	1	30.
Ein andere Meess mit Orgel allein ……	/	45.
Ein andere gesungene Meess ohne Orgel ……	/	30.
Ein ordinary kleine Meess ……	/	12.
für die lezte Oellung ……	/	30.
oder sonsten wie gebrauchig ein halb tuznt Fazillet,		
oder was von Leimgewandt.		

N. B. Einen armen Soldaten, oder Wittiben, so etwan gar nit zu zallen hätte, ist man das Partuch umb sonsten zu geben schuldig.

5. Ist alles dieses nur zwischen den Löb. Closter und der Soldatesca zu verstehen, was aber die außwendigen, oder die Jenigen, so zu Carlstatt nit bewohnet oder bedient seynd, anbelangt, stehet alles bey des löb. Klosters freyen discretion, sonderlich aber, wan Man mit den auslaithen ain mehrere zeit als sonst gewöhnlich haben wolte.

6. Solle die Stol Einnahmb und hingegen übernohmenes anerbietten also balden seinen anfang nehmen, wan dieser Contract außgefertigt worden: waß aber die Kirchen Pröbst biß dahin eingebracht. und unter Ihren Verwachen haben, bleibt alles zu Ihro hochgraf. Excellenz H. H. Generalens gnädige disposition.

7. Will Ein löb. Soldatesca die Zuversicht haben, alles Vorerzelte seits des Löb. Closters beständig gehalten solle werden: und dieses alles auf Ihro hochgraf. Excellenz hoch wohlgedachtes H. H. Generalens zu Carlstatt gnädige Ratification.

Dessen zu wahren vrkund seynd dieses Contracts 3. gleichlautende Exemplar aufgericht, durch die hierzu deputirt geweste H. H. Commissarien ordentlich unterschrieben, und verfertigt, und aines bey der löb. Ordens Provinz, das andere bey Kay. Regiment alhier und ains in Closter zur künftiger Nachricht aufgehalten worden.

Beschehen zu Carlstatt den achten 8'ber des Ein Tausend Sehs hundert fünf und achzigsten Jahrs.

(L. S.) Johann Joseph Gr. von Herberstein, alhier General m'ppa
(L. S.) Mathias Gr. v' Strassoldo m'ppa
(L. S.) Wolff Andre Graf von Purgstall m'ppa
(L. S.) Franz Christoph von Schoberg, Feldwebel m'ppa
(L. S.) Joseph Gilli, Kay. Regiments Auditor m'ppa
(L. S.) Frater Antonius Lazari, Orden St. Francisci Provincial in Crabathen, und Crain m'ppa
(L. S.) Casper Maganna, Syndicus Apostolicus m'ppa

III. Praesens stolae taxatio circa annum 1716. cum utriusque consensu nonnihil praesertim quantum ad Missas immutata fuit

1084

ut sequens tabella exhibet:

Die Tauf, verkindigungen und Copulation, wie auch die begräbnuß hätten kein Vnterschied in Militar, Burger oder Personen Stand.	für die Tauf		für Verkindigung für die Copulation		für eine Ordinary begräbnuss	
	f.	Xr'	f.	Xr'	f.	Xr'
	/	12.	/	17.	/	15.
Das geleit mit 9 zügen ist zu bezahlen also, werden aber nur 3. oder 6. Züge bestelt, ist so dan von der Taxa â proportione weniger zu erlegen.	das geleith mit einer Gloken		mit Zweyen		Mit allen	
	f.	X.	f.	X.	f.	X.
	/	15.	1	30.	3	/
Die Solemne bestattigung zur Erden geschicht mit Pluvial, Dalmaticis und Cota, wo wenigstens 4. Geistliche in vorgeschriebenen Apparat erscheinen müssen.	die Begleitung zur Begräbnuß durch einen Priester		Mit Zweyen		mit Ponficanten, Assistentibus und Acolytho	
	f.	Xr'	f.	Xr'	f.	Xr'
	/	15.	/	30.	3	/
	die Privat h. Meessen		die mit Orgel, Assistenten, Acolytho, Ceroferariis, oder die Seelen Meess mit Libera		die mit Orgel, Acolytho, ohne Assistenten.	
	f.	Xr'	f.	Xr'	f.	Xr'
	/	17.	2	/	1	/

IV. Dum verò postmodum Parochis certa quantitas assignata fuisset, et illis praesertim in Generalatu Carlostadiensi bona temporalia adempta, fuit â R'mo et Ill'mo D. D. Pio Manzador Episcopo Segniensi, et Modrussiensi alia stolae taxatio proposita, sed quia haec saltem Carlostadii suum non est sortita effectum, eam non judicavi transcribendam.

Caput V.
De Capellania Campestri.

I. Cum per translationem Parochialis Ecclesiae Carlostadiensis, et amotionem Parochi A. R. D. Nicolai Tribinacz, etiam Capellania Campestris, quam idem D. Parochus administraverat, vacâsset, de alio idoneo Capellano providendum erat. Fuit autem haec Capellania P. P. Franciscanis jam sub die 1. Aug. 1657. â

Caes'^{o}-Regia lustri Commissione ante assignationem Ecclesiae Parochialis assignata, cum hac clausula, si et Parochialis Ecclesia nobis extradetur, ut patet ex militari lustri Protocollo, prout attestatur sub die 1. 7'bris 1724.

D. Joannes Ignatius Mozzi â Hirschbach lustri Magister sequentibus verbis, ut in Originali legi potest:

Attestation

Demnoch bey Aufrichtung hiesiger Graniz einen zeitlichen herrn herrn General Obristen zu dessen Leibsbesoldung noch ein Teütscher Priester Plaz mit Monat. 16. f. zumb Genus zuegeschrieben, Entgegen aber nachgehends bey fürgewester Kay. Haubt Musterung, als 1'ten Aug. 1657 vorgesagter Priester Plaz von denen herrn herrn Commissarien wider benomben. und denen allhiessigen P. P. Franciscanern (mit der Annotation, wan Ihnen die Kirchen bey der H. Dreyfaltigkeit zu Carlstatt eingeraumbet seyn werde) zu geniessen verlichen worden.
Soliches wird hiemit von Ambts wegen attestiert. Dat. Carlstatt den 1'ten 7'ber 1724.

(L. S.) Johann Ignaz Mozzi v: Hierschbach,
Kay. etc. Mustermeister m'ppa

II. Quod verò haec Capellania Campestris P. P. Franciscanis realiter extradita fuerit eo tempore, quo ipsis Ecclesia Parochialis Ss'mae Trinitatis consignata fuit, patet id ex alio lustri Regesto, seu Protocollo, Extractu sequentibus verbis concepto:

Extract.

Auß den Kay. Muster Register de A'o 1652. unter herrn herrn Generallen Hörbarth Graffen von Auersperg etc. Tit. Teütscher Priester H. Nicolaus Terbinacz. Item unter obbenenten herrn herrn General Obristen de Anno 1657.

Weillen auf Anordnung des Kay. Herrn Muster-Commissarien die Kirchen hier in der haubtvöstung Carlstatt denen H. H. P. P. Francisci Ordens von dato Ersten December 1657. Jahrs übergeben und würklichen eingeantworthet, alß ist dieser Teütscher Priester H. Tribinaz durch hochgedachte herrn Commissarien deswegen güetlich Licenziert. Diese Stoll aber von eodem dato zu geniessen Ihnen denen H. H. P. P. Zuezuschreiben anbefolchen worden, Id est f. 16.

III. Ut haec Capellania Campestris perpetuis futuris temporibus Conventui incorporata maneret, institit P. Antonius Lazari tunc Minister Provincialis anno 1685. apud suam Caesaream Majestatem Leopoldum I. Romanorum Imperatorem: Ast id fuit â Generali Commendante D. Comite ab Herberstein Imperatori disuasum: Unde etiam Imperator voluit quidem ut Capellania penes PP. Franciscanis remaneat, sed absque perpetua aggregatione, ut ex desuper emanato Caesareo

1086

Rescripto, quod ex Copia authentica adduco, patet sequentis tenoris:

Leopold.

Vns ist auß Eüern vnterthänigsten schreiben von 3^ten^ dits mit mehrern zu vernemben gewest, was Ihr in puncto der von dem P'r Antonio Lazari Provincialen des Franciscaner Ordens in Bosnia und Croaten angesuchten ewigen verbleiblassung der veld Capelaney auf denen Croatischen Gränizen bey ihrem Closter zu Carlstatt nach vernembung des General Obristens Graffens von Herberstein in einem und andern gehorsamist berichtet und was gestalten Ihr mit- und neben demselben solches nicht wohl practicirlich zu seyn erachtet, und vermainet, das Sie Supplicanten sich dem begnügen solten, was Ihnen bishero guttwillig überlassen worden; und Sie ruhig genossen haben.

Nun seyet Ihr, und besagter Graff von Herberstein gar recht daran, das sich die von Ihnen Supplicanten angesuchte incorporirung bedeüter veld Capelaney obverstandenen ihren Closter nicht practicirn. oder auf ewig widmen lasse, darbey es auch sein verbleiben hat. Wir seyn aber gleichwohlen nicht zuwider, und möget Ihr dahero Ihme General Obristen zu Carlstatt zuesprechen, weillen sie P. P. Franciscaner, dessen aigner zeügnus nach besagte veld Capelaney schon dreyssig Jahr hero versechen und sich meritiert gemacht, beynebens ein auferbauliches und frombes leben führen, das Er Sie noch weither so viell möglich gebrauchen und sich Ihrer jedoch ohne einige verbündlichkeit oder verstand einiger aggregation oder incorporation bedienen wolle. Darüber Ihr das weithere vorzukehren wisset. Vnd Wir verbleiben euch etc. Wien den 14. Novembris 1685.

Das hie liegende Copia seinen Original gleich
seyn, weiset mein Eigne hands vnterschrifft.
Graz den 28. May 1710.

(L. S.) Jo. de Joanne, I. O. Hoffkriegs
Secretarius

IV. Haec Caesarea Resolutio ad I. A. bellicum Consilium directa fuit ab eodem de dato Graecii 7. Decembris 1685. paucis mutatis intimata Generali Carlostadiensi: quam Resolutionem Josephus I. Imperator sub dato Viennae die 18. Junii 1710. clementissimè confirmavit, cujus vestigiis inhaesit quoque ejusdem frater, et in Romano Imperio Successor Carolus VI. qui etiam inhibuit, ne haec Capellania sine suo scitu alteri cuipiam conferatur, ut ex sequenti ejusdem Rescripto patet hujus tenoris:

1087

Carl etc.

Ihr ersehet hiebeygeschlossener, was der Pater Provincial und das Convent zu Carlstatt Ord. Min. Reformat. Sanct. Francisci Provinciae Carnioliae wegen confirmirung ihrer bißhero bey 60. Jahren schon in dem Carlstätterischen Generalat versehenen feld Caplaney bittlich angebracht habe. Vnd wie Wir nun in conformitet deren vorigen Zeiten unter Regierung der in Gott seeligst ruhenden Kay. Mayestäten Leopoldi und Josephi glorwürdigsten angedenkhens dise angeregte feld Caplaney sothanem Franciscaner Closter alda zu Carlstatt noch länger gehrn göhnen, ein folglich mit der ebenmässig und vormahligen gedingnuß hiemit auf das neüe gnädigst bestättiget haben wollen, das zwar kheine ewige incorporation hierunter eingeführt, darbey aber auch ohne vnserm vorwissen niemand andern conferiret werden möge.

Alß werdet ihr an vnsern Granitz Obristen Joseph Grafen von Rabbatta, und sonsten, wohin es der Ordnung nach vonnöthen seyn wird, das behörige zu verfüegen wissen. Vnd Wir verbleiben Eüch mit Kay'ten Gnaden wohlgewogen.

Geben in vnserer Stadt Wienn den 23'ten Monatstag Junii 1714.

An
den I. Ö. Kriegs Rath etc.

Collationiert, und ist vorstehende Copia ihrem Originali in allen gleichlauthend befunden. Wienn den 23. Junii 1714.

(L. S.) Antoni Leonard frey von Schönstein,
Kay. Hoff Kriegs Canzley Registrator.

V. Quamvis verò Caesareo Decreto cautum fuit, ne Capelania Campestris cuipiam alteri conferatur sine praevio Caesareo consensu, tamen mox anno sequenti D. Generalis Rabatta multa contra P. P. Franciscanos molliri coepit ratione Capellaniae Campestris. Praetendebat enim, ut Capellanus illum semper sequatur, quocunque ierit sive in suis propriis, sive sui Officii negotiis, qui tamen tantum, quando ad bellum proficiscitur, illum comitari tenetur, tempore verò pacis in fortalitio militibus solita servitia praestare obligatur: Ideo etiam Provincia suo petito non detulit. D. Generalis propterea ob denegatum Capellanum egit apud Inclytam Carinthiae Provinciam, quae partem militarium solutionum sustinet, ut solitum pro Capellano Campestri stipendium Patribus Franciscanis deneget, cui, ut efficacius persuaderet, falsò allegavit, quod 16. f. Capellano Campestri dari soliti ex sibi debita solutione detrahantur, sicque ipsi licitum esse praedictam summam Patri Capellano dare, aut non dare asserebat sinistrae Generalis in-

1088

formationi fidem adhibentes Carinthiae Proceres sequens 16. f. suspensivum tulerunt Decretum

Zumallen der General Obriste in der Carlstatt Herr Graff von Rabatta sich wegen deme beschweret, das die alda sich befindliche P. P. Franciscaner einen Teütschen Priester demselben zuezugeben sich weigerten, weillen aber sothaner Priester von seinen General Obristen Staab dependire, auch dessentwegen von seiner Generalats Gäge monatlich 16. f. abgezogen wurden, alß khönne er Ihnen solche fürters hin nicht mehr passiren, sondern ersuche solche Inenzubehalten und hieran denenselben nichts erfolgen zu lassen. Dahero wirdet dieses einer Löb. Landschaft Graniz Zahl Ambt hiemit zu dem Ende erinderet, damit selbes obgedachten P. P. Franciscanern zu ihrer Nachricht solches intimiren möge und indessen denenselben an dieser Teütschen Priester Gäge biß weithern verordnung nichts erfolgen lassen solle. Clagenfurth den 15. Julii 1724.

Sigmund Graff von Thurn und Valsassina, Purgg.
Benedict, Abbt zu Vittring
Wolff Franz von Khulmer, Fr.
Martin Joseph Antoni Gr': v' Kaplhoffen

VI. Postquam vero Carinthiae Provincia edocta fuerit, quod 16. f. pro Capellano Campestri assignati independenter (ut ex n. 1. hoc Cap. adducta attestatione patet) â Generali aut ejus stipendio pendantur, simulque intellexerit prohibitionem Caesaream de non conferenda Capellania alteri sine Caesaris consensu post duos annos latum interdictum relaxavit, ac Conventui dictos f. tam de praeterito, quam in futurum tribui mandavit sequenti Decreto.

Auf so woll fundiert des Supplicanten eingelegten bericht und beforderist der von Ihro jezt regierenden Kay. May. etc. etc. leztmahlig untern 27ten Juny 1714. erhaltenen allergnadigsten Resolution, das ohne allerhöchst deroselben vorbewust dieser Teütsche Priester Plaz Niemand andern conferirt werden solle; will die löb. Stöll den vorhin bewilligten verbott hiemit relaxiert, und dero geordneten Graniz Zahlmaistern H^{n} Baron von Stich aufgetragen haben, das selber denen P. P. Franciscanis zu Carlstatt den verdienten Sold noch Graniz gebühr tam de praeterito, quam etiam in futurum ohnaufgehalten eruolgen lassen solle. Clagenfurth den 29ten July 1726.

Sigmund G. v' Thurn und Valle Sassina, Purgg.
A. Woll Frhr v' Trissegg.
Wolf Fr. v' Sigerstorff

VII. Consilium tamen bellicum Interioris Austriae, ne

aut Fratres Conventus Carlostadiensis de parta Victoria gloriari possent, aut ne D. Generalis causa cecidisse videatur, concessit, ut si Generalis uno, alterove die praesertim in Officii negotiis Carlostadio abesset, talem Capellanum secum accipere valeat, ut ex sequenti Rescripto patet ad ipsum Comitem Generalem de Rabatta Graecii die 17. Julii 1726. exarato:

Nachdeme Ein Hochlöb. Kay. Hoff Kriegs Rath vermög des alten Carlstätterischen Graniz Instituti angeordnet zu seyn ersehen hat, das der Einem zeitlichen H^n^ General Obristen zugegebene Teütsche Capelan zu Carlstatt zu verbleiben haben solle, alß will auch Hochgedachte löb. Stölle, das es bey diesen Instituto ferers hingelassen, jedoch gestattet werde, das und wan der H. General Obrist auf ein, oder andere Täge, beforderist in Herrn Dienst von Carlstatt in, oder ausser des Generalats verreiset, derselbe tali casu sothanen Capelan mit sich nehmen köne, so hiemit zu dessen direction angefüegt, gleichmässig auch soliches dem zugegebenen Capelan gehörig zu intimiren seyn werdet.

Anbey wir verbleiben Graz den 17. Julii 1726.

Des Herrn Grafens

Dienstwillige
der Röm. Kay. Mayestät
I. Ö. HofKriegs Räthe.

VIII. Antequam haec Capellania nobis extradita fuisset, habuerunt duo Saeculares sacerdotes singulis mensibus ex militari Cassa 40. f. quibus annexi erant 12. f. pro Capellano Croatico, quos verò Generalis, quia â suo stipendio detracti erant, ad se traxerat, hinc pro Capellano germanico remanserant tantùm 28 f. pro singulis mensibus, qui per annum faciebant summam f. 336. quod fusius patet ex quodam supplici P. Pauli de Tauris Ministri Provincialis anno 1658. Inter. Aust. bellico Consilio porrecto. Ut Excel^mus^ D. Generalis Josephus Comes Rabbatta in quadam Epistola exarata in Berlog 8. Julii 1715. commemorat, reperiuntur in lustri Regesto pro PP. Franciscanis sequentes summae assignatae: videlicet:

auf ein Teütschen Priester ……	f. 16
so aber dato die hiessige P. P. Franciscaner geniessen	
dan auf ein Windischen Priester monat. ……..	f. 12.
Franciscaner …….	7.
item Franciscaner …….	7.
item Franciscaner …….	5.
item Franciscaner …….	5.

IX. Mox assignata summa f. 12. pro Capellano Croatico jam â tempore introductionis P. P. Franciscanorum ad fortalitium Carlostadiense â pro tempore existente Generali Commendante Comite

1090

ab Aversperg ad suum solarium reducta fuit; haec enim summa prius a Generalis stipendio detracta Capellano Croatico, qui Capellanus ipsius Generalis erat, dabatur: Ex quo manifestè apparet. Excell'mum D. Josephum Comitem â Rabatta injustè praetendisse, ut Capellanus Campestris ipsum semper quocunque iêrit, comitetur, quia stipendio f. 12. ipse, et non Capellanus Campestris fruebatur. Mox recensitae summae exceptis 12. f. obveniebant Conventui usque ad annum 1746. quo anno praedicta summa (quae faciebat annuales 480 f. â Serenissimo Principe ab Hildeburgshausen Caesareo Commissario reducta fuit ad 340. f. imo et ab hac summa 17. detrahuntur floreni, ita, ut nunc Conventus tantùm 323. f. percipiat, ut ex sequenti ex originali desumpta attestatione patet:

Das denen W. W. E. E. P. P. Franciscanern zu Carlstadt wegen unterhaltung eines so genanten FeldCaplans Jährlichen 340. f. ab aerario bewilliget und während meiner hiessigen Ambtirung über abzug 17. f … Xr' Arrha betrag mit 323. f. … Xr' beständig forth auß der Kriegs Cassa abgereichet worden seynd, verificirn anmit, und solle diese gebühr von ersten May 1746. seinen Anfang genohmen haben. Sig. Carlstadt den 2. Marty 1767.

(L. S.) Fr. Eichinger
f. k. Co'arius m'ppa

Caput VI.
De Capella S. Josephi.

I. Capella, seu Ecclesia filialis Parochialis Ecclesiae Carlostadiensis in ipso fortalitio sita aedificata fuit anno 1670. ab Excel'mo D. D. Joanne Josepho Comite ab Herberstein Ordinis Melitensis, Priore in Hungaria, S. C. M. Consiliario intimo, Generali Commendante Carlostadiensi, et Confinium maritimorum etc. in honorem S. Josephi, in qua fundavit de licentia sui Magni Ordinis Magistri aliqua Sacra tum legenda, cum cantanda cum his conditionibus, ut tempore suae vitae cura Capellae sit penes ipsum, in curam sollicitudinis adjunxit D. Ferdinandum Comitem ab Herberstein Ord. Melitensis, et Maximilianum â Schlangenburg, quos etiam post suam mortem hujus fundationis executores esse voluit: illis demortuis ordinavit, ut haec officiatura â sui Ordinis Religiosis, si aderint, peragatur: his deficientibus voluit, ut Capellae curam haberent Sacerdotes Saeculares. Si vero et hi deessent, ut â PP. Franciscanis administraretur, ordinavit.

Pro Suis Religiosis constituit, et legavit universa bona sua, pro Petrinis verò et Franciscanis tantum certam quotam assignari voluit, ut ex ipsius testamento die 4. 9'bris 1689. condito patet, ubi sequens paragraphus insertus reperitur:

Wan sich aber villeicht zuetragen wurde, welche diese administration und Stüft der Capellen dienen oder abwarten und die aldorten H. Gottes Dienst verichten wolten, so solle solche Dienst versehung denen alhier anwesenden H. H. P. P. Franciscanern auf so lang gegeben werden (doch der gestalten, damit man sich vorhero mit ihnen auf ein gewisses vergleiche, was ihnen darvor bezahlet werden solle) bis und so lang, das sich Priester meiner Religion oder andern weltliche Priester gefunden werden.

II. Vivente adhuc fundatore ab anno 1685. P. P. Franciscani hujus Capellae Officiaturam peragebant, mortuo vero fundatore ejus successor, et patruelis D. Joannes Ferdinandus Comes ab Herberstein anno 1693. per solemne instrumentum beneficium S. Josephi P. P. Franciscanis contulit erga annuos 550. f. pendendos cum onere singulis septimanis legendi Sacra 9. praefixis diebus, inter quae unum quolibet die Mercurii cantari debet, prout totum ex ipso Instrumento, quod ex Originali adduco, magis patet, quod hujus est tenoris:

In Dei Nomine Amen.

Haec est conventio inter Ill'mum, et Excell'^{mum} D. D. Joannem Ferdinandum S. R. I. Comitem ab Herberstein Sacri Ordinis Melitensium Equitem, Commendatorem, et Receptorem etc., Sacrae Caesareae Majestatis Camerarium Interioris Austriae Consiliarium bellicum, et Generalem excubiarum Praefectum etc. etc. ex una: et inter nos qua Provinciae Carnioliae Fratrum Minorum S'^{ti} Francisci Reformatorum Compromissarios Ministrum videlicet Provincialem, Deffinitorem Generalem, Custodem, et Deffinitores Provinciae ex altera: et jam nuper 31. Martii currentis 1693. in pleno Deffinitorio in hoc Labacensi Conventu inita super projecto tradendae nobis Capellae S. Josephi in eodem Carlostadiensi fortalitio sitae, et Ordini S. Joannis Ierosolymitani subjectae, et ab Excellentiae praedictae Ill'^{mo}, et Excell'^{mo} Domino Patruo D. D. Joanne Josepho S. R. I. Comite ab Herberstein Generali Carlostadiensi erectae, et fundatae, et est, ut sequitur:

Inhaerens primofatus Ill'^{mus}, et Excell'^{mus} Dominus fundatoris piissimae intentioni, quà jure Patronatus potiens, nos requisivit, simulque obtulit Officiaturam supradictae Capellae ad id tempus tantùm, quod sibi, vel in hoc jure Patronatus legitime successuris, vel etiam nobis placuerit cum sequentibus conditionibus, oneribus, et commodis.

Primò. Tradita Officiatura Capellae S. Josephi teneatur Superior localis in eadem Capella per suos Religiosos cujusli-

1092

bet hebdomadae diebus Lunae, Mercurii, et Sabbathi tria Sacra ad intentionem fundatoris piè defuncti juxta tabulam Sacristiae, Capellae ejusdem celebrare.

2'dò Ex his Sacris unum die Mercurii videlicet decantandum erit de S. Josepho cum expositione Sanctissimi, litaniarum de eodem Sancto â meridie decantatione, populi benedictione, et solito pro defunctis asperges.

3'tiò Ubi autem aliqua praedictarum feriarum in nostra Parochiali Ecclesia occurrerit functio impediens trium Missarum in Capella celebrationem, poterit unum tantum celebrari, et alia dua commodiori die suppleri, eo observato, ut quotidie unum sit, quod exceptis supra specificatis diebus, liberae erit applicationis.

4'tò Per anni decursum in die Natalis Domini videlicet, Paschalis, Pentecostes, S. Josephi, S. Joannis Baptistae, Dedicationis Capellae, Assumptionis B. Virginis Sacrum solemne cum assistentibus decantetur. In festo S. Josephi verò, ac S. Joannis Baptistae, nec non quoties Conventui commodum fuerit etiam Concio germanica habeatur. Alia in tabula Sacristia Capellae ejusdem contenta Sacra vel maximè sive cantanda, sive dicenda in novem illis, quae juxta intentionem fundatoris tribus specificatis feriis dicenda, seu cantanda sunt, comprehensa intelligantur, ut onus novem Sacris per hebdomadam cum privatis, et Solemnibus tantum constet, et cancelletur.

5'tò Semper deputetur Sacerdos unus ad gustum, et satisfactionem jus Patronatus habentium, qui cum Superiore locali Conventus unitim quâ Capellanus primarius dicti Sacelli Officiaturae curam exactam habeat, et piae fundatoris intentioni explendae invigilet, et pro nunc quidem idem Ill'mus, et Excell'mus Dominus Excell'mi Patrui, quam suam cum Patre Francisco Scalletari habitam, tractamque, hunc sibi instat deputari. P. Guardianus cum ejusmodi Capellano habeat omnium Capellae mobilium, Sacristiae, et aliorum ad eamdem Capellam spectantium Inventarium quisque suum, juxta quot singulis annis omnia in eo contenta revidere, et conferre tenebuntur ea adhibita vigilantia, qua suppellex Sacra conservetur, custodiaturque, et â destructione praeservetur, ubi autem aliquid collapsum fuerit, reformatione, vel innovatione indiguerit, haec Domino Patrono Capellae sicut et aliae omnes necessitates providendae, opportunè insinuentur.

6'tò Mobilia hujusmodi Capellae in eadem semper serventur nullo unquam distrahenda, minus mutuò concedenda, nisi ubi aliquando Superiori locali, et Patri Capellano pro Solemni aliqua Ordinis festivitate illis uti pro gloria Dei bene visum fuerit, denuo ad dictam Capellam reponendis.

7'mò Omnia, quae per decursum anni in Officiatura dictae Capellae occurrerint, teneatur, Superior localis cum Patre Capellano, et Domino Patrono, et Superioribus Provinciae suae exactam, ac genuinam rationem dare eo nimirum fine, ut bonis coeptis continuatio, et malis, si quae irrepserint, remedium obtingat.

8'vò Desiderat etiam, et instanter rogat Excell'mus Dominus Patronus, ut Officiatura haec Patri Guardiano, et Capellano ita

injungatur, ut horum conscientia ligata sua sublevetur, et optata potiatur quiete, et vel maximè, ut Superior localis cum Capellano conjunctim agant, ne Capella obstet Capellae.

9'nò Etiam cupit, ut Pater Capellanus cum persona saeculari idonea ab ipso Domino Patrono eligenda super administratione bonorum Capellae, in quantum statui, et professioni congruit, ita invigilet, quatenus fidelitatem, vel defectum in ea administratione bonorum non ignoret, sed ex charitate Nobis, et Domino Patrono pro opportuno remedio cuncta confidenter communicet.

10'mò Tandem pro his omnibus Officiatura nimirum, et cantu more Religionis nostrae etiam peragendo spondet, et promittit primomemoratus Ill'mus, et Excell'mus Dominus Patronus quingentos quinquaginta florenos Rainenses annuos per angarias anni in natura, vel in paratis pro Conventus commoditate, et beneplacito punctualiter pendendos, et vel maximè, si vindemiarum tempore pro vini provisione musto sibi prospicere voluerint pro quali, et quantacunque sibi debitae portionis solutione, id habere possint. Ubi autem expertus fuerit Excell'mus Dominus Patronus Officiaturae exactam peractionem, et punctualitatem, affectum suum, quo Religioni Seraphicae nunquam defuit, amplius adhuc experiendum promittit, simulque indulget, ut, qui Capellae praedictae officiandae deservient, etiam possint quandoque in arce Novigrad religiosè refocillari.

Acceptâ igitur, et ponderatâ in pleno Deffinitorio praetactae Officiaturae jam fatae Capellae S. Josephi, et cum praemissis oneribus, et commodo Ill'mi, et Excell'mi Domini Patroni instantiâ, requisitione, et exhibitione maturè perpensa, gratioso Excellentiae suae Ill'mae in Ordinem nostrum affectui, et erga Provinciam nostram confidentia laudabili, quod par est, deferre volentes, Officiaturam jam memoratae Capellae, quamdiu, ut praefertur, Excellentiae suae, et in jure Patronatus legitimè eidem successuris placuerit, aut nobis etiam opportunum fuerit, omni fidelitate exactissimè peragendam suscipimus, et acceptamus nos, et Successores nostros ad onus pluries fatae Capellae officiandae serio obligantes. Et quamvis nos mutui contractus stipulandi ipsa professione religiosa, quâ Fratres Minores S. Francisci incapaces simus, ipsumque commodum praejactum quingentorum quinquaginta florenorum Rainensium non alio quam purae eleemosynae titulo, prout hisce solemniter conscientias nostras salvaturi protestamur, nos non aliter in dicti quanti assignationem, et deputationem consentire, quam, ut quà mera eleemosyna nobis obtingat, acceptare possimus: adhuc tamen conscientias nostras ad exactam Officiaturae hujusmodi peractionem inviolabili fidelitate obligamus, hanc eamdem obligationem ex nunc in praesentem, et futuros Conventus nostri Carlostadiensis Patres Guardianos, et Capellae S. Josephi nobis concreditae Capellanum, et successuros transfundentes in virtute S. Obedientiae iisdem, et sub formali praecepto imponimus, ut juxta instrumenti hujus tenorem, et singula puncta ita indispensabiliter cuncta peragant, et exequantur, ne alios indubiè

1094

Deo rationem reddendi grave debitum contrahant, juxta privationem Officii Venerabili Deffinitorio arbitrariis poenis irremissibiliter subjaceant. Specialiter autem imponitur Patri Guardiano Carlostadiensi, ut cum Capellano Capellae mutuam habeat intelligentiam, quae de facili univoca, et indisputabilis persistet, si uterque ad hujus instrumenti tenorem, et tabulae praescriptum sese ligatum meminerit. Porro ut instrumentum hoc robur suum, et pro status nostri qualitate valorem obtineat, appenso majori Provinciae nostrae Carnioliae sigillo proprio id ipsum firmavimus, caractere alio consimili cum Suae Excellentiae Ill'mae subscriptione nobis ad hujus extraditionem consignando. Actum, conclusum, et acceptatum in pleno Deffinitorio Labaci congregato. Hac die 31. Martii 1693.

AVVPP. Deffinitores R. P. Custos
P. A. R. Deff'or Gn'lis
et P. A. R. Min'r Pro'alis

(L. S.)

(L. S.) Fr' Joannes Ferdinandus Comes ab Herberstein
confirmo ut supra m'ppa

III. Anno 1745. Ordo Melitensis S. Joannis Jerosolymitani Commendam Novigrad (germanis Neüschloss) cum annexis bonis, proventibus, et singulis utilitatibus, ac commodis vendidit Ill'mo D'no Stephano L. B. Patachich de Zajesda S. C. M. Consiliario, ac Fortalitii Costaniza Commendanti f. 27000. cum onere, ut P. P. Franciscanis pactatam â quondam D. Joanne Ferdinando Comite ab Herberstein ratione Officiaturae Capellae S. Josephi summam f. 550. fideliter, et exactè pendat, ut §. 8. praedicti Contractus venditionis signati Viennae die 18. Maji apertè indicat, qui hujus est tenoris: Achtens: Verbindet sich der freyherrliche Kaufer für sich und alle Nachkommende Possessores auf das feyerlichste, das der selbe, oder sie in ewige Zeiten die Heilige Stüftung und fundationes, alß denen ehrwürdigen P. P. Franciscanern zu Carlstatt ad Capellam Sancti Josephi und was dem Stüftbrieff anhängig, heilig halten, und wie gewöhnlich ohne mindesten Abbruch erfolgen und alles in suo statu beybehalten lassen wollen.

IV. Haec altaristica 550. f. summa ab Ill'mo D. Stephano Josepho L. B. de Patachich tamquam emptore bonorum fundationalium, ac postmodum ab ejus filio Ill'mo D. Comite Francisco Patachich ab anno 1745. usque ad annum 1764. fideliter Domino Parenti Spirituali P. P. Franciscanorum soluta fuit: Hoc verò anni 1764, Ill'mus D. Franciscus Comes de Patachich ex eo, quod status militaris ipsum ab usufructu Villae, et Silvae, quae judaica dicitur, et domorum in fortalitio sitarum impedierit, solvere renuit. Facta dein cum Statu Militari Generalatûs Carlostadiensis ratione controversorum bonorum transactione, et compositione, status militaris onus providendi Capellam S. Josephi necessaria suppellectili, ac PP. Franciscanis quotannis pro saepe dita Officiatura satisfaciendi erga 9. Sacra hebdomalia, quorum 406. leguntur, 62. cantantur cum totidem litaniis, et 5. Concionibus germanicis

in se assumpsit. Unde nunc Conventus quolibet quartali ex militari Generalatus Carlostadiensis Cassa percipit f. 137. Xr' 30. qui faciunt per annum f. 550.

Caput VII.
De Scholis, et introductione P. P. Piarum Scholarum ad fortalitium Carlostadiense.

I. Ante P. P. Franciscanorum Carlostadium introductionem D. D. Petrini etiam juvenes in litteris erudiebant, tempore Patrum praedictorum adventus, Scholae iisdem extraditae erant, ad quas docendas se Patres obligâsse feruntur, ut ex quodam Memoriali â Carlostadiensibus incolis Excel'mo D. Joanni Josepho Comiti ab Herberstein Generali Commendanti porrecto patet, in quo petierunt, ut Patres per eumdem adigantur ad docendas Scholas usque ad syntaxim inclusive, ad quod Memoriale ille sequens Decretum dedit:

Aus beykommenden Suppliciren wird H. P. Guardian ersehen, was die Herrn Supplicanten begehren, alß wolle Er solches bey H. P. Provincial anbringen und darob seyn, das exemplarische guette Patres hieher verordnet wurden, die nach möglichkeit dem volk in etwas vergnügung gaben. Carlstatt den 10. November 1681.

J. J. Graff Herberstein m'ppa

II. Hae scholae usque ad annum 1708. docebantur in idiomate Croatico, et Latino, hoc vero anno Germani supplicarunt pro Magistro Germano, ut nempe Scholae germanice docerentur, ad supplicationem hanc Venerabile Diffinitorium die 5'ta Sept. sequens dedit responsum: *Parata est Provincia mittere Germanum Magistrum Scholarum, dummodo Celsissimus Princeps sese interponat, ne D. D. Croatae exinde moveantur.* Non obstante hac adhibita cautella Domini Croatae mox protestati erant contra Magistrum germanum, ac denuo Croaticum praetendebant, quid verò effecerint? non reperitur adnotatum. Provinciae enim perinde erat sive Croaticum, sive germanicum instituere Magistrum, id tamen scio, posterioribus temporibus usque ad adventum Patrum Piarum Scholarum (quo tempore Scholae illis datae erant) semper institutum fuisse Magistrum germanum.

III. Cum de Patribus Piarum Scholarum mentio facta sit, de eorum introductione pauca referre libet. Post initam anno 1761. cum Rege Borussiae pacem, fuit Commendans Generalatus Carlostadiensis institutus Excell'mus D. L. B. de Beck […],[647] qui Carlostadium adveniens ad acquirendum sibi nomen grande, et Caesaream Majestatem sibi propensam reddendam, totum Generalatum reformare coepit ad normam Germaniae, incolas Carlostadienses ad civium onera, et tributa in Croatia nunquam usitata ferenda adegit, multaque alia prius liberi exercitii certis interclusit

1096

legibus. Videns, hanc reformationem apud nonnullos applausum sortitam, etiam Scholarum reformationem meditari coepit, ob quem finem rem cum P. Provinciali P. P. piarum Scholarum, et cum Consilio bellico, ac Aula Caesarea sub rosa tractabat, ut Patres Piaristae Carlostadium introducerentur ad docendas scholas. P. Provincialis ad videndum locum, et inveniendum fundum pro sustentatione suorum Religiosorum Carlostadium advenit die 20. Februarii anno 1765. ubi die 25. ejusdem mensis, et anni contractui subscriptum fuit.

IV. Porro pro eorum sustentatione sua Caesarea Majestas resolvit per decennium ex proventibus bellicis Generalatus Carlostadiensis annuales 2200. f. quibus adjuncti erant f. 1000. â quodam D. Canonico Zagrabiensi Tausky legati, et apud Bancalitatem Viennensem investiti. Item legatum f. 900. Domini Valentini Erreth. Praeterea Serenissimus Princeps D. Wenceslaus â Liechenstein ad intercessionem Generalis Beck permisit ad hunc finem omnia Capitalia, legata, domos, molendinum, et alia bona immobilia ad Capellam S. Barbarae fundata, quae omnia aestimata erant f. 7576. Xr' 2. Venerunt autem Piaristae prima vice ad ibidem stabiliter permanendum Carlostadium die 27. Octobris anni memorati 1765. quibus D. Josephus Znika Parochus Dobuvaczensis claves Capellae S. Barbarae extradidit, ut eorum Superior P. Thomas Leidl â S. Ludovico Sacrum cantatum cum Hymno Ambrosiano solemniter inter tormentorum boatus decantavit, dein deducti erant ad domum militarem (vulgo Cassarne) ubi usque in hodiernum diem 10. eorum habitant. Ipsi Contractui P. Provincialis Piarum Scholarum die 28. Febr. [~~anni~~][648], quo die Carlostadio discessit, anni 1765. sequentem clausulam adjunxit: Mit Vorbehalt und Bedingniß der Einwilligung meiner Provincial Congregation, und das selbe in meiner Abwesenheit ein gutachtlichen Bericht dem hochlöb. k. k. Hof Kriegs Rath und das weitere salvo quocunque et cuiuscunque iure betreiben solle und könne. Carlstatt den 28. Febr. 1765.

Nicephorus Provi'alis

V. Non obstante clausula *Salvo quocumque, et cujuscunque jure*, quia in Contractu appositum fuit, quod domus penes Capellam S. Josephi ad Ordinem Melitensem spectans sit ad censum accipienda timuit Provincialis Vicarius P. Bonavita Dietrich, ne suo tempore ipsa Capella cum beneficio illis tribueretur, et sic media quasi pars sustentationis P. P. Franciscanis abriperetur, hinc admonuit P. Provincialem Piarum Scholarum memoratae clausulae, qui P. Vicario Provinciali sequentem epistolam (quae in Originali prostat scripsit:

Plurimum Reverende, Eximie, ac Clarissime
P. Vicarie Provincialis

Accepi plurimum Reverendae, ac Eximiae Paternitatis Suae litteras, quas tanta cum laetitia perlegi, quanto expectavi desiderio, ex quibus sat, superque intelligo, Eximiam Paternitatem suam, cum Definitorio plurimum Reverendo pusillae Provinciae nostrae et addictissimam esse, et meam Sacerrimo S. Francisci Ordini nullo un-

quam tempore nocituram voluntatem perspexisse. Res tamen aliter, ac Eximia Sua, et Clarissima Paternitas autumat, se habet de Sacello S. Josephi, vel de proventibus, Eximiis Paternitatibus suis eripiendis, nulla unquam mentio facta est; huicque proximam ut vocant Teutonicorum domum (si tamen â Majestate Sua Carolostadium adire jubebimur) uno, alterove anno inhabitabimus, Sacello ex omni parte, et redditibus ejusdem illaesis, ita quidem, ut Inclyta, ac celeberrima Provincia Eximiae Paternitatis Suae confidere possit, se nullum, vel levissimum exinde passuram detrimentum. Tantum enim abest, ut cum cujusdam praejudicio Carolostadium ingredi desiderem, ut potius mihi gratuler, dum Eximias Paternitates Suas, vel Scholarum, quas actu docent, vel, eleemosynae subtrahendae titulo mihi contradixisse intellexero. Vienna, concesso ad Augustissimam aditu, et re uberius explanata, totius rei seriem clarius transcribam. Hisque, ut per otium licuit, breviter declaratis, me semper futurum promitto. Gleistorffii, 2'da Aprilis 1765.

Eximiae, ac Clarissimae Paternitatis Suae

Humillimus in Christo servus
Nicephorus Deltel â S. Donato
Scholarum Piarum Prov'lis m'ppa

VI. Cum verò Capella S. Barbarae non longe post Patrum Piarum Scholarum introductionem ab igne consumpta esset, fecerunt praedicti Patres aliquam Capellam privatam in illorum domicilio, ubi Missas celebrabant, et Divina Officia peragebant. Anno verò 1776. cum eorum numerus augeretur, nec facile omnes in privata Capella celebrare commode possent, petierunt â Sua Caesarea Majestate facultatem Divina peragendi in Capella S. Josephi, Sua Caesares Majestas eorum precibus annuere volens Episcopi Zagrabiensi quà loci Ordinario praedictam petitionem insinuavit eumdem exhortando, ut suum quoque addat assensum. Episcopus Caesareae resolutioni morem gerere cupiens petitam licentiam sub certis clausulis in mox adducenda, quam ex Originali produco, concessione videndis benigne confirmavit hunc in modum:

Nos Josephus Gallyuff Divina providentia Episcopus Zagrabiensis, Abbas B. V. Mariae de Topuszka, Comitatus de Berzencze Supremus, ac perpetuus Comes, utriusque S. C. R. et Apost. Majestatis actualis intimus status, nec non ad Excelsum Consilium Regium in Regnis Croatiae, Dalmatiae, et Sclavoniae Consiliarius.

Damus pro memoria, significantes, quibus expedit universis, qualiter R. P. Lambertus Aninger â S. Davide P. P. Piaristarum Carlostadii commorantium Rector, nec Residentiam adusque in fata Civitate, nec verò Ecclesiam propriam, in qua Divina cum Subordinatis sibi Religiosis perageret, habens, humiliter nobis supplicaverit, quatenus erga habitam jam suae Sacr'mae Caes'o-Regiae, et Apostolicae Majestatis de genu interpellatae clementissimam Resolutionem, Eumdem in Ecclesia filiali D. Josepho sacrata, Divina agere authoritate Dioecesana permitteremus. Nos itaque precibus Instantis inclinati, cumprimis verò Apost. summefatae Majestatis Suae in promotionem Divini cultus, ac incrementum Orthodoxae Religionis piissimè intentae zelum, pro incumbente

1098

Nobis pastorali munere secundare quovis tempore cupientes praeinserto Instanti, ejusdemque subordinatis Religiosis in conformitate altissimae eatenus emanatae Resolutionis petitam facultatem impertimur, quatenus ad interim, quoad propriam adepti fuerint Ecclesiam, in praememorata S. Josephi Ecclesia more in aliis ejusdem Instituti Ecclesiis ubivis recepto Divina agere, ac Vener. Sacramentum sub Sacro cantato, vel alio lecto, litaniis item, nisi in Parochiali expositum esset, fidelium adorationi statis diebus proponere valeant, salvo nihilominus jure Dioecesani, et Parochi loci, sub cujus plena jurisdictione deinceps etiam praefata Ecclesia manebit, eo etiam intellecto, ut nunquam Processiones absque licentia propria Parochi educere, neque hora illa, qua Divina solemniter in Parochiali celebrarentur Instanti, Suisque Subordinatis vel concionari, vel Sacrum cantatum servare permissum sit. Super cujusmodi concessione, et indultu nostro praesentes manu nostra subscriptas, et sigillo nostro munitas extradamus litteras Zagrabiae in solita Residentia nostra Episcopali die 24. Maji Anno Domini Millesimo septingentesimo septuagesimo sexto.

Josephus Gallyuff
Ep'pus Zagrabiensis m'ppa (L. S.)

VII. Praecedens Episcopalis facultas fuit P. Guardiano, et Parocho loci intimata per Generale Carlostadiense gubernium sub die 3. Junii ejusdem anni his formalibus:

Von des in Carlstätter Generalat aufgestelten General Militar Commando wegen, dem P. Guardian der P. Franciscanern Cherubino König anzuefüegen. Es habe der Herr Agramer Dioecesan Bischoff für die Patres Piarum Scholarum in Ansehung des gebrauch der St. Josephi Capellen, und der darinen abhalten mögenden Andachten, und Gottes Diensten die hiebey folgende Concession an das General Commando gelangen lassen, womit Eüer Hochwürden zur ebenmässigen Einsicht mit der ferneren Erinnerung anmit die mitheilung beschiehet, wie der Pater Rector unter einem angewiesen werde wegen der künftig hierinfals zu beobachtenden ordnung mit deroselben das behörige Einverständniss zu pflegen.

Freyherr v' Kleefeld

Ex Canc. Bell. per Sup. Arm. Praefect.
Gen'ralatus Carlost. constituta.
Karlstadt den 3. Junii 1776.
J. v' Schloissnigg m'ppa

VIII. Ab hoc tempore Patres Piaristae constanter in Capella S. Josephi Missas celebrant, et alia Divina Officia peragunt cum praeinsertis conditionibus, suaque propria non Ecclesiae suppellectili utuntur. Non obstante tamen hoc, Patres Franciscani solitam Officiaturam perficiunt conformiter ad intentionem Fundatoris Excell'mi D. Joannis Josephi Comitis ab Herberstein. Nunc Patres Piarum Scholarum meditantur aedificare Collegium una cum Ecclesia penes domum armamentariam ex adverso Domini Mercatoris Khallan, cujus rei negotium P. Rector actu Viennae, quo delineationem tum â suo P. Provinciali,

tum â Consilio Bellico adprobandam deportavit, pertractat. quid futurum sit? eventus brevi docebit. [649]Et revera docuit sub infaustae memoriae Josepho II. rege impiissimo Caroli sic dicti magni, Sigismundi – pharisaei hujus non minus ac hypocritae, Rudolphi II. tyranni seu potius vasalli hujus jus fortioris apprime exercentis nec non Leopoldi I. pariter infaustissimae memoriae vulpis hujus religiosae hypocritae hujus sub pallio religionis impudicam suam politicam rem executioni dantis sectatore ferventissimo impudentissimo.

Caput VIII.
De Ecclesia, et Altaribus, de Cryptis, et Epitaphiis, et Capellis extra fortalitium.

§. I.
De Ecclesia et Altaribus.

I. Ecclesia Parochialis Sanctissimae Trinitatis in Praesidio Carlostadiensis sita aedificata eo anno fuisse creditur, quo ipsum fortalitium, nempe anno 1579. et quidem in ea magnitudine, cujus nunc esse conspicitur; si enim aliquando immutata notabiliter aut reparata fuisset, etiam nova indiguisset consecratione, ast eam denuo unquam consecratam fuisse, nullibi adnotatum reperitur, fuisse autem eam consecratam ex eo desumitur, quia quotannis anniversariam consecrationis memoriam dominica 4'ta post Pentecosten recolit: Patrocinium verò dominica prima post Pentecosten, in quam incidit festum Sanctissimae Trinitatis. Amplitudo Ecclesiae est quoad longitudinem 15. orgiarum, quoad latitudinem vero 5. orgiarum, et 4. pedum. In Ecclesia decem reperiuntur Arae: *1ma* est Ara Major ex nigro marmore Sanctissimae Trinitatis. *2da* S. Petri Regalati Confessoris. *3tia* S. Michaelis Archangeli. *4ta* S. Georgii Martyris. *5ta* S. Nicolai Episcopi. *6ta* S. Antonii Patavini. *7ma* Cajetani Confessoris. *8va* Sanctissimi Rosarii B. V. Mariae. *9na* S. Joannis Nepomuceni Martyris. *10ma* est in Capella Lauretana.

II. Ara S. Petri Regalati erecta fuit â D. Petro Popovich mercatore anno 1753. Eodem anno recta erat etiam Ara S. Michaelis, pro qua partem expensarum subministravit quidam Pellio Maidechich. Supra Aram sequens Cronographicon legitur: **e**C**C**C**e** en**IM** Ange**L**V**s** **D**e**I**. aliud sic sonat: p**I**V**s** **D**efensor Ro**M**anae E**C**-**C**L**e**s**I**ae. ambo denotant annum 1757. quo anno Ara perfecta fuisse creditur. Ara S. Georgii Martyris erecta fuit sub Guardianatu P. Cosmae Tauber expensis Tribus figulorum anno 1739. Ara S. Nicolai Episcopi facta fuit anno 1740. expensis Nautarum. Arae S. Antonii Patavini, et Sancti Cajetani facta sunt anno 1742. expensis diversorum benefactorum. Hae postremae tres Arae erectae sunt sub Guardianatu P. Francisci Corrodini. Quo tempore Arae Sanctissimi Rosarii, et Capellae Lauretanae constructae sint? nil notatum reperitur. Ara S. Joannis Nepomuceni facta est in loco, ubi prius Sacristia erat, anno 1749. sub Guardianatu P. Cosmae Tauber, et hoc anno nova Sacristia facta est post

1100

Aram majorem expensis Cohortis Equitum levis armaturae, ad quod aedificium etiam contribuit Serenissimus Princeps Fridericus Josephus ab Hildeburgshausen 100. aureos. In debitae gratitudinis tesseram Conventus supra Aram sequentem apposuit inscriptionem: Deo, et D. Joan. Nepomuc. Sacrum Sacellum hoc erigere aggressus Religionis inter militares curas Observantiss. Sereniss. Heros Joseph Saxon. Dux suo, et equestris Illyriae Cohortis impendio curante ejusdem Cohortis p. t. Chiliarcha Anno XLVIII. supra MDCC. Ara haec anno 1750. die 19. Aprilis benedicta fuit de licentia Dioecesani ab Excel^{mo} D. D. Wolffgango Chiolich Episcopo Segniensi, ex aliis Aris nulla est consecrata.

III. Anno 1726. sub Guardianatu P. Cosmae Tauber fuit tota Ecclesia lapide quadro strata. Anno 1738. sub eodem Guardiano fuit novum Organum factum, quod anno 1775. reparatum, et novum tabernaculum ad Aram maiorem factum fuit ad expensas Generalis Militaris Gubernii Generalatus Carlostadiensis. Anno 1760. nova Cathedra Concionatoria facta fuit. Anno 1705. fuit horologium ad turrim positum, quae anno 1743. nova Cupula provisa fuit, pro expensis diversi benefactores contribuerunt fl. 200. Anno 1765. die 15. Decembris fracta fuit Campana major, et Labaci transfusa, ac ab Episcopo Labacensi Cel^{mo} D. Josepho Leopoldo ê Comitibus de Petazzi sub nomine S. Francisci, et S. Georgii benedicta, ponderat nunc 507. lb. Expensas 138. fl. liberaliter tulit Perillustris D. Joannes Guetterer de Guttenfeld Parens Spiritualis Conventus.

IV. Extra, et penes Ecclesiam in foro publico posita fuit anno 1730. et sequenti sub Guardianatu P. Cosmae Tauber statua lapidea repraesentans B. V. Mariam sine labe conceptam, quae est supra columnam quadriangularem pariter lapideum collocata. In qualibet quadriangulari parte est quoddam Chronographicon expressum, et quidem in parte anteriori statuae sequens:

Ave **D**e**I** Gen**I**tr**IX V**I**rgo **M**ar**I**a s**I**ne nae**V**o **C**on**C**epta

In parte posteriori versus Ecclesiae muros:

O **M**ar**I**a **VI**rgo **DeI**para s**VCCV**rre ser**VI**s t**VI**s

Ex parte dextera, quae portam Ecclesiae respicit:

e**X**pers pe**CC**at**I** pr**IMI AD**ae s**I**s nob**I**s t**V**tr**IX**

ex parte laeva, quae portam Conventus respicit, sequens Programa legitur:

Progr.

Ave Maria gratia plena Dominus tecum.

Anagr.

Tu unica pura est ô Magni Dei Mater Alma.

§. II.
De Cryptis, et Epitaphiis.

I. Olim erant plures Cryptae in Ecclesia Carlostadiensi, quas dum Fratres anno 1764. expurgare intendebant, emanavit sub die 27. Augusti ejusdem anni â Caes. bellica sanitatis Commissione decretum, vi cujus Fratres debebant cryptas terra opplere, et no-

vas extra terram in muro facere, ita ut foromina[650] fierent unius cadaveris capiendi idonea, ubi cadaver obmuraretur, et tamdiu obmuratum remaneret, donec in cineres redigeretur. Copia memorati decreti hujus est tenoris:

Extractus Protocolli
Über die den 27. Aug. 1764. wegen Saüberung
und gesundheit der vestung Carlstadt abgehaltener
Commission.

Bey dieser gelegenheit hat Mann unter einem für eine zur Gesundheit der Stadt höchstnothwendige Sache angesehen, das die in der P. P. Franciscaner Pfarr Kirche vorfindige grüfte, worinen die Todte Corper in wasser ligen, oder so zu sagen, herum schwimmen, mit Kalch und Sand ausgefühlet, und vollends zugeworffen, folglich von denen P. P. Franciscanern für ihre hier absterbende Geistliche und respective für die bey Ihnen begraben wollende weltliche eine Gruffte in luft dergestalten erbauet werde, damit die Todte Corper in die in form eines bach-Offens darinen errichtende Öffnungen hinein geschuben, und so lang vermauert werden können, bis der Corper in zeit von 10. bis 12. Jahren verzöhret wird. In fidem etc.

Jos. Razesberg m'ppa
F. Kriegs Secret.

II. Ad tenorem hujus Decreti Cryptae priores terrâ repletae erant, et duae aliae juxta praescriptum extructae, una penes Aram majorem sub turri pro sepeliendis personis saecularibus. In prima exprimitur in frontispicio Genius, qui ê nubibus protendit fasciculum stupae â subjecta in candelabro posita candela ardente accensae cum hac inscriptione, et versibus

Lemma
Sic transit gloria Mundi
Solum mihi superest sepulchrum Job. 17. ℣. 1.

Omnia transibunt, et opes, et vana voluptas
et vitae ambitio, sola sepulchra manent
Fronte gerit miles, generosior, ut sit […][651]
aeternum felix, mente sepulchra gerat.

Sepultura Fratrum, qui in hoc Conventu decedunt, est in Capella Laurethana ad instar prioris efformata cum hac inscriptione

Post cursum Minor accipit Bravium.
Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Joan. Apoc. 14. ℣. 13.

Felix in Domino moritur, qui providus Orbi
nempe tribus votis mortuus ante fuit
Morte Minor prima cum sit pauperrimus, inde
absque onere angustâ currit ad astra viâ.

1102

III. In Capella S. Antonii Patavini appensum est Epitaphium Ill'mae quondam Dominae Comitissae Rosinae â Lamberg, quod ejusdem Maritus apponi curavit his conceptum verbis: *Quiescit in Domino Anna Rosina Comitissa â Lamberg nata Baronissa â Lemberg â XX. Martii MDCCI chara mihi conjunx thalami, fidissima consors. Haec tibi summa dies, quae mihi prima fuit.* Plures adhuc in hac Capella sepulti requiescunt viri, et toga, et armis illustres, ut D. Theodorus Wolffgangus Comes ab Auersperg Vexillifer Regiminis Germanici, D. Fridericus L. B. ab Hallerstein Capitaneus, D. Germanus Comes de Petazzi Colonellus, D. Kilianus Flaminius Leopoldus L. B. de Perenklau Regiminis Szluinensis Vexillifer, inter hos eminet Excell'mus D. Josephus L. B. de Brentano Caes. Reg. Campi Generalis locumtenens, Vice-Commendans Fortalitii Carlostadiensis, Theresianae Crucis majoris Eques. Cui ob plurima Conventui Carlostadiensi collata beneficia P. Otto Sprug p. t. Parochus et Superior sequens apposuit Epitaphium:

Siste hic Viator
Ubi Josephi L. Baronis de Brentano
Virtutis, et fortunae stetêre progressus:
Cui
Post multos Honorum gradus
Generalis Campi Vice-Mareschalli
dignitas
postrema inter collatas
inter paratas non suprema fuit
Theresiani Ordinis Eques.
Oblatam nuper in Virtutis praemium
Majorem Crucem
Velut mortis indicium accepit,
imo tesseram Militiae Caelestis:
Huic inserendus erat
Qui
in vita, Bello, morte
Justorum, Heroum, Sanctorum
Imitator
Non in lecto, sed pavimento supinus
precesque jaculans
luctari moriens cum hoste voluit,
et hoc ultimo statagemate
adversa eludens jacula
Olympum expugnavit
superatis plurimis belli periculis
hic inter Martiales populos

1103
N'o 47.

Quibus saepe dux, et Comes ad victorias fuit,
die 7'ma Julii Ann. 1764. aetatis 46.
in pace quievit
Igitur
Requiescat in pace.

§. III.
De Ecclesiis, et Capellis extra fortalitium.

I. Extra fortalitium sita erat olim Capella S. Antonii de Padua erecta circa annum 1665. unà cum Coemeterio, et adjuncta Ecclesiae Parochiali Carlostadiensi. Fuit autem Ecclesia Fratribus Minoribus die 29. Augusti anni praedicti consignata sub sequentibus conditionibus, ut nimirum ibidem in festivitatibus Ss. Philippi, et Jacobi Apostolorum, S. Antonii de Padua, S. Bartholomaei, et Andreae Apost. Item feria 2'da Paschatis, et una ex feriis Rogationum, in die Commemorationis omnium defunctorum, ac infra Octavam solemniter Divina peragantur. Aliis verò temporibus, si aut necessitas postulaverit, aut devotio populi exegerit, ibidem Missae celebrabuntur, aut etiam processiones instituentur hac adjecta conditione, ut medietas eleemosynae â fidelibus Ecclesiae oblatae Conventui tribuatur, altera medietas pro Ecclesiae conservatione applicetur. Ipsique Syndici obligati sint quolibet anno coram Parente Spirituali, et P. Guardiano perceptae, et expensae eleemosynae ratiocinia deponere. Successu temporis haec Capella ad magis fortificandum praesidium diruta fuit.

II. In Capella S. Floriani, ubi nunc commune est Coemeterium Parochiae Carlostadiensis, et Dobovaczensis, olim spectabat ad Parochiam Carlostadiensem, dein adjudicata fuit Parochiae Dobovaczensi. In hac Ecclesia Anno 1702. D. L. B. de Verguz lustri Magister fundavit quoddam beneficium pro Patribus Franciscanis, legaverat enim 200. fl. ac hortos, aliaque bona immobilia huic Ecclesiae cum onere, ut nostri qualibet Septimana celebrent ibidem tria Sacra, ac ex his proventibus Ecclesiam restaurent, eique de necessariis provideant, quia verò praedicti proventus non erant sufficientes utrique oneri ferendo, Patres hoc legatum anno 1748. dimiserunt, illudque ipsius fundatoris haeredibus resignârunt.

III. Anno 1767. extra novam Fortalitii portam Excel'mus D. Generalis, Pro-Mareschallus Franciscus L. B. de Preiss suis sumptibus aedificavit Capellam S. Crucis, quorsum die 1. Maji anni praedicti cum solemni processione deportata fuit sculpta Crucifixi imago pluribus gratiis, et antiquo cultu celebris, ubi P. Athanasius Kautschitsch p. t. Guardianus solemne decantavit Sacrum, P. Agnellus Geislmann Con'or germanicus Ordinarius germanicam, et P. Ivo Znika Concionator Croaticus festivalis Croaticam habuit Concionem. Haec Capella subjecta est Ecclesiae Parochiali Carlostadiensi, ut ex litteris R'mi D. D.

1104

Francisci Popovich tunc existentis Vicarii Generalis constat, quae ex Originali traducta sic sonant:

Nos Franciscus Popovich Almae Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Archidiaconus, et Canonicus, Praepositus Infulatus, B. M. V. de Adony, Protonotarius Apostolicus, Excellentissimi, Illustrissimi, et Reverendissimi Domini Domini Francisci Tausczy Episcopi Zagrabiensis in Spiritualibus Vicarius, et Causarum Auditor Generalis.

Quia Capella S'tae Crucis sub Parochia Sanctissimae Trinitatis extra portam novam Fortalitii Carlostadiensis in Archidiaconatu Goricensi situata pia liberalitate Excellentissimi, et Illustrissimi Domini Generalis Pro-Mareschalli Baronis Francisci â Preiss Generalatus Carlostadiensis Commendantis exstructa, et dotata haberetur, ut nobis legitimè, et fide dignè relatum extitit; Idcirco moti precibus praetitulati Domini Baronis Generalis viri alias de Ecclesia Dei benemeriti, praefatum locum Sacrum cultui Divino recens mancipatum, ad augendam fidelium devotionem publico cultui deputavimus, et pro filiali Capella Parochiae Ss'mae Trinitatis Carlostadii fundatae annexímus, volendo, ut omnibus illis privilegiis, et immunitatibus, quae de jure, aut consuetudine filialibus Capellis competunt, praefata quoque Capella sub patrocinio Sanctae Crucis erecta perpetuis futuris temporibus frui, et gaudere valeat, ac possit, ita tamen, ut eadem Capella R'mi Domini loci Archidiaconi Visitae subsit, aedituique ad dandas ei rationes obligatur, ac tam â R'mo D'no Archidiacono, prout et loci Parocho ad instar aliarum filialium Capellarum dependeat, neve alia quomodolibet Ecclesiae Parochialis juribus praejudicetur volumus. Praesentibus futuris temporibus perpetuo valituris. Datum in solita Residentia nostra Zagrabiae die 28. Martii Anno Domini 1767.

Franciscus Popovich (L. S.)
Arch. Cathed. Vicarius G'ralis

Caput IX.
De Confraternitatibus, Sacris Reliquiis, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De Confraternitatibus in communi pro omnibus Christifidelibus erectis.

I. Caeteris in Ecclesia Parochiali Sanctissimae Trinitatis fortalitii Carlostadiensis in regno Croatiae erectis Confraternitatibus antiquior est Confraternitas Sanctissimi Corporis Christi, utpote quae post decennium ab introductione P. P. Franciscanorum ad Fortalitium

Carlostadiense, anno videlicet 1668. auctoritate Clementis IX. de consensu R'mi D. Ordinarii canonice introducta, et erecta fuit, variisque Indulgentiis decorata, ut ex subnexo Brevi, quod ex Originali adduco, patet:

CLEMENS P. P. IX.

Ad perpetuam rei memoriam

Cum sicut accepimus, in Ecclesia Ss'mae Trinitatis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Oppidi Carlostadii Zagrabien. Dioecesis una pia, et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub invocatione Ss'mi Corporis Christi ad altare Sancti Georgii Martyris, non tamen pro hominibus unius specialis artis canonice erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores quamplurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt. Nos ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, auctoritate Nobis â Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et B. B. Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac eisdem tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus in facere nequiverint, saltem contriti Nomen JESU ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam: Nec non nunc, et pro tempore existentibus Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis, qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die festo principali dictae Confraternitatis per Confratres semel tantum eligendo, et ab ordinario approbando â primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis dictam Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis seu Dominicis diebus per praedictos Confratres eligendis, et ut supra approbandis, ut praefertur, visitantibus, et orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas. Quoties verò Missis, et aliis divinis Officiis in dicta Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, vel recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, aut etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum, quam

1106

aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, vel quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendis, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut si impediti Campanae ad id signo dato semel Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum praedictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud, pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus, aliaque alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, utque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel imposterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur praesentes, et quavis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tum eo ipso nulla sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XV. Martii MDCLXVIII. Pontificatus nostri anno Primo.

JC Slusius

Principalius festum pro consequendis Indulgentiis plenariis electum est festum S. Joannis Baptistae: Et quatuor Dominicae quatuor temporum pro consequendis Indulgentiis 7. annorum, et totidem quadragenarum.

Fr. Martinus Borhovich E.
Ep'pus Zagrabiensis

II. Clemens XIV. litteris incip. *Omnium saluti* de dato Romae die 2. Martii 1772. concessit Altare Confraternitatis privilegiatum pro Confratribus hujus Sanctissimi Corporis Christi Confraternitatis pro tota octava Commemorationis Omnium fidelium defunctorum, ac feria 5'ta cujuslibet hebdomadae ad septennium. Altera Confraternitatis est Sacratissimi Rosarii B. V. Mariae, quae anno 1734. de licentia R'mi P. Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum P. Thomae Ripoll, ac consensu R'mi D. Ordinarii die 2. mensis Maji inter tubarum clangorem, et tormentorum explosionem magno cum populi concursu ab A R P. Ludovico Stadler Ordinis Praedicatorum p. t. Claustri Neoclaustrensis Priore actuali sub Guardiano et Fortalitii Parocho P. Cosma Tauber tamquam auctore, et Promotore publicè in Ecclesia nostra Parochiali Sanctissimae Trinitatis ad Altare B. V. Mariae in praesentia praedictae Archi-Confraternitatis Syndicorum p. t. existentium Praenobilium, ac Generosorum Dominorum Antonii Josephi Schenk S. C. R'taeque Maj.

Campi-Scribae in *Sichelburg*, et *Sluin*, et Martini Gutterer vexilli germanici in fortalitio Carlostadiensi annonae Provisoris perorante in idiomate germanico eodem ARP. Ordinis Praedicatorum hujus Confraternitatis installatore, solemniter introducta fuit.

III. Concessio porro instituendae Confraternitatis â R'mo P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum impetrata sequentis est tenoris:

In nomine Sanctissimae Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et ad laudem, et gloriam Beatissimae Dei Genitricis Mariae D. N. piamque venerationem D. P. N. Dominici Ss. Rosarii auctoris, atque institutoris.

FR' THOMAS RIPOLL Sacrae Theologiae Professor, Ordinis Praedicatorum humilis Magister Generalis, et Servus omnibus praesentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Quēadmodum[652] Christianae perfectionis Summam in unitate fidelium ad Christum, veluti membrorum ad caput, omnium perfectionum fontem, nec non unione Christianorum ad invicem, consistere credimus: ita ad illam adipiscendam, optimum esse orationis medium, ratione, et experientia piè edocemur. Modus verò Deum orandi, secundum quem Ss. Virgo Maria Mater Dei per centum quinquaginta salutationes Angelicas, et quindecim Dominicas orationes, instar Davidici Psalterii colitur, qui Rosarium nuncupatur, â Ss. Patre Nostro Dominico primum inventus, et institutus, et â Summis Romanis Pontificibus successive ad devotam Patrum nostri Ordinis intercessionem approbatus, privilegiis quoque maximis, ac innumeris Indulgentiis, aliisque Apostolicis gratiis decoratus, inter caeteros in Ecclesia inventos, ad hoc obtinendum (ut piè credimus) magnopere confert; nam praeter hoc, quod beatissima Dei Genitrix, cujus intercessio nobis perfectionem hanc impetrare potest, ibi crebrius invocatur, ipse quoque per se modus orandi (si recte fiat) quam facillime compendio illam consequitur, dum Jesu Christi Salvatoris Nostri vitam omnem per quindecim mysteria digestam meditando percurrere facit. Quae vos in Christo dilectissimi, et devotissimi Christifideles loci Carlostadiensis Fortalitii in Croatia pie considerantes, ad habendum, augendum, et conservandum praedictum modum orandi, confraternitatem Psalterii, seu Rosarii sub invocatione B. Mariae Virginis in Ecclesia Parochiali Ss'mae Trinitatis dicti loci instituendi, ordinandi, ejusque altare, et Capellam fundandi, et erigendi â nobis instantissimè petivistis per interpositam personam, vobis licentiam impartiri cum gratiis, et favoribus opportunis. Nos igitur vestris votis, et piis petitionibus inclinati, dictam Confraternitatem, sicut praefertur, instituendi, auctoritate Apostolica nobis concessa tenore praesentium licentiam concedimus, et facultatem accedente tamen assensu Ordinarii loci, ac Prioris vicinioris Conventus, seu loci Ordinis nostri, ac media praedicatione alicujus Patris ejusdem Ordinis nostri per suum Superiorem destinandi, et dummodo in dicto loco alia Confraternitas Sanctissimi Rosarii legitimè erecta non fuerit, Eamque Confraternitatem, atque omnes utriusque sexus Christi fideles in eamdem recipiendos cum gratiis, et Indulgentiis sibi â

1108

Romanis Pontificibus concessis, prout aliae consimiles Confraternitates in Ecclesiis nostri Ordinis institutae potiuntur, recipimus, et admittimus in vita pariter, et in morte. Admonentes ejusdem Sanctissimi Rosarii festum prima Dominica mensis Octobris in singulis annis in eadem Capella celebrari debere juxta fel. record. Gregorii XIII. Decretum, et institutum in gratiarum actionem praeteritae, ac memorandae Victoriae contra Turcas, ejusdem Societatis Confratrum fusis precibus eadem die (ut piè credimus) ac auxilio, et interventu ejusdem beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae impetratae, atque obtentae. Cujus Societatis, et Capellae Capellanum deputamus R. P. Guardianum Parochum ibidem, qui nomina, et cognomina omnium Christifidelium in eamdem Societatem ingredi, et devotè recipi petentium, in libro ad hoc specialiter deputato possit scribere, Psalteria, seu Coronas benedicere Sacri Rosarii mysteria reverenter exponere, ac omnia, et singula facere, quae Fratres nostri in Ecclesiis ad hoc deputati facere possunt, et ritè consueverunt, in diem Christi ejusdem conscientiam onerantes, ne pro admissione, ingressu, Scriptura, et benedictione aliquid omnino temporalis lucri quomodolibet exigat, sed gratis haec omnia praestet, quemadmodum ipsius piae Societatis capitula habent, et sanctiones, uti etiam nos in Dei cultum, ejusque Sanctissimae Matris gloriam, et Christifidelium salutem, et profectum gratis accepimus, et gratis damus, et concedimus. Volumus autem, et omnino observari jubemus, quod in Vener. Icone dictae Capellae quindecim nostrae redemptionis Sacra Mysteria pingantur, nec non pro hujusce concessionis consentanea recognitione in eadem Icone Divi P. N. Dominici ejusdem Rosarii primarii auctoris Imago veneranda flexis genibus de manu Deiparae Virginis coronas oratorias accipientis similiter pingatur. Notumque facimus, Paulum Papam V. fel. rec. per suum Breve datum Romae apud S. Marcum die 20. Sept. 1608. restituisse Societati Sacratissimi Rosarii, confirmasseque omnes Indulgentias concessas eidem â Summis Pontificibus Romanis Praedecessoribus suis, quibus hactenus dicta Societas favebatur, ac si litterae revocationis earumdem non emanassent; sicut etiam Innocentium XI. in suo Brevi dato Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 31. Julii 1679. gratias, et privilegia non auxisse solum, sed etiam omnium Indulgentiarum Summarium eidem Brevi inseruisse. Decernimus insuper, et declaramus postremò, quandocunque contigerit dictos Fratres nostros ibidem Ecclesiam obtinere, ipso jure ipsoque facto ex nunc pro tunc absque alia declaratione, sed praesentium tenore dictam Societatem, ac omnes Indulgentias, et privilegia eidem concessa, ablata esse â dicta Capella, et penitus atque totaliter ad dictam nostram Ecclesiam translata cum omnibus bonis temporalibus dictae Societati quomodolibet acquisitis quam conditionem Superiores, et Officiales tam Ecclesiae praedictae, quam Confraternitatis admittere, et manu propria subscribere te-

neantur, quae omnia in Instrumento publico manu Notarii faciendo poni debent, et explicari. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen. quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem his patentibus litteris, Officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus. Gratias ubique, et semper. Datum Romae die 30. mensis Januarii Anni 1734. Assumptionis nostrae Anno decimo tertio.

FR Thomas Ripoll
Magister Gn'lis Ordinis (L. S.)

Reg. fol. 4.
Fr' Constantinus Lemmichen
Magister, et Socius

1734. 14. Aprilis Zagrabiae. Concedimus facultatem Congregationem Sacratissimi Rosarii in Ecclesia Parochiali Ss'mae Trinitatis Carlostadii in Archidiaconatu Goricensi, et Dioecesi hac Zagrabiensi fundata erigendi, et fidelibus publicandi. Servatis, ut suprà.

Sigismundus L. B. Sinersperg Praepositus Major,
et Vicarius Generalis.

IV. Cum autem saepius impedimenta occurant, ut solus Praeses, nempe P. Guardianus, qui Praeses Confraternitatis institutus fuit, omnia peragere nequeat, fuit denuo eidem R'mo Magistro Generali Ordinis Praedicatorum supplicatum, quatenus P. Praesidi licentiam impertiri dignaretur tempore legitimi impedimenti alium Sacerdotem substituendi pro praedictis muniis obeundis, licentiam petitam Praeses obtinuit sequenti sub tenore:

Nos FR THOMAS RIPOLL S. Theologiae Professor,
ac totius Ordinis Praedicatorum humilis Magister
Generalis, et Servus. Omnibus praesentes inspecturis
Salutem in Domino sempiternam.

Quandoquidem ordinarius director Confraternitatis Ss. Rosarii in Ecclesia Parochiali, et Conventuali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci in regno Croatiae in Civitate Carlstadt ob distantiam locorum per se ipsum nequit sufficere ad impertiendam Fratribus, et Sororibus dictae Confraternitatis ex hac vita decedentibus absolutionem Generalem, ne illi hoc Spirituali gratiarum thesauro priventur, Nos harum serie, et auctoritate Apostolica nobis concessa damus facultatem, illis sacerdotibus Confessariis, quos Ordinarius director, dum ipse impeditus fuerit, ad id muneris designaverit, ut fideles utriusque sexus id flagitantes ad praefatam Confraternitatem recipere, ad Album Marianum inscribere, ipsisque Fratribus, et Sororibus in articulo mortis Indulgentiam plenariam â Summis Pontificibus concessam, media consueta forma absolutionis generalis applicare valeant. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem has manu propria subscriptas sigillo Officii nostri muniri jussimus. Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae super Minervam die 21. Decembris A. D. 1743. Assumptionis nostrae XIX.

(L. S.) Fr' Thomas Ripoll Mag'r Ord. Regist. pag. 26.
Fr' Emericus Langenwalter Mag. et Socius

1110

V. Tertia Confraternitas est S. Antonii de Padua, quae anno 1743. die 30. Novembris auctoritate Benedicti XIV. erecta fuit, festum Principale fuit â R'mo D. Ordinario loci D. Georgio Braniukh determinatum festivitas S. Antonii, pro 4. minoribus festis assignati erant dies S. Andreae Apostoli, fer. 3. Paschatis fer. 3. Pentecostes, et dies S. Mariae Magdalenae. Quia verò Fratres deperdito Brevi Benedicti XIV. timebant, ne Confraternitas S. Antonii in dubium vocaretur, aut omnino cassaretur, aliud Breve â Clemente XIV. obtinuerunt incip. *Cum sicut accepimus* datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 10. Novembris 1773. in quo Pontifex praedicta festa pro lucrandis Indulgentiis tam plenaria, quam septem annorum, et totidem quadragenarum ipsemet assignat. Caeterum hoc Breve quoad substantiam coincidit cum Brevi pro Confratribus Ss'mi Corporis Christi expedito, et supra n. 1. allato hinc brevitatis gratia hoc adducere superfluum esse judicavi. Idem Pontifex die 16. Novembris ejusdem anni 1773. suis litteris *Omnium Saluti* concessit altare S. Antonii pro Confratribus privilegiatum in fer. 3^{tia}.

VI. Quarta Confraternitas est S. Joannis Nepomuceni Sacramentalis silentii invicti assertoris, et specialis fama periclitantium Patroni, quae anno 1751. auctoritate Benedicti XIV. Summi Pontificis Bulla incip. *Cum sicut* de dato Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 2. Martii erecta fuit. Vicarius Generalis Zagrabiensis Breve Pontificium publicari indulsit, ac pro lucrandis Indulgentiis (Quae eaedem sunt, quae superius pro Confratribus Ss'mi Corporis suprà concessa leguntur) festa designavit his verbis: *1751. 30. Aprilis. Praesens Breve cum conditionibus, et facultatibus, uti supra, publicari conceditur, ac pro principali festo ejusdem Confraternitatis dies S. Joannis Nepomuceni pro aliis autem quatuor privilegiatis diebus 1mo festum Epiphaniae Domini. 2do festum Inventionis S. Crucis. 3^{tio} festum Stephani Regis. 4to festum S. Emerici Ducis designantur per me = Wolffgangum Kukulievich Vicarum Generalem = loco festi Inventionis S. Crucis velut alias impediti substituitur festum S. Ladislai Regis = Idem m'ppa =.* Idem Pontifex sub eadem die, et anno concessit Altare S. Joannis Nepomuceni privilegiatum pro una feria (ab Officio Episcopali determinata fuit feria 4ta) cujuslibet hebdomadae pro defunctis Confratribus, et Consororibus praedictae Confraternitatis sine determinatione temporis.

VII. Quinta Confraternitas est Mortuorum sub invocatione S. Dismae paenitentis cum Christo Crucifixi latronis, quae anno 1772. auctoritate Clementis XIV. Brevi incip. *Cum sicut* de dato Romae die 10. Martii erecta fuit. Haec itidem Bulla quoad Indulgentias coincidit cum Bulla pro Confratribus Ss'mi Corporis expedita, quae proin ibidem videndae erunt, praeterquam quod in Brevi memoratae Indulgentiae, peccatorum remissiones, et paenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari valeant, ac possint. Festum principale ipsemet Ponti-

fex designavit festum S. Dismae, minus principalia Ordinario designanda reliquit, quae sub hoc tenore designata erant: *1772. 9. Aprilis. Ut praesentes universis Christifidelibus promulgari possint facultatem in Domino concedimus, dies autem per Sanctissimum non designatos, verum arbitrio Ordinarii relictos sequentes designamus: festum S. Margaritae de Cortona, Dominicam Passionis, festum S. Mariae Magdalenae, et festum decollationis S. Joannis Baptistae. Zagrab. etc. Franciscus Popovich Vicarius Generalis Capitularis.*

VIII. Quia autem Confratres Confraternitatis S. Dismae plures Missas per annum pro defunctis celebrandas ordinaverant, supplicarunt Clementi XIV. quatenus quamlibet Aram pro iisdem defunctis privilegiatam benigne concederet, qui eorum votis sequenti in perpetuum valitura constitutione annuit:

CLEMENS P. P. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut pro parte dilectorum filiorum Officialium, et Confratrum Confraternitatis Christifidelium defunctorum sub invocatione Sancti latronis cum Christo crucifixi in Parochiali Ecclesia Sanctissimae Trinitatis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum loci Carlostadii in castro Regio fortalitio nuncupato Zagrabiensis Dioecesis canonicè, ùt asseritur, erectae Nobis nuper expositum fuit, ipsi nonnullas Missas pro anima cujuscunque Confratris, et Consororis Confraternitatis hujusmodi ex hac luce migrante, tam in eorum obitus, et depositionis, quam in anniversariis, aliisque per annum diebus celebrari facere soleant, seu intendant: Nobis propterea eorumdem exponentium nomine humillime supplicatum fuit, ut Missas hujusmodi caelestium munerum, quorum dispensationem fidei nostrae credidit Altissimus, elargitione condecorare dignaremur. Nos piis eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut omnes, et singulae Missae, quae in obitus, et depositionis cujuslibet ex Confratribus, et Consororibus hujusmodi, nec non in anniversariis, aliisque per annum diebus pro anima cujuslibet ex Confratribus, et Consororibus Confraternitatis praedictae, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad quodlibet Altare dictae Ecclesiae celebrabuntur, animae, seu animabus, pro qua, seu quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstante, quatenus opus sit, nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die X. Martii MDCCLXXII. Pont. nostri anno tertio.

A. Card. Nigronus

1772. 9. Aprilis, ut praesentes (in quantum legitimè expeditae dignoscuntur, eisdemque veritas suffragatur) universis Christifidelibus promulgari possint, facultatem in Domino concedimus. Zagrabiae

Franciscus Popovich Sede Episcopa-
li vacante Vicarius Gn'lis Capitularis.

1112

§. II.
De Confraternitate pro speciali arte erecta, de Sacris Reliquiis, aliisque piis exercitiis.

I. Unica est Confraternitas, quae pro hominibus specialis artis nempe textoriae sub invocatione S. Annae Matris Beatissimae Virginis Mariae auctoritate Benedicti XIV. Brevi incip. *Cum sicut* de dato Romae die 19. Junii anno 1750. erecta fuit, et ab eodem Pontifice variis Indulgentiis condecorata, ut ex ejusdem Brevi desumitur, quod hujus est tenoris:

BENEDICTUS P. P. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in Ecclesia Sanctissimae Trinitatis Fratrum Ord. Min. S. Francisci Strict. Observ. nuncupatorum, Oppidi Civitatis etiam nuncupati Carlostadii Zagrabien. Dioecesis una pia, et devota utriusque sexus Christifidelium artis textoriae tantum, vulgo de dessitori nuncup. Confraternitas sub invocatione S. Annae canonicè erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, et Consorores quamplurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt, seu intendunt. Nos, ut Confraternitas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac B. B. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christifidelibus textoribus tantum, qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè paenitentes, et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam: ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus, et Consororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè quoque paenitentes, et confessi, ac Sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam plenariam, nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis Confratribus, et Consororibus etiam verè paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis, qui praedictae Confraternitatis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium die festo principali dictae Confraternitatis per eosdem Confratres semel tantùm eligendo, et ab Ordinario approbando â primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper

dictis Confratribus, et Consororibus verè pariter paenitentibus, et confessis, ac Sacra communione refectis Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis Dominicis diebus per memoratos Confratres semel tantùm etiam eligendis, et ab eodem Ordinario approbandis, ùt supra visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas: quoties verò Missis, et aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Capella, vel Oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint: nec non etiam, qui corpora defunctorum tam Confratrum, et Consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, et quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti campanae ad id signo dato semel orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et salutationem easdem pro animabus defunctorum Confratrum, et Consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus post praesentem annum Jubilaei perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus, et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes nullae sint: utque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, aut imposterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores, et quaevis aliae litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso pariter nullae sint. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dioecesis sub annulo Piscatoris die XIX. Junii MDCCL. Pontificatus nostri anno decimo.

Pro Domino Cardinali Passioneo
Joannes Hosius Substitutus.

1750. 12. Julii Zagrabiae. Praesens Indulgentia pro Confraternitate S. Annae expedita, praesentata est. Confratres, et Consorores ejusdem Confraternitatis singula die orabunt ter Pater, et Ave. Pro lucranda verò Indulgentia praeter diem Sanctae Annae S. Valentini Martyris, Inventionis S. Crucis, S. Joachimi, et S. Elisabethae Reginae Hungariae dies designantur.

Adam Stipanich
Pro-Vicarius Generalis.

II. Clemens XIV. ex Ordine Minorum ad Apostolatûs apicem assumptus concessit suis litteris incip. *Omnium saluti* datis Romae 1. Octobris 1772. altare S. Annae privilegiatum pro defun-

ctis Confratribus textoribus per totam Octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum, et pro una feria cujuslibet hebdomadae; feria 6'ta designata fuit ab Officio Episcopali. Pluribus Sanctorum Reliquiis haec Ecclesia exornata existit, quarum praecipuae sunt *1'mo* S. Joannis Nepomuceni. *2'do* S. Antonii de Padua. *3'tio* Ex Carne B. Odorici Ord. Min. Conv. cum authentica. *4'to* Ex ossibus S. Jucundi Martyris. *5'to* de Cilicio S. Mariae Magdalenae de Pazzis. *6'to* Ex ossibus S. Petri Regalati Conf. Ord. Min. In separato Ostensorio reperiuntur reclusae sequentes particulae *1'mo* Particula S. Crucis. *2'do* de Pallio S. Josephi. *3'tio* de Velo Beatissimae Virginis Mariae. *4'to* Particula S. Annae.

III. In hoc Conventu quatuor sunt Verbi Dei Praedicatores, quorum duo in lingua Croatica, alii duo in idiomate germanico singulis diebus Dominicis, et festivis populo Verbum Dei annuntiant. Praeterea diversi tribus suas speciales statis temporibus habent devotiones cum Missis solemnibus, et concionibus Via S. Crucis quolibet mense per annum publicè praeeunte, et Mysteria Passionis Dominicae praelegente in idiomate Croatico ducitur: in quadragesima verò non tantum privatim diligenter frequentatur, sed etiam publice bina vice in septimana semel Croaticè, et semel germanicè per Concionatorem germanicum obiri consuevit.

Caput X.
Catalogus Fratrum in hoc Conventu pie in Domino defunctorum.

1664. 6. Oct. Rel Fr' Martinus Lok laic. Carn. an. Rel. 22.
1666. 19. Mart. MVP. Raphael Vucich Guard. act. ann. Rel. 14.
1667. 16. Oct. A.V.P. Franciscus Benkovich Ex-Diff'or, et Guard. act.
1674. 18. Mart. Rel. Fr' Petrus Herant laic. ann. Rel. 20.
…… 2. April. V.P. Franciscus Untersinger Carn. Camnic. An. Rel. 9.
1677. 15. Mart. VP. Timotheus Berlin
1681. 12. Nov. Rel. Fr' Daniel Nicolà laic. Carn. Labac. an. Rel. 14.
1682. 5. Feb. VP. Michael Rezze Carn. Crainb. Org. ann. 42. Rel. 21.
1683. 12. Sept. V.P. Elias Kaydasch Carn. Lab. an. 28. Rel. 9,
1684. 29. Jun. Rel. Fr' Franciscus Siermon laic.
1687. 18. Apr. V.P. Ladislaus Thiel Con'or germ.
1689 11. Jun. V.P. Alexius Schuriza Carn. ann. Rel. 10.
…… 14. Nov. M.V.P. Antonius Baldin saepius Guard. an. 56. Rel. 32.
1691. 8. Feb. V.P. Melchior Mulich Salcan. ann. 45. Rel. 21.
…… 20. Sept. VP. Franciscus Grandoviz Carn. Obergurg.[653] fuit in saeculo Sacerdos ann. 54. Rel. 14.
1694. 11. Martii VP. Thomas Napast Carn. Lab. an. 36. Rel. 11.
1698. 8. Aug. V.P. Henricus Bukovich Labac. an. 45. Rel. 25.

1699. 2. Jan. V.P. Samuel Jancovich Croat. Carl. an. 34. Rel. 10.
1702. 25. Nov. Rel. Fr' Longinus Mayr laic. an. Rel. 13.
1705. 25. Sept. Rel. Fr' Crispinus Gschwendtner laic. ann. Rel. 49.
1706. 18. Dec Rel. Fr' Accursius Hochwindt laic. an. 47. Rel. 22.
1709. 22. Jan. Rel. Fr' Damasus Luderer laic. ann. rel. 19.
…… 28. Feb. A.V.P. Carolus Janesitsch Croat. Carlost. saepius Guard. Ex-Diff'or ann. Rel. 28.
1710. 9. Apr. Rel. Fr' Vitus Mersnigk Carn. Cler. Theol. Mor. studens ann. Rel. 4.
…… 15. Julii R.P. Casimirus Dimiakovich Croat. Jasken. Con'or, Lect. Gen. Ex-Diff'or, et Ex-Cust. an 73. Rel. 51.
1712. 5. Nov. V.P. Franciscus Muhoviz. fuit in Saeculo Sacerdos Bershezens. ann. 34. Rel. 9.
…… 23. Nov V.P. Agricola Resch Bavar. ann. 41. Rel. 23.
1713. 9. Jan. Rel. Fr' Thaddaeus Wagner laic. Bav. an. 26. Rel. 3.
1715. 4. Aug. Rel. Fr' David Koss laic. Carn. Locopolit. an. Rel. 51.
…… 25. Sept. Rel. Fr' Innocentius Schlangenburg laic. ann. 62. Rel. 39.
1717. 19. Martii V.P. Philippus Bachin Croat. Carlost. Conc. Croat. act. ann. 34. Rel. 12.
1719. 3. Oct. V.P. Paulus Rugenstetter Salisburg. an. 37. Rel. 15.
1720. 11. Nov. Rel. Fr' Isaac Irlich laic. Labac. ann. Rel. 38.
1721. 13. Maji Rel. Fr' Hieronymus Mottschnig laic. an. Rel. 48.
1722. 12. Aug. MVP. Edmundus Fischer Bavar. ann. Rel. 34.
1723. 17. Dec. VP. Hypolithus Gollob Gorit. ann. 41. Rel. 22.
1725. 12. Sept. Rel. Fr' Augustinus Merz laic. ann. Rel. 25.
1727. 9. Dec. Rel. Fr' Stephanus Videss laic. ann. Rel. 46.
1728. 1. Aug. MVP. Agnellus Hellmayr fuit Guard. et Vicar. ann. 62. Rel. 44.
1730. 18. Feb. V.P. Ambrosius Aver Conc. et lect. ann. 27. Rel. 11.
…… 12. Oct. V.P. Joachimus Possaviz Carn. Labac. ann. 41. Rel. 15.
1731. 12. Sept. V.P. Balthasar Koch Bavar. Vicar. an. 52. Rel. 32.
…… 3. Sept. VP. Franciscus Waltreich Tyrol. Conc. act. germ. an. 35. Rel. 14.
1737. 29. Jan. MVP. Lambertus Zellner Bavar. Conc. et Guard. ann. 64. Rel. 46.
1738. 16. Dec. Rel. Fr' Agapitus Eggermann laic. Helveta ann. 67. Rel. 38.
1739. 8. Jan. Rel. Fr' Wilhelmus Wizenstein laic. Carn. an. 64. Rel. 45.
1741. 25. Dec. Rel. Fr' Antonius Schöller laic. an. Rel. 47.
1743. 26. Mart. Rel. Fr' Dominicus Heimerle laic. Bav. Org. an. 60. Rel. 37. exemplaris erat, et extraordinariae vitae, Sanctitatis specimina post mortem et in vita reliquit.
…… 23. Apr. VP. Laurentius Ukmayr Carn. Vipac. an. 30. Rel. 10.
1745. 15. Feb. Rel. Fr' Job Sorger laic. Bohem. an. 58. Rel. 23.
…… 19. Oct. MVP. Ernestus Khallan Carn. Locopolit. Con'r, lect. Theologus, Guard. ann. 50. Rel. 30.
1746. 11. Nov. V.P. Hugo Podmaiz Carn. ann. 66. Rel. 40.

1747. 18. Nov. Rel. Fr' Albertus Schunder laic. Bav. an. 33. Rel. 9.
1749. 12. Apr. Lactantius Schweiger laic. Bav. an. 66. Rel. 41.
…… 26. Apr. V.P. Alexius Trost Carn. Labac. ann. 66. Rel. 44.
…… 9. Maji Rel. Fr' Gorgonius Zobel laic. Tyrol. an. 44. Rel. 16.

1116

…… 17. Maji Fr' Isaac Kyrian Tert. ann. 44. Rel. 17.
1750. 23. Mart. MVP. Damasus Pasquan Tersact. Con'r Croat. et Guard. ann. 57. Rel. 34.
…… 28. Maji MVP. Vitus Praepeluch Conc. ann. 42. Rel. 25.
…… 23. Aug. VP. Stanislaus Abulner, plurib. annis Conc. Croat. ann. 63. Rel. 43.
1751. 8. Oct. Rel. Fr' Marcellus Kunst laic. Morav. an. 48. Rel. 24.
1753. 6. Nov. Rel. Fr' Joannes Singer laic. ann. 55. Rel. 25.
1754. 4. Sept. MVP. Xaverius Rutter Tyrol. ann. 50. Rel. 32.
1755. 25. Mart. Rel. Fr' Petrus Bernhardt Styr. ann. 51. Rel. 27.
1756. 23. Jun. A.V.P. Aloysius Mayrhoffer Tyrol. Conc. lect. Gn'lis, iterato Diff'or act. an. 62. Rel. 47.
1757. 25. Oct. Rel. Fr' Massaeus Heider laic. ann. 54. Rel. 32.
1758. 13. April. Rel. Fr' Cassianus Lohn laic. Tyrol. an. 58. Rel. 32.
1759. 26. Aug. MVP. Honorius Kopfer Carn. Locopolit. saepius Vic. et Guard. ann. 63. Rel. 46.
…… 8. Sept. V.P. Demetrius Carmel ann. 48. Rel. 28.
1762. 15. Feb. AVP. Cosmas Tauber Labac. Conc. bis Ex-Diff'or hujus Conv. per 18. annos Guard. ann. 80. Rel. 63.
1764. 18. Feb. MVP. Paschalis Novak Neostad. an. 71. Rel. 52.
1767. 28. Apr. VP. Felicissimus Urich Styr. Runen. an. 30. Rel. 12.
…… 9. Dec. Rel. Fr' Octavianus Schäfer laic. Suevus an. 62. Rel. 34.
1769. 21. Feb. V.P. Casimirus Gallich Croat. Carl. an. 49. Rel. 31.
1771. 27. Maji MVP. Germanus Paulitsch Con'r, Guard. Carn. an. 61. R. 44.
1772. 26. Jul. Rel. Fr' Venantius Gottschever laic. Carn. an. 52. Rel. 30
1774. 13. Jun. R.P. Athanasius Kautschitsch Con'or, lect. Gener. Ex-Diff'or, et Cust. act. Carn. Idriens. an. 50. Rel. 30.
1775. 15. Sept. Rel. Fr' Beatus Isaac laic. Carint. an. 67. Rel. 45.
…… 16. Nov. Rel. Fr' Pontianus Pöhm laic. Carn. Lab. an. 50. Rel. 32.
…… 1. Dec. Rel. Fr' Urbanus Grimbschitsch laic. Carn. an. 57. Rel. 33.
1776. 26. Oct. Rel. Fr' Norbertus Schweinperger laic. Mindelheimen. qui sub actuali exercitio S. Viae Crucis, quam multis annis quotidie peragere consueverat, apoplexia tactus obiit, annos natus 72. Rel. 47.
1778. 22. Aug. MVP. Juvenalis Smodin Carn. Labac. Con'or, lect. Gener. saepius Guard. ann. 59. Rel. 43.
1780. 28. Dec. Rel. Fr' Pancratius Starmonn Carn. Locopol. laic. sart. Relig. Jubil. ann. 76. Rel. 51.
1782. 6. Mart. Rel. Fr' Agapitus Öffner Tyr. Oenip. laic. Chyr. ann. 61. Rel. 39.
1783. 31. Aug. MVP. Severus Sever Con'or, et act. Guard. Jask. Carn. Tschernuz. an. 48. Rel. 30.
1785. 30. Jan. RP. Alphaeus Gaber Carn. Locop. Con'r ord. germ. et scholae Norm. Prof. ann. 38. Rel. 18.
1786. 17. Feb. RP. Amandus Voitschiag Carn. Gottscheu. saep. Vic. ac Guard. Sac. Jub. ann. 75. Rel. 56.

…… 15. Mart. RP. Laurentinus Smreker Carn. Neost. Con'or Croat. ann. 30. Rel. 11.
…… 10. Jul. RP. Venantius Suppan Carn. è S. Cruce ann. 67. Rel. 44.

Caput XI.
Elenchus omnium Patrum Guardianorum hujus Carlostadiensis Conventus.

M.V.P. Bonifacius de Ragusa 1658. 1659.
M.V.P. Franciscus Benkovich Con'or 1660.
M.V.P. Bonifacius Priuchich Con'or, lect. 1661.
M.V.P. Franciscus Flego 1662. 1663.
M.V.P. Franciscus Benkovich Con'or Gener. el. 21. Apr. 1664.
M.V.P. Vitalis Majeritsch el. 16. Nov. 1664. 1665.
M.V.P. Raphael Vucich 1666.
A.V.P. Franciscus Benkovich Con'or Gn'lis, Ex-Diff'or 1667.
M.V.P. Joannes Baptista Brulich 1668. 1669.
M.V.P. Leopoldus Borkovich Con'or 1670. 1671. 1672.
M.V.P. Joannes Baptista Brulich Con'or 1673.
M.V.P. Eugenius Weilhard Con'or, lect. 1674.
M.V.P. Wolffgangus Kohl Con'or 1675.
M.V.P. Vincentius Lampretich Con'or 1676.
M.V.P. Eugenius Weilhard Con'or, lect. 1677.
M.V.P. Paulus Surian Con'or 1678. 1679. 1680.
M.V.P. Antonius Baldin 1681.
A.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or, bis Ex-Diff'or 1682.
M.V.P. Henricus Fabiani Con'or, lect. 1683.
M.V.P. Zacharias Battich Con'or 1684. 1685. 1686.
M.V.P. Vincentius Lampretich Con'or 1687.
M.V.P. Antonius Baldin Con'or 1688. 1689.
M.V.P. Fridericus Codelli Con'or 1690.
M.V.P. Franciscus Scalletari Con'or, et lect. 1691. 1692.
M.V.P. Carolus Janesitsch Con'or, et lect. 1693. 1694.
R.P. Ferdinandus Stadler Con'r, lect. Thl'gus, Ex-Diff'or, Ex-Cust. 1695.
M.V.P. Carolus Janesitsch Con'or, et lect. 1696. 1697. 1698.
R.P. Ferdinandus Stadler Con'r, lect. Thl'gus, Ex-Diff'or, Ex-Cust. 1699.
M.V.P. Wenceslaus Muchizh Con'or 1700.
M.V.P. Carolus Janesitsch Con'or, et lect. 1701.
M.V.P. Dominicus Pillepich Con'or 1702. 1703. 1704.
A.V.P. Carolus Janesitsch Con'or, lect. Ex-Diff'or 1705. 1706. 1707.
M.V.P. Maximus Ruesch Con'or, lect. Gener. 1708.
M.V.P. Paulus Paur 1709.
M.V.P. Sigismundus Babel Con'or 1710. 1711. 1712.
M.V.P. Seraphinus Vogel Con'or 1713.
M.V.P. Sigismundus Babel Con'or, lect. 1714. 1715. 1716.
M.V.P. Agnellus Hellmayr Con'or 1717.
M.V.P. Lambertus Zelner Con'or 1718. 1719.

A.V.P. Sigismundus Babel Con'or, Ex-Diff'or 1720. 1721. 1722.
M.V.P. Silverius Vidig 1723.
M.V.P. Cosmas Tauber Con'or 1724. 1725. 1726.
M.V.P. Servulus Callin Con'or, lect. Thlgus 1727.
M.V.P. Cosmas Tauber Con'or 1728. 1729. 1730.
M.V.P. Ildephonsus Pomayr Con'or 1731.
M.V.P. Cosmas Tauber Con'or 1732. 1733. 1734.
M.V.P. Richardus Isenhausen Con'or 1735.

1118a

M.V.P. Cosmas Tauber Con'or 1736. 1737. 1738.
M.V.P. Franciscus Corradini Con'or, Ss. Theol. lect. 1739. 1740. 1741.
M.V.P. Ernestus Kallan Con'or, lect. Thl'gus 1742. 1743. 1744.
A.V.P. Aloysius Mayrhoffer Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1745. 1746. 1747.
A.V.P. Cosmas Tauber Con'or, Ex-Diff'or 1748. 1749. 1750.
A.V.P. Aloysius Mayrhoffer Con'or, lect. Gener. Ex-Diff'or 1751. 1752. 1753.
A.V.P. Cosmas Tauber Con'or, iterato Ex-Diff'or 1754. 1755. 1756.
M.V.P. Juvenalis Smodin Con'or, lect. Gn'lis 1757. 1758. 1759.
A.V.P. Archangelus Michelitsch Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1760. 1761.
M.V.P. Otho Sprug Con'or, lect. Gn'lis 1762. 1763. 1764.
M.V.P. Athanasius Kautschitsch Con'or, lect. G'lis 1765. 1766. 1767.
M.V.P. Eugenius Laver Con'or 1768.
M.V.P. Jordanus Zirrer Con'or, lect. Thl'gus 1769.
M.V.P. Jacobus Wocalitsch Con'or 1770.
M.V.P. Chrysostomus Pogatschnig Con'or 1771. 1772. 1773.
M.V.P. Cherubinus König Con'or, lect. Gn'lis 1774. 1775. 1776.
M.V.P. Abundus Pilpach Con'or, Ss. Thl'giae lect. 1777. 1778. 1779.
MVP. Joan. Nepomucenus Wallensperg Conc. Ss. Thl'giae lect. 1780.
MVP. Abundus Pilpach Con'or, Ss. Th. lect. 1781.
MVP. Conradus Branca Con'or lect. G'lis 1782. 1783. 1784.
RP. Bernardus Garzarolli Con'or, Ss . Th. lector 1785. 1786. 1787.
[Hoc anno Guardiani ex aliquo statuto Capitulari R'ndi titulo donati sunt.][654]
RP. Benno Mayr: Organ. qui virtute Decreti Caesarei, ceu principalis tum Conventus in Croatia Guardianus et Vicarius Provincialis defuncto interim Mn'ro Provi'ali P. Conrado esse debuit. 1788. 1789. 1790.
P. Carolus Novak Df'tor[655] 1791. 1792. 1793. 1794.
M.V.P. Urbanus Czaczerich Con'r. 1795. 1796.
M.V.P. Valentinus Flek Con'r qua praesidens 1797. 1798. qua guardianus 1799.
A.V.P. Benno Mayr Ex-Minister qua praesidens 1800. 1801. 1802. qua guardianus 1803. 1804.
M.V.P. Bonaventura Hillebrand Con'r 1805.
M.V.P. Emericus Gradczky 1806. 1807. 1808.
M.V.P. Chrysostomus Fogh Con'r, Lect. Phl'iae 1809. 1810. 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816. 1817.
M.R.P. Emericus Gradczky Con'or 1818. 1819. 1820.
Deinde[656] eligebantur tempore Capituli v. Congregationis ordinariè mense Aug. v. Septembri.
Anno 1820. M.R.P. Athanasius Saitz, Paroch. Adm. 1821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832.

Sigillum[657]

Conventus Carlostadiensis praesefert Imaginem Ss'mae Trinitatis, sub qua ex una parte stat S. Michael stateram in manutenens, ex altera S. Franciscus Crucem in manu gestans cum sequenti in orbem inscriptione: SIG. SS'MAE TRINIT. CONVENT. CARLST.

9. Apr. 17[~~79~~]80.[658]

1118b

Continuatur series Guardianorum Conv. Carolostadiensis

Anno[659] 1832 A.R.P. Chrysostomus Fogh, Deftor., Paroch. Administrator, 1833. 1834. 1835.

Anno 1835 A.R.P. Athanasius Saiz, Par. Adm. 1836. 837. 838. 839. 840. 841. 842.

Anno 1842. M.R.P. Augustinus Večerina, Paroch. Adm. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857, quo anno mortuus est.

Anno 1857. M.R.P. Barnabas Palyuk, Paroch. Adm. Praesid. 1858. 1859, Guardianus 860. 861, die 4. Sept. mortuus est.

Anno 1862. A.R.P. Nemesianus Smolković, Paroch. Adm. Df'tor 1863. 1864. 1865. usque ad Cap.

Anno 1865. M.R.P. Georgius Novak, Paroch. Adm. 1866. 867. 868. 1869, quo anno saecularisatus est.

Anno 1869. A.R.P. Nemesianus Smoković, Paroch. Adm. 1870. 1871. 1872. usque ad Congreg.

Anno 1872. R.P. Joannes Ev. Žibrat, Gym. Catech., Paroch. Adm. 1873. 874. 875. 876. 877. 878. 879.

XIV. CONVENTUS Ad Divum Antonium Patavinum RUNAE

Caput I. De introductione Fratrum Minorum ad Civitatem Runensem.

I. *Runa*, aliis *Reina*, germanis *Rain, Rann* vulgo *Breshize* civitas parva est in Styria inferiori, in extrema jamjam ejusdem parte sita in Sclavoniae, et Croatiae ac Carnioliae finibus Labaco 13. milliar. Neostadio 5. mill. remota. A Sclavoniae Regno per fluvium *Sotlam*, et â Carnioliae per fluvium *Savum*, qui eam alluit, secernitur. Civitas Domui Austriacae subjecta in temporalibus, in Spiritualibus olim Patriarchae Aquilejensi parebat, nunc Archiepiscopo Goritiensi subordinatur, praeter Ecclesiam Parochialem, quae Monasterio Ordinis Cisterciensis ad Fontes Marianos prope Landstrass incorporata est, habet adhuc unam Ecclesiam extra Civitatem S. Rocho Confessori dicatam, non procul ab hac Ecclesia civitatem versus extat Conventus Fratrum Minorum Provinciae S. Crucis Croatiae Carnioliae, olim Bosnae Croatiae nuncupatae una cum Ecclesia D. Antonio Patavino Sacra, de quibus fusius infra agetur. Non exiguum ornamentum tribuit Civitati insignis Arx supra unam rupem fluvio Savo insidens, quae olim ad Comites de Frangepanibus spectabat, circa annum verò 1695. titulo emptionis ad Illustrissimos Comites de Attembs, sive Attimis devoluta fuit, in quorum potestate usque in hodiernum diem semper permanet.

II. Cum Cives Runenses adverterent, quod crescente indies majori populi numero Parochus cum duobus aliis Sacerdotibus non sit sufficiens et Civitatem, et per viciniam dispersos Parochianos Sacramentorum administratione, aliisque Spiritualibus exercitiis pro debito providendi, animarum zelo inflammati plures operarios in vinea Domini excolenda idoneos ad suam Civitatem adducere cogitabant. Singulari affectu devotionis, quo in Seraphicam Religionem ferebantur, supplicarunt sub die 28. Decemb. 1657. A. R. P. Sigismundo Beltram p. t. Ministro Provinciali, ┬ […][660] quatenus is acceptare dignaretur locum extra Civitatem penes Ecclesiam S. Rochi pro aedificando Conventu pro suis Fratribus, simulque rogabant, ut duos Patres ad videndum locum ablegaret. Tenor supplicis ex originali desumptus talis est:

Hochwürdig, in Gott Geistlicher Herr, besonders Hochgeehrter Herr Pater Provincial, Euer Hochw: seind
Vnser gehor. ganz demietige dienste jederzeit bereith

1120

Der Eyfer aber Gott Liebenden Christen zu der von dem Allerhochsten geordenten fromben Geistlichkeit, das verlangen erzeigt dern gnaden, trostreicher Societet, und Condolenz in sonderheit fähig zu werden. Bevorab wür in diesem wenigen ortl, alß der Geistlichkeit entblöste schäflein die Andacht gewunen, vnß möglihisten anbegünnens der Geistlichen heilsamkheit umbzusehen, und darumben zu befleissen, auch so weith consideriert, das wür dem fromben Orden St. Francisci der Herrn Franciscaner wolten gehrn affectioniert, und beygethan seyn. Wie sich dan alhier vor der Stadt die zu solichen Orden vnseres Erachtens bequembliche Khürchen St. Rochi befindet. Alwohin Wür Eüer Hochw: ganz demietig bitten wollen, die geruheten mit Aufrichtung eines Closters tragenden mitleydens vätterlich angemeint zu seyn, zween Herrn Patres zu Nembung gewissen Augenscheins möglihist alhero abzuordnen, und beÿ Ihrer Gnaden dem Herrn Praelaten von Landstrass zu dero Geistlicher disposition dan solliche Khürchen Submittiert ist, darob zu seyn, das zu sollichem werkh besagte Khürchen concediert werden möchte. So viell muß möglich wollen gebüerlicher hülff ungespart seyn, auch daneben denen abordnenden Herrn Patribus, allerr circumstanzien, und befinderden Substanz die gewisse Nachricht geben, das wan solliche gebettene gratia der ergreiffenden beschaffenheit nach werde vorgenomben werden khönnen, Vnß darzue einer unbeschwärt getröstlichen Antwort verhoffende, ganz demietigist beuehlen wollen. Statt Ränn den 28 Xbris 1657.

Euer Hochw:

demietige

N. Richter, und Rath alda.

III. Ad hanc supplicationem Magistratus Runensis A. R. P. Minister Provincialis cathegoricum responsum de acceptando loco Runensi non dedit, sed rem prius cum VDiff'orii Patribus conferre voluit, interim tamen 2. Patres, quorum unus erat P. Michael Noyse Ex-Diff'or, qui ab hoc tempore usque ad annum 1666. ùt Praesidens Runae mansisse, ex tabulis Provinciae conjicitur, ad videndum locum Runam ablegavit, ut ex ejusdem Epistola ad praeinsertum supplicem responsoria desumitur, quae hujus est tenoris:

Ehrnveste, Wollweiße, Großgünstige Herrn, und Patronern.

Euers Ehrnvesten, wollweisen Raths an mich abgeordentes schreiben hab ich mit hochster Reverenz, und Ehrerbietigkeit empfangen, auch derro devotion, und Eyfer zum vnseren H. Orden, wie dan auch diemüthiges begehren, und anhalten genugsamb verstanden: wie das ich wolte genug thuen, und verwilligen, damit zu beförderung Ihrer devotion, und Andacht alda selbsten ausser der Statt beÿ der Kürchen Sub titulo S. Rochi

Ein Closter vnsers Ordens möge aufgericht werden. Weilen aber gedachtes werkh wichtig, und schwër, kan ich solches vor mich allein nicht verwilligen, sondern nothwendig zu seyn befinde, das solches meinen Patribus Provinciae communicirt und deroselben Rath, und Consens erwartet werde. Wollen derohalben geruhen ein kurze zeit in gedult zu stehen, biß das ich in hoc passu mich mit meinen Patribus unterreden werde. Sollen auch unterdessen 2. Patres meines Ordens abgesändet werden, die also gedachtes orth besüchtigen, und in augenschein nemen werden, und befihl mich also sambt meinen Orden zu dero favor, und gnad. Datum in unsern Convent beÿ unser lieben Frauen Himmelfahrt Laÿbach den 2 Januarii anno 1658.

Eüers Ehrnvesten Wollweisen Raths

demüthiger diener
Fr' Sigismund Beltram
Min'r Proa'lis.

IV. Quia sub die 1. Februarii anni praetacti 1658. priori Diffinitorio novum per Breve Apostolicum substitutum fuit, negotium circa aedificationem Conventus suspensum mansit usque ad annum 1660. quo anno in Congregatione Provinciali in Conventu Tersactensi die 13. Aprilis celebrata â V. Diff'rio sequens hunc Conventum tangens Decretum emanavit: *Cum Ill'mo D. Comite Georgio de Frangepanibus personaliter solide, et fundamentaliter circa aedificium Residentiae Runensis per Ministrum Provincialem tractanda â Deffinitorio desiderantur*. Videntes Cives, rem agi serio illico anno eodem die 20. Augusti donarunt quemdam fundum pro extruendo Conventu, prout id ex litteris donationalibus ejusdem Civitatis uberius patet, quae ex Originali desumpta sic sonant:

Wür N. Richter, und Rath der Stadt Ränn bekhennen hiemit für vnß, vnd vnsere Nachkhommen offentlich mit diesem Brüeff, wem sollicher zu vernemben fürgebracht wierdet, alß Wür penetrando hoher Nothwendigkheit in vül weeg nachgesünet, und erwogen, das wür vnß ratione des beÿ diser armen Statt nunmehr erscheinenden nit geringen Abgangs der Spiritualitet, in höhern trost, vnser, und vnserer Nachkhümbling in Gott bestehender Seele Seeligkheit sich umb mehrere Geistlichkeit umbzusehen, befleüssen sollen, auch bereith in so vill gratiam überkhumen, das sich die Hoch, und Wohl Ehrwürdig=Geistliche Herrn Patres des Hoch Heiligen Seraphinischen Patriarchens St. Francisci Ordens strictioris observando alhier vor, und beÿ der Statt zu dero Relligion, ein Gottshauß, und Closter anzufangen, und zu bauen willig incliniert gemacht, das wür derowegen reüffen anbegünens wolbedachtlich, freÿ wüllkhürlich, auch zu der Zeit, alß wür solliches zu thuen guetten Fueg, und Macht gehabt, wolbesagten Herrn

1122

Patribus, und Ihren Nachkhomben zu dero angedeüt vorhabenden Closter, in ein stätt: ewig: und unwiderruefflliche donation hingegeben, eingeandtwart, und doniert haben, hingeben, und doniren auch hiemit wissentlich, und in Crafft dieses Brieffs unser aigenthumbliches stukh grundts, so beim obern veldt zwischen dem Strassweeg, wie auch der Khirchen St. Laurentii daneben ligunden grundstukh, und zwischen dem unsern jezigen Stattschreiber Herrn Jacoben Clementschitsch von vnß assignierten stukh agkhers, neben der Herrschaft aÿhwäldel hinauß, biß widerumb zum Strasßweeg, alß eingefangener ligen thuet: dergestsalt, und also , das Sye Herren Patres, und Ihre Nachkomen solliches stukh grundts zu dero angezeygten Closteres Nuzen, und fromben selbst gefällig applicirn auch nun, und hinfiran es sey mit Vichwaidt, bluemb besuch, ansaa= und Paung Innen haben, gebrauchen, nuzen, geniessen, und darmit alß mit Ihrm zu dero offterholten Closter von vnß applicierten aigenthumblichen Gueth handelen thuen, und lassen khönnen, und mögen, ohne vnser, vnd vnserer Nachkhomen, auch sonst mäniglichen von vnserentwegen ainigen Eintrag, Ihrung, hindernuß vnd Widersprechen. Wie dan hierauff offt wolgedachte Herrn Patres, und Ihre Nachkhomen beÿ dieser Ihnen aufrichtig gethanen Donation, von vnß, und vnsern Nachkhomen vor Jedermänig Clag, oder Ansprach nach Statt freÿheit observirunder jurisdiction, Recht, und gerechtigkheit in alwegen handt gehabt, geschüzt, und geschürmbt werden sollen, doch gegen disser beÿgehöfften Zueversicht, das die Herrn Patres und Ihr Nachkhomen gegen vnß, und vnsern Nachkhomen, wie Geist: Vätterlich, also threü nachberlich auch hingegen sich erzeigen, und dero würdige affection mitgeniessen lassen werden. Ohne geverde, auch beÿ verpündung des allgemeinen Landschadenbunds in Steyer, alß wan derselbe von worth zu worth nach allerlengs hierinen eingeführt, und geschrieben stunde. Dessen zu wahreb Vrkundt, haben wür dise donation, schrifft mit gemeiner Statt grössern Insigel Verförtigt, und die schreibens khündig, sich unterschrieben. So beschehen Statt Ränn in versambleten Rath den 20. Augusti an St. Bernhardi Fest des 1660. Jahr.

Lorenz Wolschtscheÿ Statt Richter alda
Peter Lubanovitsch m'ppa
Daniel Josch m'ppa
Adam Khrebs m'ppa
Hanns Koch m'ppa
Peter Homan m'ppa

(L. S. maj. Civ.)

Jacob Clementschitsch Statt-Schreiber alda.
Gregor Hrauatitsch.

1123

V. Fratres Minores sufficiens haberent spatium pro aedificando Conventu, et Ecclesia, ac habendo horto necessario, etiam Matthaeus Worschner civis suum praedium (vulgo Hoffstatt) sub eodem dato Fratribus Minoribus donavit, unà cum adjacente horto, ut colligitur ex ejusdem litteris, quae ex ipso Originali adductae hunc continent tenorem:

Ich Mathes Worschner Burger zu Ränn bekhenne hiemit für mich, und alle meine Erben offentlich mit disem Brüeff, wem sollicher zu verlesen fürgebracht wierdet, das ich auß tragender sonderbarer devotion mit wolbedachten Mueth, guetter vorbetrachtung, und auß freyen willen, zu der Zeit, alß ich soliches ohne männiglichens Irung, Eintrag, hinternuß, und widersprechern woll habe thuen mögen, auch völligen gewaldt, fueg, und Macht gehabt, zu meiner Seele hierdurch verlangenden Seeligkheit ad pium opus aufrecht, und redlich in ein stät, ewig, und unwiderrufliche Donation hingeben, außgelassen, und doniert habe, hingib und doniern auch hiemit wissentlich, und in Crafft dits Brüeffs mein aigenthumbliche Hoffstatt, sambt dabeÿ befindenden gärthl, so zwischen Mathien Harvatitschisachen gahrten, und Martin Sloventschitscher behausung ligen thuet, mit all dessen Recht, und Gerechtigkheit Allermassen Ich es, und meine Erben biß anhero mit Nuzen und gewähr Innen gehabt, und genossen, denen Hoch= und Woll Ehrwürdigen Geistlichen Herrn Patribus des heyligen Ordens, und Relligion der Herrn Franciscaner, und allen Ihren Nachkhomen. Wie auch nit weniger daneben das durch die wohlgeborne Frau Frau Martha Freyin von Muschkon gebohrne Freyin von Gregorianiz, dem Mathia Khoschul see. per 65. fl eingeseezt, und mir so dan durch cession eingeantwort= und biß anhero possediertes stukh agkhers mit sollichen Jure, alß Ich es Sazweiß genossen, fehrer hingegeben, äffter cediert, und Ihnen Herrn Patribus, auch Ihren Nachkomben, hiemit eingeandtwart habe, also, und dergestalt, das Sye Herrn Patres, und Ihre Nachkomen, obverstandene Hoffstatt, und dabeÿ befundendes Gärthl zu aufgpaung dero vorhabenden GottsHauß, und Closters hiemit einnemben, darzue nach Ihrer belieblichen gefälligkheit applicieren, Nuzen, geniessen, und in alle annembliche weeg, alß mit Ihrem freÿ aigenthumblichen Guett darmit handlen, thuen und lassen khönnen. und mögen. Wie nit weniger auch das obverstandenes stukh versezten agkhers, so lang und biß Sye Herrn, oder Ihre Nachkhomben darumben vergmeglichen befridigt, und accommodiert werden, Innen haben, gebrauchen und davon abzutretten nit schuldig seyn solten. Wo Ich dan herauff gelobe, zue-

1124

saag, und versprüch offt besagte Herrn Patres, und Ihre Nachkhomben für mich, meine Erben, und Erbens Erben, beÿ diser aufrichtig gethanner donations respectu voran gezeigter Hoffstatt, und Gährtels, wegen des agkhers aber wrden die Herrn Patres, und Ihre Nachkhomen, ohne Endtgeldt meiner, und meiner Erben, Ihr dartan habendes jus, cessionis, und praetensionis in etwo ereigneter Nothwendigkheit selbst zu deffendieren, und zu bestreitten wissen. Threülich, und ohne alles geuerde, auch beÿ verpündung des allgemeinen Landschaden pundts in Steÿer, alß wan derselbe von worth zu worth nach allerlengs hierinnen eingeführt, und geschrieben stunde, dessen zu wahren vrkhundt hab Ich mein aigenes Petdschafft hierundter gedrukth, auch zu mehrer gezeugnuß und bekräftigung sonder hohes Vleisß gebetten, und erbetten die Ehrenvest= fürß: Erß: und wollweise Herrn N. Richter, und Rath dieser Statt Ränn, das sie Herrn disen donation, und Übergabs Brüeff, weiln obverstandene Grundstükh undter deroselben jurisdiction gelegen, mit gemeiner Statt grössern Insigl, neben meiner, auch mit verförtiget haben, doch Ihnen, Ihren Nachkhomen, und sollicher Ihrer förtigung ohne allen Nachtel, und schaden. So beschehen Statt Ränn den 20. Augusti A'°. 1660.

Mathes Worschner (L. S.) (L. S. civ.)

VI. Ex mox recensitis binis fundationalibus, seu donationibus clarè patet, quod aedificium Conventus ante annum 1660. non fuerit inchoatum, quia Fratres nondum habuerunt fundum assignatum, super quem aedificandus fuisset Conventus, qui primò hoc anno 1660. assignatus fuit: Quo tamen non obstante Fratres aliqui Runae morabantur, quod ex tabula Provinciae desumitur, ubi legitur, quod in Congregatione Provinciali Tersacti sub R'mo Patre Paulo de Tauris Ministro Provinciali, et Commisario Generali per Germaniam die 13. Aprilis anno 1660. celebrata confirmatus fuerit Praesidens Runensis A. V. P. Michael Noyse Ex-Diff'or; si confirmatus? signum est, eum fuisse etiam anno 1659. jam Praesidentem. Quia tamen Conventus tunc nec initia quidem habuit, Patres tunc Runae degentes in aliqua particulari domo habitâsse censendi sunt, qui assignatô fundô Conventûs aedificio initia dedêre, ita ut domicilium parvulum 8. aut 10. Religiosis capiendis sufficiens intra paucos annos extruxerint, pro quo materialia, et alias res necessarias vel maxime subministrabat Ill'mus D. Georgius IV. Comes de Frangepanibus ultimus ex hac Inclyta Familia, qui etiam Conventum ad totalem perfectionem deduxisset, nisi praematura morte praeventus fuisset, quo mortuo aedificium Conventus suspensum, aut saltem retardatum fuit usque ad annum 1685. quo anno ejus Filia Maria Juliana Comitissae de Traun, et Abensperg illud ita perfecit, ut Conventus formalis declararetur.

Caput II.
De Conventus, et Ecclesiae Aedificii perfectione, ac de ejusdem stabilis persistentiae provisione.

I. Postquam Ill'mus Dominus Comes Georgius de Frangepanibus, cujus opera P. P. Franciscani ad Civitatem Runensem introducti erant, viam universae Carnis ingressus esset, etiam cum eadem familia Frangepanica lineae Croaticae extincta fuit.: Habuit quidem Georgius duos Fratres Casparum videlicet Vice-Commendantem Carlostadiensem, qui anno 1652. obiit absque haerede et Tersacti sepultus fuit, et Franciscum, qui etiam absque prole masculina Neostadii Austriae die 30. Aprilis 1671. mortem oppetiit. Georgius quidem genuit ex Sophia Comitissa de Forgatsch Nicolaum nonum, sed is in infantia ê vivis sublatus fuit, et Mariam Julianam, quae Ill'mo D'no Ferdinando Ernesto Comiti â Traun, et Abensperg nuptui tradita fuit, quae mortuo suo Patre Dominium Runense haereditavit, ac suorum progenitorum vestigiis inhaerens, qui multa monasteria praesertim in partibus maritimis aedificarunt, et copiosè dotarunt, inter quae principem occupant locum nostri Tersactensis, et Segniensis Conventus, specialis, et singularis Patrona extitit Fratrum Minorum, quae Conventum Runensem ad debitam formam suis sumptibus perduxit circa annum 1685. ita ut anno sequenti primus Guardianus in Diffinitoriali Congressu die 16. Decemb. electus fuerit P. Bonaventura Spindler lect. et Con'or Gen'lis, qui prius per 6. annos Praesidens hic erat, et aedificium egregie promovit.

II. Porro Maria Juliana Comitissa de Traun, et Abensperg nata Comitissa de Frangepanibus non tantum praesens aedificium absolvit, sed etiam se, suosque in Dominio Runensi successores obligavit ad conservanda sartatecta, et reparanda tam Ecclesiae, quam Conventus una cum turri, et Ara majori pro futuris etiam temporibus: Insuper 2000 fl. semper in Dominio Runensi pro Fratrum necessitatibus investitos esse voluit: quae omnia clarius ex ipsis litteris fundationalibus, quas ex Originali adduco, perspicienda sunt, quae ita sonant:

In den Namben der Allerheilligisten Dreyfaltigkheit und zu derselben mehrern Lob, Ehr, und glori zu mehrer Außbreit – und vortpflanzung der Seraphischen Religion des H. Vatters, und Patriarchen Francisci, Meiner und des meinigen armben Seellen zu Trost, und ablassung der Sünden, hab ich Maria Juliana verwittibte Gräffin von Abensperg, und Thraun, geborne Markgräffin von Frangepän, vnd Tersäz, nach reüffer Erwegung der lieb: und Veneration, welche meine Liebe Eltern, und vorfahrer, dem Seraphischen Orden, zu vorigen, und jezigen zeiten, jederzeit erwisen, auß freÿen, und ungezwungenen Willen, auch auß selbst aigner bewegnuß, und innerlichen Gemiets,

1126

Antrib, wie auch auß tragender Andacht, gegen dem Wiederthätigen H. Antonio Von Padua beÿ mir entschlossen gedachter meiner lieben Eltern, vnd Vorfahrern löblichen Fueßstapfen nachzuvolgen, und das Closter der Mündern Brueder des Ordens S^ti^ Francisci beÿ dem H. Antonio in der Stadt Rain in Herzogthumb Steyer ligendr, zu dessen erster introducirung Mein in Gott ruhender Liebster Herr Vatter, der Hoch, und Wollgeborne Herr Geörg von Frangepän, Margraff zu Tersäz erstes verlangen, neben der Sorg, solches vollzuziehen, geschöpfet zwar, aber von Todt ÿbereillet, nicht erfüllet: Jedoch auch in Erinnerung dessen zu dem gepaü, so woll der Khürchen, alß des Closters selbst Mein in Gott ruehendte Frau Muetter, die auch hoch vnd Wollgeborne Frau, Frau Sophia Gräffin von Frangepän geborne Gräffin von Forgatsch, und mit, und neben Ihro Frauen auch ich selbst den ÿbrigen Theill beÿgetragen und mit gewürkth haben, mit einen beständigen vnterhalten für die alda zu lob, und Ehr Gottes unterhaltende Ordens Brüder auf ewige zeiten zu versehen, und zu fundiren thue solches auch hiemit, und in Crafft dits in der besten und bestendigsten Formb, wie solches nach Geist – und weltliches Rechten und des H. Seraphischen Ordens Constitutionen beschehen soll, oder khan.

Und Erstens zwar ercläre ich mich hiemit verpündterlich das Closter, Khürchen, Thurn gepaü, hochen Altar, und sener bezierdung mit nechsten zur vollkhombenheit außführen zu lassen, und sowoll dasselbe, als das Khürchen gepaü auf ewige zeiten stüfft, und mit materialien auß der Herrschaft Rain päulich zu erhalten.

Zum anderten fundire, und Stüffte ich pr' gedachten und zu vnterhaltung der Geistlichen 2000. fl teütscher wehrung Capitals, solche assignire, und ÿbergibe ich zu jezt gedachter Stüfftung an der mir aigenthumblich angehörigen Herrschaft Rain, aigenthumblich, und zwar desgestalten, das jezt besagtes Capital nicht nur so lang gedachte Herrschaft in Meiner, und Meiner Erben aigenthumblichen Nuz, und gewehr verbleibet, sondern auf ewige zeiten, und alle künftige Fälle, an mehrbesagter Herrschaft Rain (wan auch gleich solche durch Khauff, versaz, oder alio quocunque jure, vel titulo auf andern Possessores ÿbergehen, und transferiert werden möchte) unbeweglich, und unerhöblich anligendt verbleiben, beÿ jeder etwo führ gehender Khauffs: oder anderwertigen Veränderung, an der Khauff, und Haubtr-Summa abgezogen, an der Herrschafft Vnabsönderlich erhalten, und Sie Herrschaft damit auf ewige zeiten unaus-

1127
N'o 48.

lasslich onerirt sein, und verbleiben, auch Herrschafftsinhaber, wer der immer seyn khöne, oder möge, solches vnbewegliche Capital der 2000. fl mit 5. Pr' Cento zu verinteressiren, und auß solchen Interesse denen Brüedern des H. Francisci, welche in besagten Closter beÿ S'^t^ Antonii zu Rain jederzeit seyn werden, nachfolgendte Victualien, und Lebensmittel dar zu raichen, und in das Closter abzuliffern schuldig, und Verpundten seyn solle, als

Erstlichen die Khleidung vor einen Priester Jährlichen …….…	19. fl. kr. 36.
Rindfleisch wohentlich 12. lb. â 2. dreÿer, bringt Jährlich …….	15. fl. 36.
Waizen Rainer Schäffel Jährlichen 30 â 33 kr. ……..	15. fl. –
Wein Ember 30. â 30 kr. …….	15. fl. –
Salz Schaffel 6. â 1 fl. …….	6. fl. –
Öll zu der ewigen lampen 90 lb. â 12. kr. …….	18. fl. –
Paum woll ……...	fl. 42.
Wachs zum 8 lb â 24. Xr' …….	3. fl. 12.
2'^do^ Khölber 2: â 1. f. 15. kr. bringt …….	2. fl. 30.
Kapäuner 6. â 6. kr. ……..	fl. 36.
Gönss 6. â 8 kr. …….	fl. 48.
2'^do^ Möstschwein 1 â …….	3. fl.

Und gleich wie nun mehrgedachtes Closter mit Willen, und Consens seiner Geistlichen Vorsteher, und Obrigkeit, oder villmehr sye Obrigkheit nemblichen der hochwürdig. in Gott Geistliche, auch Hochgelehrte Herr P. Antonius Lazari S'^ti^ Francisci Ordens, Reglmässiger Observanz der Provinzen Bosnae Croatiae, und Crain, Minister Provincialis solihe Meine in Christo Vnsern Herrn wollgemäinte Stüfftung mit dankhnembigen gemieth nicht allein auf= und angenomben, sondern auch Mich, Meine Erben, und Khünftige Inhaber der Herrschaft Rain für eine Stiffterin obgedachtres Closters zu erkhennen, auch die Geistliche guette werkh, und H. Mössen, die ich mir umb solihe Stüffgtung willen außgedingt auf ewige zeiten verichten zu lassen, vermög eines besondern vnter heütigen dato mir zugestölten wollverfertigten ReversBrüeffs für sich, und seine Successores angelobt. Also gelobe, und verspriche ich auch für mich, und meine Erben, wie nicht weniger für alle, und jede Nachkhumben an der Herrschaft Rain, wer die zu ewigen zeiten seyn möchten, das Jenige, was der Inhalt dises meines StüfftsBrüeffs vermag, vest= und vnwiderruefflich zu halten, und zu volziehen, auch darwider auf Khäinerleÿ weiss zu thuen, nach zu handlen, nach solches andern zu verstatten, sondern gedachrtes Closter beÿ deme gegen jederman, wan, wo, und so offt es vonnöthen, zu schüzen, und zu schermben. Alles getreülich, und ohne gefährde,

1128

Vnd gleichenwie ich den Inhalt dises Stüfftbrüeffs dem Anmöchtigen Gott, seiner gebenedeytisten Muetter, den H. Seraphischen Vatter Francisco, und seinen gethreüen Nachvolger den H. Antonio von Padua mit verbindung meines gewissens gelobe, und verspriche, also sollen auch meine Erben, und disen Nachkhombende Inhaber der Herrschaft Rain gleichermassen und diser auch die gewissens pflicht, und schuldigkheit ÿbernemben, und tragen, so treülich zwar, alß Sÿe des widrigen vor den gerichtlichen Angesicht Gottes beschuldigt, und beurtheillet sollen werden. Zu deme auß grösserer vorsorg, dieweillen gemelten St. Antonii Closters zu Rain geistliche Patres, und Inwohner wahre, und in khäiner punkt Ihrer Regul dispensirte Mündere Brüder S^ti^ Francisci seyn. bekhennen Sÿe sich solcher Stüfftungen, ewigen Almosens, und vererer versorgungen nicht anderst, alß titulo purae eleemosynae Capabel, und fähig zu seyn, also das von Ihnen auch wider der Stüfftenintention, und hinterlassenen Willen, mit Jennen nicht zugehalten wurde, solches gerichtlich, und via juris zu suchen Ihnen nicht zuestehe, sondern dem von dem Stüffter, darzue bestelten Obsorger, und Inspectorn den vnterbruch der dareichung des gestüfften Almosens, und defraudirte intention des Stüffters zu hinterbringen allein fähig, und schuldig zu seyn sich befündten, dahero will ich hiemit in sonderbahr die Hochlöb: Landes Obrigkheit dises Herzogthum Steyer gehor: und inständigist gebetten haben, ob diser meiner Stüfftung auf ewige zeiten hinfür vest= und unverbrechlich halten zu helffen, und weder meine Erben noch khünfftige Inhaber der Herrschaft Rain, wer die von Zeit zu Zeit seyn möchten, darwider auf ainicherleÿ weiß thuen, oder handlen zu lassen, allermassen ich auch Hochwohlgedachter gnediger Landes Obrigkheit (dero dise meine Stüfftung, wo nicht vorhero, doch nach meinen todt alsobalden khundt gemacht werden solle :/ nicht allein vollstendigen gewalt gebe, die Herrn Patres dabeÿ ex Nobili Officio, wann sich auch gleich Niemandts darumben anmelden wurde, zu handthaben, und zu schüzen, sondern auch diemietig bitte, solches alles, beÿ dem Landtsgedenkhbuch, beÿ der Buchhaltereÿ, oder andern Acten zu ewiger gedächtnuß vermerkhen lassen. Dessen zu wahren vrkhundt und ewiger gedächtnuß, gibe ich disen StüfttBrüeff, Ihme Herrn Pater Provincial, den ich mit aigner Handtschrifft, und Petschafft verfertiget, auch hierzue die hernach benandten Herrn Gezeügen mit besondern Fleiß erbetten, das Sÿe solchen Brüeff

mit, und neben meiner verfertiget, des Ihnen Herrn Gezeügen der Fertigung halber, ohne Nacht. und schaden. So beschehen in dem Schloß Rain den 16. Februarii 1685.

(L. S.) Maria Juliana Wittibt Graffin von
Traun, gebohrne Graffin von Frangepan m'ppa
(L. S.) Joannes Abbas Fontis B. M. Virg.,
Ordinarius loci mir ohne Nacht., und
schaden.
(L. S.) Orpheo Gr. v' Strasoldo m'ppa
ohne Nacht., und schaden.
(L. S.) JFranz von Rettenfeldt m'ppa
ohne Nachtheil und schaden.

III. Hanc fundationem A. R. P. Antonius Lazari p. t. Minister Provincialis hujus Bosnae Croatiae, et Carnioliae Provinciae non tantum acceptavit conformiter ad statum, et confirmavit, sed etiam ipsam Dominam Mariam Julianam, ac ejusdem in Dominio Runensi Successores pro indubitatis fundatoribus Conventus Runensis declaravit, et certas Missas pro ea legi mandavit, ut ex ejusdem patentalibus litteris amplius patet, quae ex Originali desumptae hunc continent tenorem:

Ich FR. ANTONIUS LAZARI der Mindern Brüeder S^ti^ Francisci Regelmässiger Observanz Ss. Theologiae lector Jubilatus der Provinz Bosnae, Croatiae, und Crain Vnwürdiger Provincial Minister, und Khnecht, bekhenne hiemit für mich und meine Nachkhombene am Ambt, wer die zu ewigen Zeiten seyn werden. Nachdeme die Hoch, und Wollgeborne Frau, Frau Maria Julliana verwittibte Graffin von Abensperg, und Thraun, geborne Margraffin von Frangepan, und Tersaz, auß angeborner liebe, und Wohlthättigkheit, welche Ihre Löbl. VorEltern, und Vorfahrer, dem H. Seraphischen Orden zu Vorig= und Jezigen Zeiten in villerleÿ weeg, und nach vor 254. Jahren, Herr Martinuß Graff von Frangepan mit namhaffter fundierung des Closters zu Tersath erzeigt, solchen Ihrer in Gott ruhenden VorEltern, und Vorfahrern ruehmblichen Fuessstaphen nach zu volgen, und das Closterl beÿ St. Antonio zu Rain, welches anfänglich Ihr in Gott ruhender Herr Vater der Hoch- und Wollgeborne Herr Herr Georg Margraff von Frangepan, und Tersaz zu introducieren, und stüfften, so woll gesünnet, alß entschlossen war, volgends aber durch Ihre Frau Muetter, auch Sÿe Frau Graffin selbst in den jezigen standt erhoben, und auferbauet worden, mit einer beständigen vnterhaltung für die daselbst in den dienst Gottes lebende Ordensbrüeder zu stüfften, auch solches Ihr Gottseeliges vorhaben nunmehr in den Werkh

1130

vollgezogen, und mir einen Stüfftbrüeff unter heütigen dato, und unter Ihrer der Frauen Graffin, und der erbettenen Herrn Gezeügen förtzigung außgehendt, zuegestölt, welcher von worth zu worth lautet.

NB Hic inseruntur litterae fundationales supra allatae dein sequitur

Demnoch so habe ich anfangs ermelter Provincial für mich, und meine Successores solche durch wollgedachte Frau Graffin zu Gottes Ehre, und der H. Seraphischen Religion zu mehrerer außbreitung, gethanne Stüfftung zu dankh angenumben, Gelobe, zuesage, und Versprüeche hierauf für mich, und meine Nachkhombende am Ambt Sÿ Frau Graffin, Ihre Erben, und Nachkhombende Inhaber an der Herrschaft Rain für rechtmässige Stüffter des Clösterl beÿ St. Antoni zu Rain zu erkhennen, also, und dergestalten, das Sye zu allen zeiten auch von denen daselbst lebenden Ordens Brüedern, und sonsten von Jederman darfür gehalten, und erkhendt werden, wie nicht weniger aller Freÿheiten, und praerogativen, welche die Geistliche Rechten, und die Constitutiones des H. Seraphischen Ordens denen Stüfftern geben, Menigkhliches ungehindert auf weltewige zeiten allerdings genüessen sollen: damit aber obwollgedachte Frau Stüffterin, durch solche Stüfftung, ihrer intention nicht defraudiret, und desto wahrhafft versichert seyn, also solle das Convent, und die Famili der Ordens Brüeder daselbst schuldig seye in den Geschloss Rain, oder wo es der Frauen Graffin, und khünftigen Inhabern belieben möchte, jedoch nicht ausser des Stättl, oder an denen nahend ligenden Khürchen, durch das ganze Jahr hindurch, und also auf ewige zeiten täglich ein H. Möss zu lesen, In der Khürchen St. Antonii aber alle Sonntag vor dem exponirten Venerabili ein gesungene litaneÿ zu halten vor, und nach derselben die gewöhnliche Benediction mit dem Pange lingua zu geben: nach obwohlgedachter Frauen Graffin zeitlichen hinscheiden aber (welches der Allmächtige Gott auf vill Jahr gnädig verhüetten wolle) Ihre Exequien Jährlich mit einem gesungenen Seelen Ambt und 6. H. Mössen zu begehen, und dises ingleichen auf ewige zeiten: welches ich ihnen Ordens Brüedern fleissig, und unversaumblich zu verichten in Christo, Sub formali praecepto, und beÿ dem H. gehorsamb auferlegt, und also fürdershin auf ewige Zeiten verichten, und halten zu lassen, mich für mich, und meine Nachvolger an dem Ambt in gewissen verpindlich erclärn, und verobligiern Dessen zu wahren Vrkhundt, und ewiger gedächtnuß

habe ich wollgedachter Frauen Graffin disen Reversbrüeff unter meiner Ambtlichen Fertigung zuegestelt. So beschehen Laybach den 16. Februariy des nach dem Heilsambsten Geburt Christi 1685ten Jahrs.

FR Antonius Lazari
der Mindern Brüder St. Fran- (L. S.
cisci Regelmässiger Observanz Maj.)
Provincial. Wie oben etc. m'ppa

IV. Ex praeinsertis litteris fundationalibus ab Ill'ma D'na Maria Juliana Comitissa â Traun nata Comitissa de Frangepanibus exaratis, et Reversalibus P. Ministri Provincialis utriusque partis obligatio abundanter dignoscitur: Ex parte fundatricis, ejusque in Dominio Runensi succesorum obligatio est praeter emolumenta, quae Conventui vi Capitalis 2000. fl. obvenire debent, Conventum, Ecclesiam, Turrim, et Aram majorem semper in bono statu conservare, pro eorundem conservatione materialia subministrare, aliaque necessaria procurare. Loco rerum in natura praestari solitarum, quia pretium earumdem multo excrevit, Dominium ad evitandas saepius exortas confusiones, Interesse 100 fl. tamquam justam, et debitam proportionem ad 2000. fl. Capitalis in parata pecunia solvere consuevit. Ex parte Conventus obligatio fuit quolibet die Dominico litanias cum expositione Venerabilis cantandi, omni die per totum annum dicendi in Arce Runensi unam Missam, vel ubi Ill'mae Dominae Fundatrici placuerit, non tamen extra Civitatem, vel in prope Civitatem adjacentibus Ecclesiis, post mortem verò Fundatricis pro eadem cantandi unum anniversarium cum 6. Sacris privatis. Iam verò post mortem Fundatricis in Arce non legitur quotidiana Missa, nisi adsit Dominium, seu Fundator cum sua Ill'^{ma} Familia, sed tantum diebus Dominicis, et festis de praecepto: Litaniae pariter cum expositione Ss'^{mi} Sacramenti (quia illud exponere nobis non licet contradicente Ordinario) sublatae erant usque ad tempus P. Norberti Paccassi Guardiani, qui ad annum 1778. â Celsissimo, et R'^{mo} S. R. I. Principe, D'no D'no Josepho Rudolpho Comite ab Edling secundo Archiepiscopo Goritiensi obtinuit licentiam singulis diebus Dominicis, et festivis, ac in Vigiliis eorumdem publicae adorationi exponendi Venerabile Eucharistiae Sacramentum. Anniversarium cum 6. Sacris privatis pro defuncta Fundatrice decantatur quotannis die 7. Novembris.

V. Quamvis nullae extent Terrae Principis litterae, vi quarum facultas data fuisset Fratribus aedificandi Conventûs, nullus tamen dubitationi relinquitur locus, eam fuisse petitam, et obtentam; prodiit enim ex Provinciali Congregatione Labaci die 20. Martii anno 1672. sequens Diffinitoriale Decretum: *Pro loco, et Conventu Runensi aedificando A. R. P. Minister Provincialis licentiam scriptam solicitet.* Quod haec facultas obtenta fuerit, patet ex quodam non multos post annos ad Imperatorem Leopoldum I. dato supplici, in quo P. Guardianus contra vexas Praelati ad Fontes Marianos, et Parochi Runensis conqueritur, ubi

1132

inter caetera, sequentia inseruntur verba: *Runae nos Fratres Minores Regularis Observantiae Provinciae Bosnae Croatiae â Dominio, Civitate, et populo Runensi ob Divini cultus, et Spiritualium Servitiorum defectum petiti, jam â multis hinc annis et authoritate, gratiaque Aug'mae Majestatis Vestrae introducti in voluntaria mendicitate nostra Deo, dictoque populo Spirituali, et Religioso famulatu servimus.* Ubi notanda sunt verba: *Authoritate, gratiaque Aug'mae Majestatis Vestrae*, quae certum assensum Aug'mi Imperatoris denotant. Dicendum proinde, praedictam licentiam aut deperditam fuisse, aut ad ipsam fundatricem directam in Dominio Runensi asservari.

Caput III.
De aliis huic Conventui factis fundationibus, donationibus, ejusque restaurationibus.

I. Mox ad initium adventus P. P. Franciscanorum ad Civitatem Runensem se Civitas obligavit ad danda 12. lb. de carne bubula singulis septimanis, et quolibet anno contribuendos 4. fl. et 12. Xr' pro oleo lampadis coram Sanctissimo. Hanc eleemosynam civitas fideliter pendebat usque ad annum 1712. quo anno sub Guardianatu P. Mauritii Bobner D. Christophorus Aparnigk Judex Civitatis, nescio, quo spiritu ductus non tantùm eleemosynam consuetam carnium, et olei, verum etiam aliam 7. fl. ex fundatione Aparnikiana, et Kneskovitschiana (quae Capitalia apud Civitatem investita sunt) pro Sacris Conventui obvenientem dare recusavit, qua de causa D. Georgius Mossegger, Parens Spiritualis recursum fecit ad D. Sigismundum Rudolphum â Wagensperg Capitaneum Circuli Cilejensis, qui per D. Carolum Sigismundum Pilpach sub die 7. Junii 1713. Judicem, et Magistratum adegit ad solvendam praefatam tam 12. lb. carnium, quam vi legatorum Conventui obvenientem eleemosynam tam de praeterito, quam pro futuro.

II. Circa annum 1766. sub Guardianatu P. Philippi Pettenegg denuo haec eleemosyna denegata fuit, quam autem ejus successor P. Reginaldus Franz iterum obtinuit. Ad evitandas futuras inconvenientias, et disceptationes Civitas se sub die 27. Januarii 1775. de novo obligavit ad contribuendos annuatim 26. fl. 54. Xr' quorum 7. fl. Conventui obveniunt ratione legatorum D. D. Aparnik, et Kneskovitsch, alii 19. fl. 54. X. verò loco carnium, prout liquet ex ipsa originali obligatione hujus tenoris:

Fleisch allmosen von der Stadt, so auf ein neües auf demüethiges Ansuchen des Closters confirmiret worden mir folgenden worten:

Fiat, und wird so mit denern W. W. E. E. P. P. Franciscanern alda zu Ränn von Stadts Rath wegen einge-

stelt gebettenes von langen Jahren hero vor leistende Geistliche diensten, und Verichtung H. Meessen, den vor Fleisch und Kirchen oel von der Stadt alda verabfolgendes pr Sechs und Zwainzig gulden, Vier, und Fünfzig Kreützer neüerdings verwilliget also, und dergestalten, das die gemeine Stadt Ränn obgedachtes allmosen deren 26 f. 54 kr. so lang die Stadt in stande seyn, und aldasiges Closter bestehen wirdet, Jährlich ex Cassa civica Ihnen P. P. Franciscanern gegen hiervor einzureichender Quittung bezahlern, und verabfolgen wolle. Landsfürtstl. Stadt Ränn den 27. Jener in gehaltener Rath 1775.

(L. S.)

Simon Areschnikh
Stadt Richter, und
Samentlicher Magistrat.
Joseph Puechmayer
Syndicus m'ppa

III. Praeterea Fratres Minores Conventus Runensis etiam ab ipso ferme exordio ex Monasterio ad Fontes Marianos prope Landstrass Ordinis Cisterciensis percipiebant singulis septimanis 12. lb. de carnibus, nam tempore Joannis Abbatis, qui se anno 1685. litteris fundationalibus Mariae Julianae Comitissae de Traun, quà testis subscripserat, ┬ […][661] haec eleemosyna Conventui tribuebatur usque ad annum 1760. quo anno die 22. Aprilis mortuo R'mo, et Ill'mo D. Abbate Alexandro è L. B. de Tauffrern, ARD. Pater Xaverius Barbo Ord. Cist. Parochus Runensis eam denegavit: quo facto P. Guardianus humiliter pro confirmatione supplicabat A. R. P. Alano Smreker Conventus Priori, qui eandem eleemosynam dari jussit, usque ad electionem novi Praelati. Electus die 22. Novembris eodem 1760. anno in Abbatem Ill'mus, et R'mus D. Leopoldus de Buset praedictam eleemosynam confirmavit non obstante renitentia D. D. Conventualium. Verum anno 1767. haec eleemosyna totaliter cessavit, nec amplius ejusdem recuperandae spes ulla affulget, nisi Deus fors suo tempore liberaliorem, et Religioni Seraphicae propensiorem suscitet Praelatum, praeter hanc eleemosynam etiam perivit eleemosyna 2. vasculorum vini, quod ex ejusdem Monasteriis vineis in *Strasha* quotannis pendebatur per modum purae eleemosynae.

IV. Pro ampliando horto, et commodiori Conventus aedificio donavit suum fundum cum uno prato Maria Porthin die 6. Maji 1666. ut ex litteris cessionalibus constat, quae hujus sunt tenoris:

Ich Maria Porthin cediere, und übergibe für mich, und alle meine Erben, wissentlich in Craft dises Brüeffs Jus, Eÿgenthumb, den Jenigen orth von einer hueben, mit sambt der zugehörigen wisen, welches Orth hueben hievor undter dem Hoff Khreüssendorff incorporiert, und dienstbahr gewesen, und annoch dahin Steuermässig, und nechst beÿ der Stadt Rain ligendt ist, und welcher Orth von einer hueben

1134

der Edel, und Gestrenge Herr Christoph Wünkhler zum Khreüssendorff etc. see. Meinen geehrten Vettern Herrn Mathiasen Lauritsch der fürstl. DurchLaücht Herrn Herrn Ferdinanden Erzherzogen zu Oesterreich Höchst seeligen Andenkhens gewesten Meersalz, und welschen weins Aufschlags zu Rain Einnembern, und Burgern daselbst, und Vrsulae seiner Haußfrau meiner geliebsten Frauen Mamb, beede nunmehr see. Inhalt KaufBrüeffs dat: den dreÿsigsten Tag Augusti nach Christi unsers Herrn, und Erlösers geburth, so man zelt ein Tausend, Sechs hundert, und ersten Jahrs, ordentlich verkaufft, dem wohl Ehrwürdig in Gott Geistlichen Herrn N. Guardian, und Convent Franciscaner Ordens beÿ der neüen Stüfft St. Antoni de Padua vor obgemelter Statt Rain, also, und dergestalt, das er Herr P. Guardian, und Convent obgemelten Orth Hueben, ohne mein, meiner Erben, und menigkhliches Irrung, widerredt, und Hindernuß, allermassen es meine liebe befreündten see. und ich gethan, mit allen Recht und gerechtigkeiten inne haben, nuzen, und genüessen, auch sonst, darmit handlen, und wandlen, thuen, und lassen, wie es Ihnen beliebt, verkauffen, versezen, verpfenden, und zu ihren gebeü anwenden khönen, und mögen, alß sonsten in anderer mit aigenthumblichen güettern. Alles threulich, und ohne geförde auch beÿ verbindung des allgemeinen Landschadenpundt in Steyer. Habe (weillen ich lesens, und schreibens unkhundig, auch mit keinen Petschafft, versehen bin) die Edel veste Herrn Hannß Georgen Aparnikh Khaÿ. Meersalz Aufschlags, und mitteldings zu Rain Einnembern, und Herrn Martin Murgel, mitteldings Gegenschreibern, und Burgern daselbst gebetten, und erbetten, das sie Herrn dise cession (doch ihnen, und ihrer Förtigung ohne Nachtl, und schaden) anstatt meiner mit Petschafften, und Handschrifften verförtigt, und bevestiget haben.
Geschehen zu Rain den 6. Maÿ 1666.

(L. S.) Hannß Georg Aparnikh
erberttener Fertiger (L. S.) Martin Murgel

V. Hunc fundum dein Martinus Murgel Syndicus Apostolicus P. P. Franciscanorum vendidit cuidam Domino Lucae Hervatisch, et ejus conthorali Annae pro 50. fl. hac conditione, ut post mortem eorum praeditus fundus unà cum 50. fl. ad Conventum devolvatur, Conventus verò obligabatur illis gratis sepulturam praebere, ac 50. Sacra pro refrigerio animarum illorum celebrare. Post mortem Lucae Hervatitsch, et ejus conthoralis Annae dictus fundus commodatus fuit cum domo, et horto Primi Skerl civis

et pellionis Runensis, tandem haec domus cum horto fuit mox commutata cum domo, et horto (quia commodior erat ampliando horto Conventus) Aeditui S. Rochi de licentia Praelati, et Civitatis, ut ex Sequentibus die 28. Martii 1718. â Senatu signatis confirmatoriis litteris patet:

Wir N. Richter und Rath der landsfürst. Cammer Stadft Ränn, bekhennen hiemit für Vnß, und alle unsere Nachkhommende, das nachdem der Primuß Skherl unser Mitburger, und Kürschner mit unsern consens seÿn in der Obervorstadt unter St. Rochi Kürchen stehendes, und der gemeinen Stadt mit Steuer unterworffenes hauß, und Garten, denen Ehrwürdigen P. P. Franciscanern alhier gegen einen dem gedachten Closter gehörigen, und an Tschernitsch ligenden Akher in aigen überlassen. Ex post aber besagten hauß, und garten gedachte Ehrwürdige P. P. Franciscaner besserer gelegenheit und erweitterung Ihres Gartens halber, mit unsern consens vor das Messnereÿ hauß, und Garten der Khürchen S^ti^ Rochi auch mit Einwilligung Ihro Gnaden des gnädigen Herrn Herrn Praelaten von Landstrass vertauscht haben. Weilen aber das obbemelte vorhin dem Primasen Shkerl gehöriges hauß, und Garten mit der Steÿer, mit allen gübheiten, und Herrn Anforderungen, auch andere oneribus, gezechtigkeiten, und Juribus vorhero der Stadt Rain ist unterworffen gewesen, anjezo aber mit Unsern Consens von denen Ehrwürdigen P. P. Franciscanern vor die Messnereÿ der Kirchen S. Rochi ist commentiert worden. Damit also das besagtes Skherlisches haus, und Garten hinfiran, und auf ewige zeiten nicht nur allein von der Steÿer, von allen gübheiten, und Herrn Autorderungen wie auch von allen erdenklichen oneribus befreyt seyn wirdt, sondern auch hin füran, und auf ewige zeiten kein jus, und gerechtigkheit die Stadt Rain beÿ dem offtgemelten Skerlischen Hauß, und garten niemallen nicht haben solle, nach mögen, oder pretendiren khönne. Danen hero bekhennen wir alle offentlich Crafft dieses Brüeffs vor unß, und alle unsere Nachkhommende, das wür, und die Stadt Rain von heüt dato, und auf ewige zeiten ~~befreyt sein solle, sondern auch~~ nicht nur allein von allen steyer, von allen erdenkhlichen gübheiten, Herrn Anforderungen, und oneribus das offt gemeltes Skherliche hauß, und garten befreÿen, und auf ewige zeiten befreyt sein solle, sondern auch hinfüran, und auf ewige Zeiten, khein jus, oder gerechtigkeit in keiner erdenkhlichen sach beÿ dem obbemelten hauß, und Garten wür, oder unsere Nachkhommende niemallen, nicht haben sollen, mögen, oder praetendiren khönnen, auch von Vnß, und allen Vnsern Nachkhombenen in allen Vnperturbirth (wie die vorige Messnereÿ) seyn solle.

1136

Alles Treülich, und ohne geföhrde, auch mit, und beÿ der Verbindung des Landschaden pundts in Steÿer. Dessen zu wahrer vrkhundt haben wir disen befreÿungs Brieff mit gemeiner Stadt Insigil gefertiget, bekräftiget, und hierauß ertheilet. So beschehen in Gerichthauß Ränn den 28. März 1718[ten] Jahrs.

(L. S.) N. Richter, und Rath alda

VI. Cum verò Conventus exiguae fuisset mollis, numerus verò Religiosorum semper major tum ad Divinum Servitium debite perficiendum, tum ad praestanda vicinis Parochis in cura animarum opportuna auxilia requireretur, supplicarunt Patres Ill[mo] Domino Mariae Ignatio Comiti ab Attems anno 1723. ut idem qua fundator Conventus ┬ […][662] auxiliatrices porrigeret manus pro elevando pro una contignatione Conventu. Res protrahebatur usque ad annum 1730. quo anno sub Provincialatu A.R.P. Maximi Ruesch, et Guardianatu P. Aloysii Valvasor Conventûs aedificium inchoatum, et anno 1732. terminatum fuit. Quamvis Ill'mus D. Comes principalis, utpote, qui omnia materialia subministravit, fuerit benefactor, multum tamen aes etiam alii benefactores contribuerunt. In duabus contignationibus sunt Cellae pro habitatione Religiosorum 33. quibus si Arcularia, et cubiculum penes portam adjunguntur, erunt Cellae 35. Religiosi verò communiter hic morantur 26. aut 27. sunt autem Cellae plures propter continuo adventantes extraneos Religiosos, quia Fratres ex Carniolia ad Croatiam, et vice versa transmeantes hic divertere debent. Anno 1757. die 28. Aug. circa horam secundam pomeridianam exorto validissimo turbine haud modicum damnum illatum fuit Conventui, nam tectum respiciens viam publicam potiori ex parte dejectum, interposita tamen supplicatione Ad D. Comitem intra paucos dies reparatum erat.

Caput IV.
De Ecclesia, Altaribus, de Epitaphiis, Confraternitatibus, et Sacris Reliquiis, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De Ecclesia, et Altaribus Ecclesiae ejusdem.

I. Ecclesia Runensis Divo Antonio de Padua Sacra, qua die etiam ejus p[r]atrocinium[663] celebratur, aedificata quidem fuit primis ab introductione Fratrum Minorum annis, in qua Missas celebrabant, sed non erat ad perfectionem deducta usque ad annum 1685. ut patet ex litteris fundationalibus Ill'mae D'nae Mariae Julianae

Comitis de Traun, et Abensperg natae Comitissae de Frangepanibus supra c. 2. pag. 1125. allatis, in quibus §. 1. se praedicta Comitissa obligabat quamprimum ad perfectionem deducendum Conventum, Ecclesiam, et Turrim, seu Campanile. Licet verò Ecclesia ad praedictum annum suam perfectionem assecuta credatur, consecrationis beneficium tamen primò anno 1750. die 12. Augusti ab Ill'mo et R'mo D'no Bonifacio Cechotti Episcopo Petinensi de licentia loci Ordinarii obtinuit, ut ex originali instrumento in Archivo Runensi asservato colligitur, quod ita sonat:

Nos Frater Bonifacius Cecotti Dei, et Apo-
stolicae Sedis gratia Episcopus Petenensis etc. etc.
inspecturis salutem.

Quia Nobis humiliter erat supplicatum â P. Floriano Tschokl de Ordine Minorum Strict. Observ. Provinciae Carnioliae Professo, actualique Guardiano Conventus Runensis, quatenus praetacti Conventus Ecclesiam D. Antonii Paduani, nec non ad hujus honorem erectum Altare majus consecrare dignaremur. Nos ad hoc specialem facultatem habentes, annuente etiam ad id P. suo Provinciali A. R. Godefrido Pfeiffer, votis piis praefati P. Guardiani satisfacere volentes, praedictam Ecclesiam, nec non Aram majorem in honorem S. Antonii Paduani 12. Augusti an. 1750. Ritu Romano consecravimus, hujusque universariam commemorationem, seu dedicationem cum Octava Dominica prima post festum S. Bartholomaei quotannis in perpetuum â Fratribus praedictum Conventum incolentibus celebrari decrevimus. In quorum fidem hasce sigillo nostro munitas dedimus Runae 13. Augusti 1750.

(L. S.) Fr' J. Bonifacius
Ep'us Petenensis.

II. Anno 1744. duae campanae ad turrim appositae erant, quarum minor Laurethi benedicta fuit. Anno 1756. Ecclesia lapide strata fuit, et novum organum factum. Quia Ecclesia in loco humido situata est, saepius contigit, ut Cryptae aqua replerentur, hinc annum 1745. sub Guardianatu P. Urbani Nusdorffer ex Crypta, in qua nostri Religiosi vita functi sepeliuntur, per medium Ecclesiae aqua per canalem noviter extructum educta fuit ad Savum fl. directe penes domum cujusdam fabri ferrarii â diametro Conventus sitam, cui ex conventione â Conventu dati sunt fl. 5. cum perpetua obligatione, ut secuturis temporibus nunquam supra eumdem Canalem quidquam aedificii extruatur â fabro, vel quocunque domus, et fundi illius possessore, ad hoc, ut canalis semper liberè, et impedibiliter in quacunque emergenti necessitate aut purgari, aut reparari possit. Habet moderna Ecclesia Runensis in longitudine 14. orgias, et 2. pedes: in latitudine vero 5. orgias, et 2. pariter pedes, quod intelligendum est de muris principalioribus, nam Capella Scapularistica intra hanc mensuram non comprehenditur.

1138

III. Praeter Aram majorem S. Antonio de Padua dicatam (quae die 12. Augusti 1750. una cum Ecclesia consecrata fuit, ut ex supra allato Consecrationis instrumento patet) extant in Ecclesia Runensi Arae laterales quinque. *Prima* est in Capella B. V. Mariae de Monte Carmelo. *2ᵗᵈᵃ* Ex Cornu Evangelii est B. V. M. Brunensis, nunc Lancovizensis. *3ᵗⁱᵃ* Ex Cornu Epistolae S. Dismae. *4ᵗᵃ* Ara ex parte Evangelii sacra est S. Josepho Sponso Intemeratae V. Mariae. *5ᵗᵃ* est S. Petro de Alcantara dedicata. Ara Major ab initio parvula erat, nec proportionem respective ad corpus Ecclesiae sufficientem habebat, dein circa annum 1698. ab Illustrissimis Dominis Comitibus ab Athems in moderna altitudine fornicem Ecclesiae attingente apposita fuit, quae dein post annos 75. ruinam minabatur, alia nova sumptibus Ill'mi D. Comitis Ferdinandi ab Athems Marpurgi elaborata, et anno 1773. tempore Guardianatus P. Remigii Baschnig apposita fuit. ┬ […][664]

IV. Altare cum Capella B. V. Mariae de Monte Carmelo erecta fuit impensis ejusdem Confraternitatis, ubi reposita est Imago â celebri pictore D. Valentino Mezinger eleganti penicillo picta. Secunda Ara fuit primitus erecta in honorem Sanctae Annae, cui substituta fuit statua B. V. Brunensis, tandem anno 1769. die 16. Aprilis Dominica tertia post Pascha processionaliter introducta fuit gratiosa statua B. V. Mariae Lancovicensis, et in hac Ara collocata, ad quam copiosa ob magnas hic impetratas gratias undique affluere solet devoti populi multitudo. Haec Ara ruinae proxima de novo piorum fidelium eleemosynis anno 1779. erecta fuit. Tertia est S. Dismae paenitentis cum Christo Crucifixi latronis, quae modo titulum Sanctissimi Crucifixi induere coepit, fuit pariter hoc eodem 1779. anno nova erecta. Quarta Ara est honoribus S. Josephi Sponsi Intemeratae Virginis Mariae dedicata, ac eodem hoc anno 1779. noviter erecta. Quinta Ara in honorem S. Petri de Alcantara erecta fuit diversorum benefactorum eleemosynis anno 1757. Porro, an hae Arae laterales aliquando consecratae fuerint? nullum reperitur vestigium.

§. II.
De Epitaphiis, et Confraternitatibus.

I. Primum Epitaphium in Sanctuario penes Aram Majorem ex cornu Evangelii est quondam Ill'mi D'ni Joannis Baptistae L. B. de Moskon sequentis tenoris:

Hic jacet
Ill'mus Dominus Dominus
Joannes Baptista
Liber Baro de Moscon
qui obiit tertia Maji
Anno Domini
1674.

II. In Capella Scapularistica Epitaphium Excellentissimae Dominae Reginae Comitissae ab Attems natae Comitissa â Wurmbrand conjugis Excell'mi Domini Comitis Thaddaei, et Matris Celsissimi, et Reverendissimi Domini Principis Ernesti Amadaei quondam Episcopi Labacensis lapidi cum scuto gentilitio aureis litteris incisum sic sonat:

Hier Liegt begraben Ihre Excellenz Die Hoch, und Wollgebohrne Frau Maria Regina Graffin Von Attems Ain Gebohrne Graffin Von Wurmbrand, so den 24. April 1715. Ihres Alters 55. in Gott selig Verschiden bittend ain Vatter unser, und Ave Maria.

III. Penes Aram S. Petri de Alcantara tabulae marmoreae inscriptum, et insculptum legitur Epitaphium Ill'mi Domini Sigefridi Adami Comitis â Lamberg germani fratris Ill'mi, et piissimi D. Francisci Comitis â Lamberg hujus tenoris:

Hic jacet
Ill'mus Dominus Dominus
Sigefridus Adamus
S. R. I. Comes â Lamberg etc.
Qui A'o MDCCXVII.
Januario exeunte
Aeternitatem est ingressus
licet in Regimine jun. Wallis
ut Capitaneus imperaret
Mortis tamen imperio cessit
Aetatis XXIX. Ann.
Tu eum praeterire cave
Quin dicas Pater, et Ave
Eique Requiem aeternam
preceris.

IV. Confraternitas unica in hac Ecclesia canonice erecta reperitur, nempe Sacri Scapularis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, quae erecta fuit anno 1702. auctoritate R'mi P. F. Caroli Philiberti Barberii Generalis Carmelitarum. Hanc Confraternitatem dein confirmavit R'mus P. Jacobus Albertus Cavina Vicarius Generalis ejusdem Ordinis, ac simul facultatem tribuit Superiori Conventus delegandi alios Religiosos, qui habitus benedicere, ad Confraternitatem suscipere, ac moribundis generalem absolutionem impertiri valeant, ut ex sequentibus patet litteris:

FR Jacobus Albertus Cavina Sacrae Theologiae
Magister et Doctor, Humilis Vicarius Generalis
totius Ordinis Fratrum beatissimae semperque Virginis
Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo antiquae
observantiae Regularis.

Dilecto nobis in Christo Reverendo Patri Guardiano pro tempore Fratrum Minorum Strictioris Observantiae Conventus Runensis salutem in Domino.

1140

Id â Nobis exposcit Christiana Charitas, ut bona, quae nobis Divina largitate contigerunt, et Spiritualia maxime, quae data danti non pereunt, in proximos communicemus. Idcirco, cum â Sede Apostolica sit nobis indulta facultas communicandi fidelibus Indulgentias, et gratias Spirituales Confraternitati nostri Scapularis ab ea concessas, facultatem tibi damus benedicendi Scapulare, seu habitum nostri Sacri Ordinis, ipsumque imponendi omnibus utriusque sexus Christifidelibus, cum omnibus Indulgentiis, et gratiis Spiritualibus, quibus Confratres nostrae Sodalitatis Scapularis gaudent, et potiuntur: modo in libro dictae Sodalitatis canonicè erecta describantur. Insuper tibi concedimus auctoritatem recipiendi fideles, quibus habitum benedictum imposueris, ad participationem omnium bonorum Spiritualium, quae die, noctuque fiunt â Religiosis totius nostri Ordinis, nec non eisdem Christifidelibus Sacrum Scapulare devote gestantibus plenariam absolutionem in mortis articulo conferendi. Praesentibus ad nostrum, et Successorum beneplacitum valituris. Ubi autem devotioni fidelium commodius safisfieri queat, potestatem tibi facimus Rn'dum Patrem Sacristam pro tempore ad praedicta substituendi. Datum Romae in Conventu nostro S. Mariae Transpontinae die 14. Novembris 1730.

FR Jacobus Albertus Cavina
V. Gn'lis Carmel.

(L. S.) Fr' Josephus Maria Solarius
Socius R'^mi^, et Secret'^rius^

§. III.
De Sacris Reliquiis, ac aliis pietatis exercitiis.

I. Nobiliores hujus Ecclesiae Reliquiae cum suis authenticis hae numerantur

1. Insignis, et solito major particula Sacri Ligni, in quo Salvator nostrae redemptionis opus consumavit.
2. Ex cingulo Seraphici Patris nostri S. Francisci.
3. Notabilis Reliquia ex pallio S. Josephi Sponsi B. V. Mariae.
4. Ex osse S. Antonii Paduani.
5. Ex osse S. Bonaventurae Episcopi, Ecclesiae Doctoris.
6. Ex osse S. Paschalis Baylon Conf.
7. Ex osse S. Petri de Alcantara Conf.
8. Ex habitu S. Bernardini Senensis.

II. In capsula quadam eburnea affabrè elaborata, intus serico rubro obducta haec pretiosissima Reliquia Sacratissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi duplici crystallo aureo circulo inclusa, sigillo munita, et serico rubro involuta servatur, de qua sequens testimonium reperitur:

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi Amen. Cum annexa sanguinis pretiosi Reliquia talis non solùm

dicto, verum et evidenti miraculo (ut in fine praesentis informatoriae, ac litterae demonstrabitur) comprobata sua authentica carent, Ill'ma Domina Domina Juliana nata â Frangepan de Tersacz ad praesens Vidua Comitissa ab Abensperg, et Traun, â qua honorificè, et venerabiliter in decenti loco, ac singulari cura, utpote pretiosus thesaurus in propria arce Runensi in districtu Styriae locata asservatur, requisivit, et instanter postulavit â me P. F. Casimiro Dimiakovich Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia lectore, Concionatore generali, nec non Provinciae Bosnae, Croatiae, et Carnioliae Custode actuali, ac Commissario Conventuum per Croatiam delegato, quatenus examen, ac inquisitionem certam, juratamque (si opus fuerit) super praefatam Reliquiam, scripturam aliquam juxta testium, liberam, et indubiam depositionem extenderem, eique traderem, ut eam pro ulteriori, et meliori aliorum certitudine Reliquiae associatam teneret. Ego honestis, et devotis petitionibus praefatae Ill'mae Dominae Comitissae satisfacere exoptans die 6. mensis Augusti Anni 1687. dedi principium inquirendi, indagandi, et examinandi.

Reperi imprimis, quod anno circiter 1649. gubernii Generalatus Carlostadiensis Ill'mi, et Excels'mi Domini Wolffgangi Christophori de Frangepanibus â Tersacz ad suum filium verum, ac legitimum Ill'mum Dominum Georgium Comitem â Tersacz, qui postmodum gloriose fungi promeruit Officio Vice Generalatus Praesidii Carlostadiensis, in arce Runensi ex tunc degentem quidam Pater aetatis mediae Ord. Min. S. Francisci Provinciae Bosnae Argentinae Sacerdos ex terra Sancta veniens, et ad propriam Provinciam revertens, in itinere suo diverterit ad supra dictam arcem Runensem, ibique diversorium per noctem postulaverit, et humanissime acceptus fuerit; Dum autem coenam cum praefato Ill'mo D. Comite sumeret, interrogatus ab eodem, unde veniret? cui respondit Pater, quod ex terra Sancta, subjunxit Ill'mus Dominus Comes, num ex illis locis Sacris aliquam memoriam, aut Reliquiam secum deferret? dixit Pater se habere unam Reliquiam in Capucio virtutem, et venerationem omnium aliarum excedentem. Ductus Ill'mus D. Comes desiderio vehementi eam videndi eapropter rogat Patrem, ut eam ostenderet, cui petitioni replicatim sibi facta, humillimis excusationibus renuit assentiri. Contigit hoc praesentibus suis Aulicis, inter quos aderat D. generosus Mirko Nicassinovich vir annosus, mente integerrimè sanus, fide, ac omni aestimatione dignus, cum quo hac de re die 6. Augusti Anni 1687. longum sermonem habui.

Comes videns frustraneitatem suarum petitionum, ac Patris negationem audiens, vehementiori accensus desiderio eam videndi, imo et Patri, si possibile erit, aufferendi: Idcirco imposuit secreto familiaribus suis, inter quos erat praefatus Dominus generosus Mirko, Daniel Bosubsky, Joannes Hervoy, et alii, ut Reliquiam ex Capucio de nocte clam Patri dormienti aufferrent, quod per praefatos, dum ex itinere fatigatus somno opprimeretur, etiam factum est. Pater expirata nocte surgens de mane, in precum peractione volens suam solitam devotionem erga Reliquiam exercere, quam cum diligenti inquisitione adhibita non reperisset, totus conturbatus, tristi, ac quasi lachrymis decadentibus accurit jam ad unum, jam ad alterum,

1142

imo ad ipsum Ill'mum Dominum Comitem, eumdem efficacissime exorando, ut sibi fieret restitutio pretiosissimae Reliquiae sui Redemptoris, ipso cubante, ac dormiente proxima nocte ex Capucio ablatae.

Ill'mus Dominus Comes fingens ignorantiam facti, jussit cunctis suae arcis, ut, si quis unam Reliquiam Patris haberet, eidem statim traderet; jussioque haec nihil profuit, quia omnes negabant se eam vidisse. Sic pauper Religiosus extremè desolatus, gratias agens religiosa humilitate pro praestita sibi charitate, absque sua Reliquia iter arripiens versus suam patriam. Post suum discessum praefatus Ill'mus Dominus Comes Georgius Reliquiam adferri jubet, et ad se vocato uno Patre Societatis Jesu cognomento Capuan, ipsi narravit modum, quo eam adeptus sit, â quo, et quam charam Religiosus ille Franciscanus tenebat; dicit ipsi, ut eam solveret, ac aperet, renuti bonus Pater Jesuita id facere absque praevia propria Conscientiae reconciliatione, qua peracta revertitur ad Ill'mum Dominum Comitem in manu Reliquiam gestantem, circumstantibus Dominis Dominis Generosis supradicto Mirko Nicassinovich, Daniele Bossubsky, Joanne Hervoy, et aliis Nobilibus, ac honestis suae Aulae viris, accpeta â Patre Jesuita praefata Reliquia in serico panno involuta, et filo benè obducta, incoepit Pater eam solvere; dum autem ad ultimam usque complicationem deveniret, recentissimus sanguis ipsi extremitates digitorum, et ungues conspersit: quo viso miraculo omnes adstantes perterriti, ac trementes sese stati, una cum Patre Jesuita ad adorandam eam in genua prostraverunt, implorantes Divinam Clementiam, ut illis per misericordiam suam veniam commissi erroris, ac peccatorum impertiretur; interim vacantibus illis orationi, Pater accepto uno parvulo cultello cum maxima devotione rasit, ex unguibus, et digitis gutulas sanguinis, easque magna reverentia iterum involvit eo modo, quo ad praesentem usque diem cernuntur involutae.

Ita testatur praefatus Dominus generosus Mirko Nicassinovich omnia supradicta narrata, et scripta de verbo ad verbum esse vera, exhibens etiam se, si opus fuerit, velle juramento firmare. Ultro mihi verbotenus subjunxit, quod dum quidam Dominus Bedekovich obsessus â Diabolo vexaretur, Pater Franciscus Benkovich Ordinis Minorum S. Francisci, et hujus nostrae Provinciae Concionator, cum exorcizans adstante numeroso populo inscio obsesso, ipsi supra caput applicuit praefatam Sacrosanctam Reliquiam, statim prorupit patiens in extraordinarios clamores, et ululatus dicendo *Ker* non potens, aut nolens proferre *Kerii* (quod Latinè sanguis interpretatur) absque mora patiens ab omni vexatione immundi Spiritus liber remansit, et pristinae suae sanitatis integerrime est restitutus. Ita testor ego supranominatus Ecclesiae Sanctae Dei Minister Casimirus Dimiakovich praesenti hoc testimonio, sive littera omnibus, et singulis eam inspecturis, lecturis, pariter et legi audituris de certa, indubia, ac diligenti indagatione super omnia praedicta â me facta. Datum in Conventu Runensi die 7. Mens. Sept. 1687.

(L. S.) Confirmo, ut supra. Ego Fr' Casimirus Dimiakovich, Prov. Cust. et Commis. deleg. Conv'tuum Croatiae

III. In hoc Conventu ordinarie duo instituuntur Verbi Dei Disseminatores, quorum unus diebus Dominicis, alter festivis ad populum copiose affluentem sermonem habet. Quolibet Mense in una ex Dominicis ducitur praemissa prius exhortatione, publice Via Sanctae Crucis. Praeter exauditionem Confessionum populi, quia ad nostram Ecclesiam non tantum ex Civitate, sed etiam ex tota vicinia singulis festivitatibus, et Dominicis diebus, praesertim Scapularisticis propter plenariam, quam Consodales confessi, et Sacra communione refecti acquirunt Indulgentiam, accurit expiandae Conscientiae gratia, saepissimè Religiosi â Vicinis Dominis Parochis in subsidium evocantur ad audiendas fidelium Confessiones, imo antequam Parochia Runensis, in Parochiam Runensem, et Dobovensem divisa fuisset, saepius nostri Religiosi cum viatico ad infirmos excurrere debebant.

Caput V.
Catalogus Patrum, et Fratrum in hoc Conventu pie in Domino defunctorum.

[~~1665. 25. Feb. V.P. Benedictus Fliegell an. Rel. 30.~~][665]

1666. 13. Jan. A.V.P. Michael Noyse Styr. Graec. olim Prov. Diff'or, et act. Praesid. ann. Rel. 39.
1669. 11. Jul. V.P. Antonius Scornuss Forojul. ann. 28. Rel. 8.
1675. 5. Jun. M.V.P. Salvator Saiz Carn. Idriens. act. Praes. an. 34. R. 12.
1682. 19. Jun. Rel. Fr' Maximilianus Altendorfer laic. Labac. ann. 39. Rel. 19.
1683. 20. Mart. V.P. Benedictus Serounig Org. an. 35. Rel. 15.[666]
1687. 6. Feb. M.V.P. Wolffgangus Köll Vic. act. ann. 51. Rel. 28.
…… 18. Feb. M.V.P. Bonaventura Spindler Carn. Gurgfeld. act. et primus huj. Conv. Guard. ann.[667] Rel. 24.
…… 7. Dec. M.V.P. Paulus Faustinger Carn. Lab. Con'or, lect. Theol. saep. Guard. ann. 45. Rel. 28.
1689. 7. Feb. Rel. Fr' Leonardus laicus Bavarus.
…… 6. Mart. M.V.P. Franciscus Flachenfeld Labac. Con'r, lect. Guard. act. ann. 33. Rel. 17.
1699.[668] 24. Mart. M.V.P. Ferdinandus Chiargo Gorit. an. Rel. 46.
1709. 13. Jan. Rel. Fr' Emericus Resch laic. ann. 61. Rel. 37.
1712. 21.[669] Maji V.P. Blasius Francetich Flumin. Con'r an. 38. Rel. 17.
…… 10. Dec. Rel. Fr' Adjutus Huetter laic. Bav. Landsperg. an. 53. Rel. 28.
1713. 10. Mart. M.V.P. Josephus Radovich Con'or, fuit Vic. et Guard. ann. 50 Rel. 32.
1715. 31. Mart. V.P. Adrianus Sdelz Styr. Runens. an. Rel. 7.
…… 2. Jun. M.V.P. Cyrillus Faganelli Gorit. fuit Guard. an. Rel. 23.
1718. 20. Apr. M.V.P. Ambrosius Wallbrun Bav. fuit Nov. Mag. an. 48. Rel. 29.
1722. 17. Sept. Rel. Fr' Pacificus Klinz Carn. Camnic. laic. ann. Rel. 33.

1144

1723. 27. Feb. R. Fr' Faustinus Verlohner Tyrol. laic. an. 41. Rel. 14.
…… 26. Jul. A.V.P. Augustinus Decleva Labac. bis Exdiff'or ann. 68. Rel. 50.
1725. 19. Feb. Rev. P. Angelicus Direin Bavar. Conc. Mag. Nov. Con'or. lect gener. Ex-Diff'or, Ex-Cust. an 59. Rel. 41.
…… 31. Maji A.V.P. Mauritius Bobner Crainb. Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or ann. 59. Rel. 39.
…… 13. Jun. V.P. Crescentius Wachainer Con'or act. an. Rel. 26.
…… 27. Oct. V.P. Eduardus Terpin Labac. ann. 44. Rel. 25.
1728. 27. Feb. VP. Modestus Wachainer Carn. Lab. ann. 43. Rel. 26.
1731. 6. Maji M.V.P. Vitalis Weinmann Bavar. fuit olim Vic. et Guard. ann. 64. Rel. 47.
…… 10. Aug. R. Fr' Berardus Jelle Bav. laic. ann. 66. Rel. 46.
1732. 24. Apr. Rel. Fr' Valerianus Schimon Camnic. Cler. an. 21. Rel. 2.
1733. 1. Maji Rel. Fr' Valentinus Mertschun Lab. Cler. an. 57. Rel. 40.
…… 26. Jul. M.V.P. Martinianus Schaliekar Carn. saepius Vic. et Guard. an. Rel. 41.
1734. 8. Jul. VP. Florianus Silvestri Lab. Org. ann. Rel. 51.
1735. 13. Maji Rel. Fr' Martius Geisenhoffer Bav. laic. an. Rel. 29.
1737. 9. Dec. M.V.P. Didacus Thorri Con'or, et Guard. an. 57. Rel. 41.
1738. 10. Apr. VP. Simon Pillepich Flumin. Con'r an. 29. Rel. 10.
1740. 4. Dec. Rel. Fr' Cornelius Prenner Tert. ann. 28. Rel. 9.
1741. 26. Maji Rel. Fr' Jonas Jamnik Lab. laic. an. 33. Rel. 12.
1743. 16. April. Rel. Fr' Paschasius Schiell Bav. laic. an. 66. R. 43.
1745. 15. Aug. Rel. Fr' Albinus Suppantschitsch Carn. laic. Novit. ante mortem tamen professus ann. 25. Rel. 8. mens.
1747. 18. Oct. Rel. Fr' Barnabas Winther Moguntinus laic. an. 73. Rel. 53.
1748. 2. Feb. V.P. Liborius Lenaz Flum. ann. 27. Rel. 7.
1751. 6. Jul. VP. Desiderius Grimbschitsch Carn. an. 55. Rel. 31.
1752. 3. Jan. M.V.P. Wenceslaus Campus Labac. lect. Ss. Theol. Con'or insignis ann. 51. Rel. 30.
1753. 3. Apr. Rel. Fr' Humilis Roth Locopolit. laic. an. 50. Rel. 24.
…… 14. Apr. VP. Romualdus Laurin Carn. Vipac. Vic. act. et pluribus annis Profess. Gymnas. Neostad. an 36. Rel. 17.
…… 22. Apr. Rel. Fr' Bonaventura Murgel Runens. Styrus, laic. ann. 64. Rel. 44.
…… 27. Oct. Rel. Fr' Stephanus Humpl Bav. laic. an. 70. Rel. 53.
1756. 15. Maji V.P. Samuel Gladig Carn. Locop. Con'r fest. act'lis ann. 34. Rel. 14.
1758. 13. Jun. V.P. Anselmus Sellan Carn. Lustallens. an. 31. Rel. 12.
…… 26. Dec. VP. Blasius Widiz Carn. Lab. ann. 58. Rel. 40.
1759.[670] 16. Feb. Rel. Fr' Dominicus Suppan laic. an. 76. Rel. 51.
…… 24. Jun. Rel. Fr' Fridebaldus Jenko Carn. Locop. cler. ann. 22. R. 2.
1760 7. Sept V.P. Candidus Kerniz Carn. Lab. an. 32. Rel. 13.
1763. 9. Sept. Rel. Fr' Norbertus Neümayr Bav. laic. an. 66. Rel. 37.

…… 8. Nov. Rel. Fr' Simeon Norigoi Carn. laic. ann. 45. Rel. 18.
1764. 7. Mart. V.P. Methodius Zurhaleg Carn. Labac. an. 34. Rel. 16.
1767. 31. Jul. V.P. Ferdinandus Arzaga Carn. Lab. an. 57. Rel. 38.
1768. 27. Aug. VP. Victorinus Wegund Styr. Sac. Jub. ann. 76. Rel. 58.
…… 25. Dec. VP. Ludovicus Planquess Carn. Seisenburgen. an. 53. Rel. 33.
1770. 5. Dec. V.P. Samuel Gottschever Carn. Neost. ann. 28. Rel. 10.
1771. 6. April. Rel. Fr' Blasius Steinhaver laic. ann. 34. Rel. 13.[671]
1772. 17. Nov. VP. Dominicus Prettner Carn. Rattmonstorff. ann. 36. Rel. 20.
1773. 2. Jan. Rel. Fr' Berardus Winterholler Bavar. laic. Chyr. praestans, et charitativus, olim terrae S. incola ann. 62. Rel. 41.
…… 16. Sept. Rel. Fr' Berardus Stroy Carn. cler. Philos. studens ann. 25. Rel. 4.
1774. 26. Feb. Rel. Fr' Marcus Vidmayr Carn. Tert. an. 52. Rel. 31.
…… 2. Maji Rel. Fr' Vincentius Perreti Liburn. Fluminen. Cler. Philos. stud. ann. 21. Rel. 4.
…… 19. Sept. Rel. Fr' Moricus Schenck Tyrol. laic. ann. 39. Rel. 17.
1777. 19. Apr. Rel. Fr' Josephus Jessenko laic. Organifex, Arcul. ann. 73. Rel. 52.
1782. 21. Jan. V.P. Illuminatus Minatti ann. 29. Rel. 11.
1784. 23. Maji[672] VP. Ernestus Skassa Con'or Styr. Altenb. a. 56. R. 37.
1785. 8. Maji RFr' Nicomedes Trobezinger Carint. Clagenf. laic. sut. ann. 60. Rel. 35.
…… 7. Nov. RP. Eduardus Prislan Styr. Riezens. Jub. an. 75. R. 56.
1786. 15. Feb. RP. Barnabas Schwagen Carn. Covarien. an. 64. R. 39.

1146

Caput VI.
Elenchus Patrum Praesidentum, et Guardianorum Conventus Runensis.

Praesidentes

AVP. Michael Noyse Ex-Diff'or 1659. 1660. 1661. 1662. 1663. 1664. 1665.
A.V.P. Michael Angelus Bosnyak lect. Con'or Gn'lis Ex-Diff'or 1666.
M.V.P. Daniel Lucanus Con'or lect. Gn'lis 1667.
M.V.P. Stanislaus Remus Con'or 1668.
M.V.P. Daniel Lucanus Con'or, lect. Gn'lis 1669.
M.V.P. Bonifacius Pullin Con'or 1670. 1671. 1672.
A.V.P. Bonaventura Ukmar Con'or, Ex-Diff'or 1673.
V.P. Salvator Saiz 1674.
M.V.P. Alexander Schuebel Con'or Gn'lis 1675.
V.P. Ludovicus Perizhoffer 1676.
V.P. Hypolithus Zherne 1677.
M.V.P. Bonaventura Spindler Conor, lect. 1678. 1679. 1680.
M.V.P. Eugenius Weilhardt Con'or, lect. 1681. 1682.
M.V.P. Bonaventura Spindler lect. Con'or Gn'lis 1683. 1684. 1685.
V.P. Joannes Baptista Schlibnig Con'or 1686.

Guardiani

M.V.P. Bonaventura Spindler Con'or Gn'lis, lect. el. 15. Dec. 1686.
M.V.P. Gabriel Scheffertnig Con'or, et lect. 1687.
M.V.P. Franciscus Flachenfeld Con'or, et lect. 1688.
M.V.P. Bonaventura Gietler Con'or, et lect. 1689.
A.V.P. Antonius Bressan Con'or Gn'lis, bis Ex-Diff'or 1690.
M.V.P. Henricus Fabiani Con'or, lect. Gn'lis 1691. 1692. et 1693. elect. 29. Martii
M.V.P. Bonaventura Metternich Conor el. 26. Nov. 1693. 1694.
M.V.P. Seraphinus Vogel Con'or 1695.
M.V.P. Wenceslaus Muchizh 1696.
A.V.P. Paschalis Mazoll Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1697. 1698.
A.V.P. Augustinus Decleva Con'or, Ex-Diff'or 1699. 1700. 1701.
M.V.P. Martinianus Schabieker 1702.
A.V.P. Augustinus Decleva Con'or, Ex-Diff'or 1703. 1704.[673]

M.V.P. Franciscus Adelmann lect. 1705.
M.V.P. Vitus Juriavitsch Con'or, lect. 1706.
M.V.P. Franciscus Adelmann Con'or, lect. 1707.
A.V.P. Augustinus Decleva Con'or, bis Ex-Diff'or 1708. 1709. 1710.
M.V.P. Paulinus Rutter 1711.
A.V.P. Mauritius Bobner Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1712. 1713.
M.V.P. Paulinus Rutter 1714. 1715.
M.V.P. Antonius Posel Con'or, et lect. 1716.
M.V.P. Urbanus Nusdorffer, Con'or 1717.
M.V.P. Bernardus Schein Con'or, lect. Gn'lis 1718.
M.V.P. Josephus Bachovitsch Con'or 1719. 1720. 1721.
M.V.P. Antonius Posel Con'or, lect. Theologus 1722.
M.V.P. Archangelus Schittenberger Con'or 1723.
R.P. Angelicus Direin Con'or, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or, Ex-Custos 1724.
M.V.P. Cyriacus Spreizer Con'or 1725.
A.V.P. Antonius Posel Con'or, lect. Theol. Ex-Diff'or 1726. 1727. 1728.
M.V.P. Aloysius Valvasor Conor 1729.
M.V.P. Josephus Bachovitsch Con'or 1730.
M.V.P. Thomas Sagar 1731.
M.V.P. Romanus Schustertschitsch Con'or 1732.
M.V.P. Calixtus Watscher Con'or, lect. Gn'lis 1733.
M.V.P. Robertus Skerpin 1734. 1735. 1736. anno 1737. 1738. 1739. usque ad 6. Dec. ùt Praesidens.
A.V.P. Thomas Sagar Ex-Diff'or el. 6. Dec. 1739. 1740.
M.V.P. Aegidus Omersa Con'or el. 18. Feb. 1741.
M.V.P. Waychardus Posarelli Conor. el. 18. Nov. 1741.
A.V.P. Albertus Cerne Con'or, lect. Theologus, Ex-Diff'or 1742.
M.V.P. Urbanus Nussdorffer Con'or 1743. 1744.
M.V.P. Joannes Nepomucenus Tropper Con'or, lect. Gn'lis 1745.
M.V.P. Cyrillus Makai Con'or 1746. 1747. 1748.
M.V.P. Florianus Tschokl Con'or lect. Theol. 1749. 1750.
M.V.P. Placidus Juray Con'or 1751. 1752. 1753.
M.V.P. Reginaldus Franz Con'or 1754.
M.V.P. Archangelus Michelitsch Con'or, lect. Gn'lis 1755. 1756.
M.V.P. Jacobus Wocalitsch Con'or 1757.
M.V.P. Chrysogonus Schustertschitsch Con'or, lect. Gn'lis 1758.
M.V.P. Jacobus Kukaina Con'or, lect. Gn'lis 1759.
A.V.P. Christinus Danielitsch Ex-Diff'or 1760. 1761. 1762.
M.V.P. Fortunatus Dollenz Con'or 1763. 1764.

1148

M.V.P. Philippus Petteneg Con'or, lect. Gn'lis 1765. 1766. 1767.
M.V.P. Reginaldus Franz Con'or 1768. 1769. 1770.
M.V.P. Florentianus Jeperscheg Con'or, lect. Gn'lis 1771.
M.V.P. Remigius Baschnig Con'or 1772. 1773.
M.V.P. Maximus Selderer Con'or 1774.
M.V.P. Juvenalis Smodin Con'or, lect. Gn'lis 1775.
M.V.P. Norbertus Paccassi Con'or, lect. Gn'lis 1776. 1777. 1778.
A.V.P. Simeon Purger Con'r, lect. Gn'lis, Ex-Diff'or 1779. 1780.
MVP. Erenfridus Gnad Con'or, lect. Gn'lis 1781.
MVP. Joan. Nepom. Wallensperg Con'or, lect. Ss. Th. 1782. 1783.
MVP. Ezechiel Sullak Con'or, lect. Gn'lis 1784. 1785. 1786.
M.V.P.[674] Heribertus Fabiani 1787. 1788. 1789. 1790. 1791. 1792. 1793. 1794. 1795.
M.R.P. Regalatus Massitsch 1796. 1797.
M.R.P. Antoninus Pissig 1798. 1799. 1800. 1801. 1802. 1803.
M.R.P. Eustachius Pober 1804. 1805. 1806. 1807. 1808. 1809. 1810. 1811. 1812. 1813. 1814. 1815. 1816. [NB. Iste Con'tus, et Nazarethanus anno 1810 Graecensi Provinciali concrediti, sed 12. Jan. 1816 nostrae Prov'iae restituti fuerunt.][675] 1817[676] usque ad Capit. 12. Aug.
[Deinde eligebantur tempore Capituli v. Congregationis ordinarie mense Aug. v. Sept.:][677]
Anno 1817. M.R.P. Seraphinus Koder, Conc. 818. 819. 820.
Anno 1820. M.R.P. Benedictus Dimmer, Lect. 1821.
Anno 1821. A.R.P. Hugolinus Leiler, D'ftor, 1822. 823. 824. 825. 826.
Anno 1826. M.R.P. Augustinus Czeriak, 827.
Anno 1827. A.R.P. Ananias Hostnik, Df'tor, 828. 829. 830. 1831. 1832.
Anno 1832. M.R.P. Constantinus Walland, Conc. 833. 834. 835.
Anno 1835. A.R.P. Leonardus Kosar, Ex-Min'r, 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847.
Anno 1847. M.R.P. Gotthardus Spendé, Con'or, 848. 849. 850.
Anno 1850. M.R.P. Bernardinus Osredkar, Con'or, 851. 852. 853.
Anno 1853. M.R.P. Philippus Fliess, Con'or, 854. 855. 856.
Anno 1856. M.R.P. Alphonsus Smolič, Con'or, 857. 858. 859.
Anno 1859. M.R.P. Theodorus Zajec, Con'or, 860. 861. 862.
Anno 1862. M.R.P. Mansuetus Šmajdek, Lect. emer. 863. 864. 865.
Anno 1865. M.R.P. Celsus Novak, schol. mag., 866. 867. 868.
Anno 1868. M.R.P. Aemilius Krašović, mag., 1869.
Anno 1869. M.R.P. Gilbertus Gravl, mag., 870. 871. 872.
Anno 1872. R.P. Cornelius Arko, Org. 1873.
Anno 1873. R.P. Chrysologus Grežnik, Lect. emer. 874. 875.
Anno 1875. R.P. Godefridus Hlebec, conc. 876. 877. 878. 879.

Sigillum

Conventus Runensis praesefert effigiem S. Antonii de Padua in manu Jesulum tenentis cum hac orbiculari inscriptione: SIG. CON. RUNEN. ORD. MIN. S. FRANC. REFORM.

22. Maji 1780.

XV. CONVENTUS ad D. Virginem in Coelos Assumptam JASKAE In Regno Croatiae.

Caput I. De introductione Fratrum Minorum S. Francisci ad locum Jaskensem.

I. Jaska, [cui?][678] germanis *Jastrobiz*, Croatis *Jaszterbarszko* oppidum civitatulae aequivalens intra Dioecesim, et Comitatum Zagrabiensem in Croatia Domui Austriaca parente conclusum, 3. mil. germ. Carlostadio recedit, 4. verò Zagrabiâ cum dimidio. Quadrante horae ab hoc oppido in campo undequaque libero, aedificata fuit olim Ecclesia in honorem Beatissimae Virginis Mariae in Coelos Assumptae (quem titulum adhuc hodie retinet) et probabilius â florentissima in [Hungaria,][679] Sclavonia, et Croatia (quae multos Regnis Dalmatiae, Sclavoniae, et Croatiae dedit Bannos, et Supremos diversorum Comitatuum Comites, nec minus pientissima, utpote quae plurima per Regna Hungariae, Croatiae, et Sclavoniae ad augmentum cultus Divini excitavit Deo sacrata templa, et Monasteria) Familia Erdöediana: ut alia taceam, sola haec nostra minima S. Francisci Seraphici Provincia S. Crucis Croatiae Carnioliae nunc intitulata tres numerat Conventus videlicet S. Leonardi in Silvis, Clanicensem, et hunc Jaskensem, qui Inclytam Familiam Erdoedianam pro suis fundatoribus, et singularibus Patronis venerantur.

II. Haec Ecclesia primitus data fuit Ordini Praedicatorum, seu Patribus Dominicanis, quam iidem vel ob defectum alimentorum, aliarumque rerum necessariarum, vel verò ob continuas Turcarum incursiones (quae olim frequentes erant) una cum Conventu deseruerunt, et alio migrarunt; nam anno 1414. Turcae prima vice hostiliter Croatiam penetrarunt, qui dum adverterent, sibi rem e voto successisse, spe praedae illecti saepius similes irruptiones attentarunt, quamvis non semper felici cum progressu; signanter anno 1469. et 1479. quibus Croatis magnum damnum intulerunt, verum anno 1483. Croatae vindictam sumentes ingenti clade Turcas straverunt ex Carniolia, et Styria magna praeda onustos, domum revertentes, quorum 15. millia in ore gladii perierunt, 18. Christianorum millia, qui in captivitatem abducebantur, liberata sunt, ac omnis praeda adempta. Anno 1493. et 1508. Turcae denuo magna damna in Croatia causarunt, sed anno 1513. septem eorum millia

1150

â Petro Banno Croatiae, et Michaele Comite â Slun occisa erant. Similes Turcarum incursiones subsequentibus annis saepis repetitae fuêre, ùt anno 1541. 1543. 1558. 1560. 1570. 1577. 1582. quas irruptiones, et plures alias videre est apud Valvasorium in Topogr. Carn. lib. 12. c. 13. pag. 119. et seqqu.

III. Caeteris tamen miserandis, deplorabilior erat strages, quam Bassa Bosnensis in *Turonopolie* in Croatia die 30. Septembris 1592. crudeliter intulit; etenim in 24. horis, 49. pagos spoliavit, et succendit, bis mille Christianorum in duram captivitatem abduxit cum ingenti frumenti, et animalium praeda, qua allecti anno sequenti usque Samaborinum, et Jaskam, ubi duos Postae Magistri famulos occiderunt, equos acceperunt, et domum spoliarunt. Hae fors, et probabilius erant causae, quod P. P. Dominicani locum Jaskensem deseruerint, et aliò vitam salvaturi profugerint. Quo verò recte anno P. P. Dominicani Conventum deseruerint? mihi compertum non est. Imo, eos aliquando Jaskae Conventum habuisse, ac ibidem habitâsse, per multa authentica documenta demonstrari potest. Unicus est testis coaevus P. Franciscus Glavinich, qui lib. de Orig. Prov. Bosnae Croatiae pag. 30. sequentia habet: *La Chiesa di Giascha fù edificata da i Signori, e popoli circonvicini, e fù data all'Ordine de' Padri Domenicani, quale (per haverla loro abbandonato) fù data alli Padri Francescani della Provincia di Bosna Croatia dal Conte Tomaso Erdeodj di Dalmatia, Croatia, e Slavonia Bano l'anno 1610.*

IV. Ex hoc Glavinichiano testimonio clarè colligetur, quod Ecclesia cum Conventu Patribus Franciscanis per D. Thomam Comitem de Erdoedy Banum Croatiae, Dalmatiae, et Sclavoniae, tradita fuerat anno 1610. anno nempe, quo ipsusmet prima vice in Ministrum Provincialem hujus Bosnae Croatiae, nunc Croatiae Carnioliae Provinciae renuntiatus fuit, nisi P. Glavinich sibimet ipsi obstaret in eodem opusculo de Orig. Prov. Bosnae Croatiae, ubi pag. 42. dicit, quod trigesimum primum Capitulum Provinciale hujus Provinciae fuerit celebratum in Conventu Tersactensi anno 1604. in quo ARP. Antonius Diussich electus fuit Minister Provincialis, sub cujus gubernio fuit locus Jaskensis permutatus, nam Fratres habitabant prius in Oppido; verba illius sic sonant: *Sotto il commando di questo si commutò il luogo di Giascha, posciachè i Frati stavano prima nel Borgo*. Ex his verbis non tantum apparet contrarietas in testimonio P. Glavinich, sed ex posterioribus verbis etiam desumitur, quod Fratres Minores ante annum 1604. Jaskae in oppido habitaverint, cujus tamen rei nullum prostat vestigium. Facile nihilominus contingere potuit, ut in illis turbulentis temporibus, quibus et Dominicani locum deseruerint nec Dominis Curatis in loco suae Residentiae tutò consistere licuit ob Turcarum metum, Patres Franciscani in solatium Christifidelium ex vicino S. Leonardi Conventu pro administrandis Sacramentis advocati fuerint. Sive verò Patribus Franciscanis Ecclesiae B. V. Mariae in Campo anno 1604. sive 1610. collata fuisse credatur, negotium non facessit.

1151
N'o 49.

Caput II.
De variis fundationibus Conventui Jaskensi a diversis piis benefactoribus factis.

I. Postquam Fratres Minores occupassent Conventum Jaskenskem, fuit mox omnium bonorum, terrae arabilis, faenilium, et vinearum, ac colonorum adhuc prius ad Conventum, et Ecclesiam Jaskensem pertinentium facta conscriptio die 14. Septembris anni 1611. et ipsa conscriptio Fratribus extradita. Cumque terra per Fratres excoli nequiret, et coloni eam excolere detrectarent, Excell'mus D. Comes Thomas Erdoedy Banus Croatiae, et Dominii Jaskensis tunc possessor, eos per suae Arcis Officiales ad laborandum compelli jubebat per sequens Rescriptum die 5. Dec. 1615. exaratum:

Nos Comes Thomas Erdeody de Moniorokerek, Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Comes perpetuus, nec non Tavernicorum Regalium per Hungariam Magister, ac Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis Consiliarius. Damus pro memoria, quod nos colonis Claustri Beatissimae Virginis Mariae in pertinentiis Arcis nostrae Jazska fundati, omnino in Comitatu Zagrabiensi existentis habiti, diversas ob rationes, certosque ob respectus denuo tales leges, et modos ad serviendum Rn'dis Fratribus praefati Claustri posuimus, et praescripsimus, imo ponimus, et praescribimus, quippe imprimis unusquisque ejusdem Monasterii colonorum quolibet anno ad, et propter seminandum cujuscunque generis frumentum campestre debebit dare unum aratrum cum sufficientibus animalibus, et hominibus praefatis Patribus, qui labores suis commodis, et convenientibus temporibus fieri ut possint, serio committimus, et mandamus Provido Georgio Zub, ut is horum omnium diligentem, et omnimodam curam habeat, eosque compellat ad dictos labores perficiendos plenariè, et integrè, cui si obedire recusaverint, ex tunc requiret Officiales nostrae Arcis Jaszka, ut eosdem poena proportionata fustibus puniant, et cogant ad laborandum. Similiter frumentum omnis generis, ubi maturitatem habuerit, colligent, ac faenum herbis defalcatis conservandum suis locis, et temporibus curabunt: et ne multis agamus, omnes labores alios, ut alii nostri coloni Jaszkenses facient, poenas praescriptas alias percepturi sunt. In cujus rei robur, et testimonium hasce litteras nostras eisdem dandas duximus, et concedendas. Datum in Arce nostra Jaszka quinta die mensis Decembris Anno Domini Millesimo Sexcentesimo decimo quinto.

Comes Thomas Erdödy (L. S.)

II. Successu temporis accesserunt et aliae particularium personarum Conventui Jaskensi factae terrarum donationes, quas ob illorum temporum paupertatem Viciniae, quam Turcae saepius hostiliter visitarunt non cum exiguo incolarum

damno, omnino acceptare oportuit, innixi Fratres erant Bullae Sixti IV. qui Fratribus Minoribus Provinciae [Vicariae][680] Bosnae Croatiae[681] facultatem tribuit pro illis duris temporibus recipiendi, et retinendi bona immobilia citra

1152

Conscientiae remorsum suis litt. incip. *Romanus Pontifex* de dato Tibure anno 1473. pridie idus Augusti, quas confirmavit Julius II. litt. incip. *Hodie emanarunt* de dato Romae anno 1511. decimo Kalendas Februarii, ut videre est supra part. 2. c. 12. n. 3. pag. 194. Sic Thomas Dimiakovich donavit unum frustum terrae apud S. Emericum: aliam terram dedit quidam Matkovich, iterum aliam quidam Vinkovich, alias alii benefactores, specialiter tamen inter caeteros benefactores eminebant Ill'mi Domini Comites Erdeody, qui Conventum continuis favoribus, et singularibus auxiliis fovebant.

III. Cum vero possessio bonorum immobilium puritati Regulae Fratrum Minorum aperte repugnet, Fratres, dum Provincia ad Reformationem transiisset, omnia bona immobilia, licet ad ea possidenda per Sixtum IV. pro illa angustia temporum habiles declarati fuerint â se abdicare decreverunt, et juxta puritatem Regulae omnibus rejectis dispensationibus vitam instituere. Unde etiam in hoc Conventu Jaskensi anno 1686. die 18. Aprilis omnia bona stabilia ad ipsum pertinentia aestimata erant, quorum valor ascendit ad 932. fl. Rhen. ac dein ipsis fundatoribus, aut eorum haeredibus resignata, reservato horto pro Fratrum refocillatione, et nonnullis faenilibus pro nutriendis aliquibus necessario penes Conventum habendis animalibus. Ea bona, quorum donatores, nec eorum haeredes amplius extabant, quibus resignarentur, erant divendita, ac pretium eorum consistens in f. 520. applicatum erat in aedificium Conventus, et Ecclesiae. Loco bonorum immobilium ipsis fundatoribus signanter Familiae Erdoedianae resignatorum, petierunt Patres ab eadem Ill'ma Familia, ut iisdem alia eleemosyna in natura quotannis danda, et tribuenda assignaretur, quorum petitioni post multas preces annuit Georgius Comes Erdoedy anno 1701.

IV. Porro litterae Georgii Comitis ab Erdoedy ex Originali desumptae sic sonant:

Comes Georgius Erdeödy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Perpetuus, ejusdemque, ac Barsiensis, et Arvenensis Comitatuum Supremus Comes, Bonorum Arva, et Laethava plenipotentiarius director, Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis Consiliarius, Camerarius, et Thavernicorum Regalium per Hungariam Magister. Siquidem nos in sortem Eleemosynae usque ad beneplacitum nostrum Conventui Jaskensi Ordinis S. Francisci sex vaganos tritici, tres itidem vaganos siliginis, milii itidem tres vaganos, sex cubulos vini juris montani, et unum majalem, pro vestitu verò, carnibus, et candelis florenos hungaricales viginti annuatim ex his bonis nostris Jaszkensibus dandos deputaverimus, pro qua ordinata eleemosyna praeattactus Conventus obligabitur singulis septimanis pro felici morte nostra obeunda, ac piae memoriae Consanguineorum nostrorum animarum refrigerio duo Sacra Missae officia in ejusdem Conventus Ecclesia honori beatissimae Virginis Mariae dicata celebrare. Idcirco committimus Officialibus nostris modernis, et futuris antelatorum bonorum nostrorum, quatenus praespecificatum deputatum eleemosynale

mentionato Conventui quotannis sine omni defectu, et intermissione administrare noverint, super ejusmodi deputati modo praedicto fienda administratione â praefato Conventu quietantias recognitionales accepturi. Datum Jaszkae die decima quarta mensis Julii Anno Domini Millesimo septingentesimo primo.

Comes Georgius Erdeody m'ppa (L. S.)

V. In simili Ill'mus D. Comes Ludovicus Erdoedy, quia medietas proventuum ex Dominio Jaskensi percipiendorum ad ipsum devoluta erat, etiam pro sua parte certam eleemosynam quotannis â suis respective Arcis Jaszkensis Officialibus Fratribus Minoribus dandam assignavit, ut ex ipsius in originali extantibus donationalibus litteris constat, quae hujus sunt tenoris:

Comes Ludovicus Erdödy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis perpetuus Comes, Sacrae Caesareae, Regiaeque Majestatis incliti Regiminis Palffiani unius Compagniae Cathafractorum Capitaneus. Siquidem nos in sortem eleemosynae usque ad beneplacitum, er revocationem nostram Conventui Jaskensi Ordinis Sancti Francisci sex vaganos tritici, tres itidem vaganos siliginis, milii itidem tres vaganos, septem cubulos vini Juris montani, et duos bonos S. V. Majales, pro vestitu verò, carnibus, et candelis fl. hungar. viginti annuatim ex his bonis nostris Jaszkensibus dandos deputaverimus, pro qua ordinata eleemosyna praeattactus Conventus obligabitur pro felici morte nostra obeunda, ac piae memoriae Parentum, et consanguineorum nostrorum animarum refrigerio duo Sacra Missae officia ┬ [singulis Septimanis][682] in ejusdem Conventus Ecclesia honori beatissimae Virginis Mariae dicata celebrare. Idcirco committimus Officialibus nostris modernis, et in futurum antelatorum nostrorum (intellige *bonorum*) quatenus praespecificatum deputatum eleemosynale mentionato Conventui quotannis sine omni defectu, et intermissione administrare noverint, super ejusmodi Deputato modo praevio fienda administratione â praefato Conventu Quietantias recognitionales acceptaturi. Datum Jaszkae die prima Martii Anno Domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo nono.

Comes Ludovicus Erdödy m'ppa (L. S.)

VI. Praedictum eleemosynale Deputatum Georgius Erdödÿ Successor sui Patrui Georgy itidem Erdödy in bonis Jaszkensibus non solum benigne confirmavit, sed etiam nova Altaria adauxit, fundando nempe in *Volavie* una hora â Conventu distante ad B. V. Mariam miraculis celebrem quolibet mense unum Sacrum celebrandum erga 30. Xr' ut ex ipsius litteris de dato 9. Sept. 1740. quae in originali prostant, clarè colligitur, et sunt hujus tenoris:

Nos Comes Georgius Erdödy de Monyorokerek Montis Claudii, et I. Comitatuum Varasdinensis perpetuus, Ejusdemque et Barsiensis Supremus Comes,

Sacrae Caes'tae R'taeque Mat'tis Camerarius, Colonellus, actualis item intimus Excelsique Consilii locumtenentialis Regii Consiliarius, I. Camerae R'tae Hungaricae Praeses, et Sac'rae Regni ejusdem Coronae Conservator, nec non Ill'mae Familiae Thurro Bonorum Arva, et Lietava Director Plenipotentiarius etc. etc. Tenore praesentium recognoscimus significantes, quibus

1154

expedit universis. Quod posteaquam in Domino defunctus Excell'mus, ac Ill'mus Dominus Comes, Dominus condam[683] Georgius Erdödy de praefata Monyorokerek Judex Curiae Regiae etc. tit. Patruus noster desideratissimus vigore fundationalium litterarum suarum de A'o 1701. Jaszchae 14. mensis Julii emanatarum hebdomadatim duo Sacra, unum videlicet pro vivis, aliud verò pro defunctarum familiae nostrae animarum refrigerio per R. R. Patres V. Conventus Jaszkensis Franciscanos exactissimè legenda, praeter alia in naturalibus praestanda, ut praemissae fundationales litterae uberius indigitarent, erga annuatim praestandum per Conventionatos portionis nostrae Jaszkensis Officiales florenorum viginti quinque, id est fl. 25. stipendium, fundâsset, ex tunc nos piam non modo antetitulatae suae Excellentiae Intentionem approbantes, et fatis functae Suae Excell'ae animae pro perenni sanguinis amore consulere volentes, per omnia usque ad beneplacitum nostrum, praescriptam defuncti Excell'mi Domini Comitis Judicis Curiae Regiae fundationem confirmamus, verum etiam nosmet ipsi usque ad ulteriorem dispositionem nostram subsequentem instituimus fundationem, jam quidem antehac inchoatam, ut nimirum praescripti Reverendi Patres Franciscani Jaszkenses ad intentionem eam, quoad vixerimus, quatenus Divina Majestas Nos, Excellentissimamque Comitissam Conthoralem nostram, et descendentes Successores nostros, tam in temporalibus, quam et Spiritualibus clementissime benedicere, praescriptisque Nobis omnibus felicissimam mortem impertiri dignetur, ubi verò ex hac miseriarum valle Nos migrare contingeret, ex tunc pro animabus nostris ad aeternam, eamque immortalem caelestem gloriam perducendis, ad miraculosam beatissimae Virginis Matris Mariae Iconem Volaviensem, quovis mense unum Sacrum erga stipendium medii floreni legere obligentur, quod annuatim sex florenos exportaret; Quarè tam vigore hujus nostrae, quam etiam per Excell'mum Dominum Comitem Judicem Curiae R'ae in Domino defunctum Sacrae fundationis insimul sumptae, et accretae praescriptis R'ndis Patribus Franciscanis Jaszkensibus, annuatim subsequentia de anno in annum usque ad nostrum, ùt praemissum est, beneplacitum per modernos, vel etiam futuros portionis nostrae Jaszkensis Officiales accuratissimè, et sine defectu erga Quietantias recipiendas extradanda committuntur, et quidem ex proventu praescriptorum bonorum portionis nostrae floreni Rhenen. triginta unus, id est fl. Rh. 31. Vini cubuli sex, tritici vagani sex, siliginis vagani sex, et Majalis unus. In cujus rei memoriam, firmitatem, et robur has praesentes manu nostra propria subscriptas sigilloque majori munitas extradedimus litteras fundationales in Arce nostra Jaszka 9'na Septembris 1740.

Comes Georgius Erdödy m'ppa (L. S.)

Joann. Koller
Secretarius

VII. Ladislaus Comes Erdödy Sui Ill'mi Antecessoris Ludovici piis vestigiis inhaerens ab eodem factum gratiale Deputatum suis novissimis litteris exaratis in Dominio Jaszkensi die 4'ta Augusti anno 1767. ratum habuit, ac confirmavit sequentibus ex ipso Originali in Conventu Jaskensi asservato traductis litteris:

1155

Comes Ladislaus Erdödy de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis perpetuus Comes S'ae Cae'o-Re'ae, et Apostolicae Majestatis Camerarius. Siquidem nos in sortem eleemosynae usque ad beneplacitum, et revocationem nostram Conventui Jaskensi Ordinis S. Francisci sex vaganos tritici, tres itidem vaganos siliginis, milii itidem tres vaganos, septem cubulos vini juris montani, et duos bonos S. V. Majales, pro vestitu verò, carnibus, et candelis flor. hungar. viginti annuatim ex his bonis nostris Jaszkensibus dandos deputaverimus, pro qua ordinata eleemosyna praetactus Conventus obligabitur singulis Septimanis pro felici morte nostra obeunda, ac piae memoriae parentum, et consanguineorum nostrorum animarum refrigerio duo Sacra Missae Officia in ejusdem Conventus Ecclesia honori beatissimae Virginis Mariae dicata celebrare. Idcirco committimus Officialibus nostris modernis, et in futurum, antelatorum nostrorum (supple *bonorum*) quatenus praespecificiatum Deputatum eleemosynale mentionato Conventui quotannis sine omni defectu, et intermissione administrare noverint, super ejusmodi Deputato modo praevio fienda administratione â praefato Conventu Quietantias recognitionales accepturi. Datum in Arce Jaszka die 4'ta Augusti Anno millesimo septingentesimo sexagesimo septimo.

Comes Ladislaus Erdödy m'ppa
(L. S.)

VIII. Cum autem Officiales Ill'morum Comitum fundatorum florenos 20. pro vestitu, carnibus, et candelis procurandis destinatos intellexissent eo numerandos esse more germanico, licet apponeretur ly Hungaricales, seu Rhenenses, quod idem est, hinc, ne Fratres in sibi relicta eleemosyna defraudarentur, declaravit Ill'mus D. Comes Ludovicus Erdoedy, praefatos 20. f. computandos esse â 25. grossis, sicque fl. 25. ut ex ipsius declaratione his verbis conceptam patet:

Praesentibus intimatum habere volumus Rationistae nostro Jaszkensi Joanni Francics, quatenus in proximo retroacto anno Venerabili Conventui P. P. Franciscanorum Jaszkensium quasi usque ad revocationem sonantibus, ac extradatis fundationalibus expressatos florenos hungaricales semel pro semper per viginti quinque grossos computatos nos intelligere velit, nec secus facturus. Actum Vorösvär die 19. Aprilis anno 1730.

Comes Ludovicus Erdödy m'ppa

IX. Postquam verò Georgii Comitis Erdödy successores ad incita redacti bonis suis ob contracta apud Genuensis Reipublicae Primores debita cedere coacti erant, haec bona praefati Genuenses administranda, et in [~~recompensationem~~] solutionem[684] debiti in se transtulerunt cum oneribus tamen iisdem bonis annexis, hinc etiam et hi praefatum eleemosynale Deputatum videlicet tritici vaganos, seu metretas 6. siliginis metretas 3. milii itidem 3. Vini montanistici cubulos 6. seu mensurae Posoniensis, Majalem et 25. fl. germ. mon. annuatim fideliter tribuunt. Constitit itaque totum fundationale Deputatum in vaganis tritici 12. siliginis, milii item, vini

cubulis 13. Majalibus 3. et 50 fl. in natura erga 208. Sacra annue pro defuncta Ill'ma Familia legenda: praeter 12. Sacra ab Ill'mo D. Georgio Erdödy fundata, et in *Volavie* ad B. V. quolibet mense unum celebranda, pro quibus Conventus ab eodem dominio quolibet anno percipit fl. 6. sicque Sacra veniunt pro 30. Xr' germ. mon.

1156

Caput III.
De aedificatione, et variis restaurationibus Conventus Jaskensis.

I. Conventum Jaszkensem â Patribus Dominicanis derelictum adeo exiguum fuisse, ut capiendis 12. Religiosis non esset capax, ex eo colligitur, quod Patres nostri jam anno 1626. post annos nempè 16. circiter ab ejusdem acceptatione cogitaverint illum deserere, nisi Conventus pro 12. Religiosis capax aedificetur, sic enim sonat Decretum Diffinitoriale ex Capitulo provinciali in Monte Sancto die 4^ta^ Octobris praedicto anno celebrato: *Locus Jaszkensis, aut R'mo Ordinario, aut Ill'^mo^ Fundatori Comiti de Erdeody resignetur, ad quem tamen â S. Leonardo duodecies Divinorum peragendorum causa descendere possunt, aut pro 12. Religiosis aptus aedificetur.* Mirum apparebit non aequo rerum aestimatori, ipsosque Fratres non aequa bilance dijudicabit, quod ante paucos annos receptum Conventum, vel in incunabulis supprimere, deserere, desolatum relinquere cogitarint. Verùm si quis et ipsum victualium defectum qua ex lege Evangelica Ministris Ecclesiae debentur altius mente recogitaverit, ac Constitutionum Apostolicarum tenorem perpenderit, quae prohibent Religiosos in aliquem locum introducti, nisi 12. saltem ibidem vivere possent, qui numerus ad constituendum formalem Conventum requiritur, imbuta fors infantiae praejudicia facile abyciet. Antequam enim Fratres locum acceptarent, non tantum Comites Erdoedy, sed etiam populus vicinus omnia necessaria auxilia tam pro Conventus aedificatione, quam pro Fratrum sustentatione pollicebantur, ast introductis Fratribus omnes promissiones in aerem abierunt, nihilque Fratribus remansit praeter aliquas terrae particulas, quae prius jam ad Ecclesiam spectabant, ex quibus Fratres conformiter ad statum vivere haud poterant in numero competenti.

II. Cum anno 1640. Fratres denuo cogitarent Conventum deserere, quia Fundatores ad aedificium manus non admoverent, quidam Dominus cognomento Pernar, ne Fratres omnino discederent, se obtulit ad aedificandum Conventum, ut patet ex Decreto in Capitulo Provinciali die 24. Aprilis Tersacti celebrato anno 1640. quod ita sonat: *Jaskensis locus, si D. Pernar aedificare voluerit, retineatur, secus relinquatur.* An autem praedictus D. aliquid aedificaverit? nihil certi habetur, probabilius est , eum nullum aedificium inchoâsse, minus perfecisse, tum quia Patres posterioribus temporibus saepius solicitabant Fundatores pro restauratione Conventus, tum etiam, quia Conventus dein fuit ê fundamentis reaedificatus post mortem praedicti D. Pernar, ut inferius videbitur. Tum tandem, quia Fratres anno 1653. quo anno jam tractabatur de consignanda nobis Parochia Carlostadiensi, denuo locum Jaskensem deserendum decreverunt in Capitulo Provinciali in Conventu Camnicensi die 27. Januarii celebrato his verbis: *Jaskenses Fratres, si Carlostadiensis locus oblatus, et acceptandus videbitur, illuc transferantur, et Jaska ... deseratur.*

III. Videns extremam necessitatem fundatoris Successor Eccel'mus D. Comes Emericus Erdödy, et praevidens Fratres fore cogendos[685] ad deserendum locum, nisi eis matura provisione succuratur, eorumque tuguriolum, quod magis rusticanae domui, quam Religiosorum habitaculo simile videbatur, in Conventum redigatur, statuit, tam pio operi ultimam admovere manum, qui etiam conceptum in mente propositum ad effectum perduxisset, nisi Divina disponente providentia praematura morte praeventus fuisset, mortuus est enim 1690. 13. Aprilis septuagenarius. Ne tamen suum desiderium omni frustraretur effectu, reliquit in suo ultimo testamento 3000. fl. pro fabrica, et aedificio Conventus, et Ecclesiae. Hanc Summam Excel'mus D. Nicolaus Erdödy haeres defuncti Emerici extradidit Perillustribus, ac Generosis Dominis Joanni, et Stephano Hervoy fratribus, ut ii tamquam substituti Syndici, curam aedificii Conventus, et Ecclesiae haberent, rationem expensarum A. R. P. Ministro Provinciali coram Officialibus Dominii Jaskensis redditurі, quod clarius patet ex ipso contractu inter Comitem Nicolaum, et dictos Dominos Joannem, et Stephanum Hervoy inito, qui ex Originali traductus […][686] hunc continet tenorem:

Nos Comes Nicolaus Erdeody de Monyorokerek, Montis Claudy Comes perpetuus, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banus Confiniorum ejusdem Regni Sclavoniae Colapianorum Supremus Capitaneus, Sacrae Caes'ae Reg'aeque Majestatis intimus Consiliarius, et Camerarius. Damus pro memoria, quod in anno Domini Millesimo Sexcentesimo nonagesimo, die trigesima prima mensis Maji in Nova Curia Chaszarvariensi in Comitatu Varasdiensi habita Generosi Joannes, et Stephanus Hervoy coram nobis personaliter constituti, oneribus, et quibuslibet gravaminibus universorum haeredum, fratrum, sororum, Affinium, proximorum, successorum, et consanguineorum suorum, aliorumque quorumlibet, quos videlicet infra scriptum ad praesens tangeret, et concerneret, seu tangere, et concernere posset negotium, quomodolibet etiam in futurum, in sese ipsos per omnia assumptis, et levatis, maturis prius, et bene exactis animorum suorum deliberationibus superinde praehabitis, sponte, et libere vivarum vocum suarum proloquiis (facta prius eisdem praesentium nativo idiomate interpretatione) fassi sunt modo sequenti: Qualiter memorati fatentes ex eo, quo erga promotionem cultus Divini ferrentur zelo pro restauratione, seu erectione Monasterii Jaszkensis Patrum Franciscanorum Ordinis S. Francisci Seraphici Provinciae Bosnae Croatiae tria millia florenorum Rhenensium, in extructionem porro fornicis, et Sanctuarii, ac majoris Arae in Ecclesia Volaviensi in pertinentiis Arcis Jaszka, et Comitatu Zagrabiensi existen. habita loco Capellae florenos Rhenenses quingentos, per Excel'mum, et Ill'mum olim Dominum Comitem Emericum Erdeody de Monyorokerek Montis Claudii, ac Comitatus Varasdiensis Supremum, et perpetuum Comitem, Sac. Caes. Regiaeque Majestatis Consiliarium, Camerarium, ac Tavernicorum Regalium per Hungariam Magistrum in piae voluntatis suae testamento declarata, et in hunc finem ordinata, aliàs per Dominos executores ejusdem testamenti de pecunia ejusdem Domini Comitis testatoris sequestrata plenariè, et integraliter, defectuque sine omni levaverint, et perceperint, quemadmodum levarunt, et perceperunt coram nobis (cum ea cautione, modalitate, et obligatione, ut praememorata quidem tria millia mentionati

Joannes, et Stephanus Hervoy in modo fati claustri convenientem, et proportionatam loco erectionem, praemissos verò quingentos florenos Rhenenses in suprà fati fornicis, Sanctuarii, et Altaris, in quantum haec universa iisdem Summis adaequari, et effectuarii poterunt, fideliter, et integraliter insumere, et de erogatis

1158

praemissis tribus millibus Patri Provinciali ejusdem loci Provinciae, praesentibus Officialibus antefatae Arcis Jaszka, respectu quingentorum praemissorum florenorum Rhenensium Archidiacono loci praesentibus itidem Officialibus ejusdem Arcis, congruentem, et omnimodam rationem administrare debeant, et teneantur, et si, et in quantum toties fati Joannes, et Stephanus Hervoy in danda ratione erogationis Summa praemissa utriusque succubuerint, in tantum de bonis ipsorum fatentium, vel alterutrius eorumdem fructuosis ubicumque inter ambitum Regni hujus, et prae quorumcunque manibus reperiendis, per quemcunque Regni, vel Comitatus Zagrabiensis Justititior. tam pro parte attacti Monasterii, quam praefatae Ecclesiae absque omni termini praefixione, praesentium, aut aliorum quorumvis parium transmissione Juristiorum, vel disturbiorum, aut castrorum temporibus, prout etiam cunctis juridicis remediis non obstantibus, via liquidi debiti satisfactionem, executionem titulo redemptibili impendi, mentionati fatentes admisissent, omnimodam potestatis facultatem, quemadmodum levarunt, fassi sunt, et obligarunt se similiter coram nobis. Harum nostrarum vigore, et testimonio litterarum mediante. Datum die, loco, et anno, quibus suprà.

(L. S.) Coram me Magistro Georgio Plemich
Protonotario, Idem m'ppa.

IV. Licet verò praedicta tria millia florenorum cum caeteris adminiculis suffecissent extruendi Conventus, et Ecclesiae, quia tamen Fratres sine aliqua perpetua fundatione ibidem vivere post alienata bona immobilia sibi non fidebant sine gravi benefactorum molestia, et continuis quaestuationibus, Fratres Conventum aedificare non sinebant, donec is aliqua annuali eleemosyna provideretur, et si haec provisio non sequeretur, Conventum deserendum judicabant, ut patet ex Decreto V. Diff'orii emanato in Capitulo Provinciali in Conventu Labacensi die 22. ⊤ […][687] Aprilis celebrato 1690., quod ita sonat: *Cum Residentia Jaskensis per 80. jam decursos annos nequiverit in formalem Conventum redigi, et tria millia florenorum â quondam Excel'mo D. Comite Emerico Erdoedy legatorum, licet fabricae construendae sufficerent, nihil tamen facilior redderetur modus ibidem religiosè vivendi, utpote ubi nulla fundatione existente majorem adhuc subirent Religiosi necessitatem Divina negligendi, ut continuis quaestuationibus suam sustentationem facilitarent: statuit V. Diffinitorium, ut debite, et reverenter praemonitis Ill'mis Dominis fundatoribus, de his ita stantibus, impossibilitate nostrae subsistentiae ibidem, si illi effectivè, quod fundatorum est, non praestiterint, Residentia deseratur.*

V. Quia verò Patres ad hoc emanatum Decretum nullum annuum subsidium â fundatoribus obtinere poterant, aliam epistolam ex pleno Diffinitorio in Monte Sancto die 20. 8'bris 1694. congregato ad Nicolaum Comitem Erdoedy dederunt rogando, ut aliquod sublevamen sustentandis Fratribus ferret, Epistola his verbis concepta erat_

Ill'me D'ne, D'ne, ac Pro'ne Col'me !

Ad finem jamjam unius accedit saeculi, â quo Fratres nostri ad plagas Jaskenses ab Ill'mis Nobilissimae Familiae Erdeodianae

Praedecessoribus advocati, spe, et sponsione aedificandi, et fundandi Conventus: ad haec usque tempora non sine animi maerore, victus penuria, Spiritus, et professionis profectu veluti sub delubro delitescunt, cumque nobis non solum remorsus conscientiae, verum et monita Seraphici Patris nostri Sancti Francisci loca hujusmodi observantiae regulae, et profectui Spirituali non deservientia subterfugienda dictant, hinc hoc ipsum V'rae D'natoi Ill'mae exponendum, et qua fundatoris haeredi detegendum occurrit, et quamvis Ill'mus, et Excell'mus Dominus Dominus Comes Emericus Erdeody Ill'mae D'natois Vestrae Patruus, quasi novissimus ex Antecessoribus Ill'mis forte aliis praematura morte praeventis, vel ex aliis casibus intercessis moram piae intentionis, ac effectus in posteritate causantibus, ultimam manum operi applicandam, et ad construendum Conventum per testamentum statuerit, quia tamen destinata Summa pecuniaria fabricae, minus autem victui Fratribus ad rationem formalem Conventus necessariò multiplicandis sufficiens esse potest, ni piissima mens Ill'mi, et Excell'mi Domini Patrui, et fundatoris annuae, et perpetuae consuetae, et in votis habitae eleemosynae executrice munificentia Ill'mae D'natois Vestrae fuerit corroborata, et augmentata; ex Christi namque fidelium eleemosynis tum ob quaestuationibus angustiam, tum ob benefactorum paupertatem sustentandi ratio, et possibilitas nobis non occurrit. Quare sicut pietatem, et benignam propensionem erga Religionem Seraphicam ingenitam Ill'mae Familiae Erdeodianae non ambigimus; ita in Vestra D'natoe Ill'ma, utpote ex illo liberali stipite descendente incrementum sumpsisse minimè diffidimus; accedit proinde spes fiduciae nostrae, quod Vestra D'natio Ill'ma huic piae intentioni Testatoris non solum pro dictamine conscientiae promptam sit delatura executionem, quin etiam pro sui perenni nominis gloriosissimi gloria, meriti augmento, benedictionis caelestis, felicissimae successionis incrementio familiam Jaskensem, et Clanicensem, annua, ac perpetua elargienda eleemosyna sit consolatura, et assecuratura: in cujus effectum, et finem non demissimè commendantes, munificentissimam, et gratiosissimam declarationem praestolamur, nullamve nobis ex contrario eventu migrandi occasionem persuademus, sed reverenter inclinati nos dicamus. Datum in Conventu nostro Montis Sancti supra Goritiam ex pleno Diffinitorio die 20. Octobris 1694.

V'rae D'natois Ill'mae

Humill'mi Servi, et Obseq'mi Capellani
Fr' Paschalus Mazoll Prov'iae Diff'or m'ppa
Fr' Petrus â Flumine Prov'iae Diff'or m'ppa
Fr' Henricus Fabiani lector Gn'lis, et Prov'iae Deff'or m'ppa
Fr' Zacharias Battich Prov'iae Deff'or m'ppa
Fr' Sigismundus Sigonius Custos m'ppa
Fr' Conradus Ziegler Ex-Min'r m'ppa
Fr' Franciscus Uzolin Prov'iae P'r m'ppa
Fr' Gaspar Beltram Prov'iae P'r m'ppa
Fr' Antonius Lazari P'r Ordinis,
et Min'r Pro'alis Provinciae
Reformatae Carnioliae m'ppa

1160

VI. Putarunt Patres nostri, se per praecitatam epistolam ab Ill'mis fundatoribus desideratum victûs subsidium absque omni dubio obtenturos, ast spes eos fefellit, nam et haec epistola suo caruit effectu. Cum itaque Fratres non admiserint, ut Conventus aedificetur, antequam aliqua annua eleemosyna pro eorum sustentatione â fundatoribus assignetur, Joannes, et Stephanus Hervoy, ne eleemosyna 3000. f. pro fabrica Conventus applicanda in eorum manibus mortua maneat, eam ad fructificandum a 6. pro Cento propria auctoritate elocarunt; et quidem 2000. f. posuerunt ad Interesse ad Excell'mum Dominum Comitem Georgium seniorem Erdeody Arcis Jaskensis possessorem die [30. Junii 1694].[688] Tertium mille verò datum fuit circumvicinis Nobilibus per partes: Postquam verò praelaudatus Comes Georgius Erdeody in anno 1701. certam annuam eleemosynam pro Fratrum sustentatione assignasset, etiam Conventus reparari, et aedificari coepit. Quare anno 1706. D. Comes Erdoedy Georgius Senior, quia non solvebatur Interesse de 2000. f. jussit per suum Praefectum Joannem Hervoy juniorem de neglecto Interesse praeparare materialia, ac aedificium inchoare, fuit itaque anno 1706. inchoatum aedificium Conventus, et quidem tractus ab Ecclesia versus *Zuetkovich* ex parte septentrionali, qui usque ad annum 1712. durante vita praetitulati Georgii Comitis ad medietatem fuit terminatus, in quod aedificium insumpti erant ultra 900. f. de restanti Interesse.

VII. Vita functo Ill'mo, et Excell'mo Domino Comite Georgio Erdoedy, fabrica Conventus etiam agonizabat, et sopita mansitusque ad annum 1721. quo anno urgente ARP. Bernardino Gregoritsch Ministro Provinciali intra biennium absolutus fuit hic ambitus cum Refectorio, et Culina. Qui tractus, cum 12. habeat cellas pro habitatione 12. Religiosorum, qui sufficiunt ad constituendum Conventum, hinc fuit anno 1723. formalis Conventus declaratus post 113. ab ejus possessione annos, primusque Guardianus die 20. Oct. praedicti anni electus fuit immediatus Praesidens P. Nazarius Vidrich, qui saepius jam antehac hujus Residentiae Praesidens erat, et ipsius aedificandae promotor sedulus. Dum anno 1724. haeredes 4. D'ni Comitis Georgii Erdoedy senioris celebrarent divisionem bonorum, etiam debita passiva, inter quos numerabantur f. 2000. ab Excell'mo D. Comite Emerico Erdoedy pro fabrica Conventus applicandi, inter eos juxta proportionem substantiae cuilibet obvenientis, dividi oportuit. Hinc donec compositio inter haeredes non fuisset secuta, Conventus nil percipiebat sive de currenti, sive de restanti Interesse. Postquam verò haec compositio peracta fuisset, Excell'mus D. Emericus Erdoedy unus ex comportionatis die 17. Aprilis 1727. solvit 1500. f. et de neglecto interusurio f. 417. den. 40. qui sumpti faciunt f. 1917. den. 40.

VIII. Percepta praedicta eleemosyna fabrica circa reliquam Conventus partem, et Ecclesiam ad annum 1730. sub Provincialatu A. R. P. Maximi Ruesch denuo reassumpta fuit, et continuata sub Provincialatu A. R. P. Sigismundi Skerpin, quae anno 1734. totaliter ad perfectionem deducta fuit praeter fornicem Chori, Ecclesiae, frontispicium, et pavimentum, quae sequenti anno perfectionem suam attigerunt. Est igitur Conventus hic tot annis fabricatus quadriangularis, horto circumdatum, in quo praeter caeteras officinas, conservatoria, et Bibliothecam sunt 22. Cellae pro Religiosorum habitatione accomodatae. Habitant autem hic loci communiter 18. aut 19. Religiosi, qui praeter cap. praec. specificatam eleemosynam fundationalem vivunt ex eleemosynis ostiatim emendicatis, et Missarum stipendiis.

Caput IV.
De Ecclesia, Altaribus, Cryptis, Confraternitatibus, aliisque piis exercitiis.

§. I.
De Ecclesia, et Altaribus, eorumque Consecratione, nec non de factis pro Ecclesia fundationibus.

I. Cap. praec. dictum fuit, quod Excell'mus D. Emericus Erdoedy in suo testamento anno 1690. reliquerit. 3000. f. pro aedificio Conventus, et Ecclesia Jaskensis, quos Domini Joannes, et Stephanus Hervoy ad fructificandum elocarunt, et quidem 2000. f. investierunt in Dominio Jaskensi, reliquos 1000. f. aliis vicinis Nobilibus per partes distribuerunt erga annuum in regno consuetum Interesse. Postremos 1000. f. circa annum 1706. dein praedicti Domini iterum levarunt, eosque una cum obveniente interusurio in Ecclesiae fabricam converterunt, quibus Ecclesiam extenderunt, prolongarunt, fornicem prius tabulatum, fecerunt muratum, Chorum extruxerunt, ac Organum apposuerunt, et hoc tempore fuit Ecclesia quoad muros absoluta, exceptis Aris, quae dein successive erectae erant, et Capella Scapularistica, quae anno 1734. extructa fuit, ut infra videbitur. Habet Ecclesia Jaskensis in longitudine orgias 13. et 4. pedes, in latitudine verò, dempta Capella Scapularistica, 4. orgias. Festum titulare, seu patrocinium hujus Ecclesiae est in festo B. V. Mariae in Coelos Assumptae: Dedicationis vero ejusdem anniversaria dies quotannis recolitur, Dominica 3'tia post Pascha.

II. In hac Ecclesia 5. extant Arae, nempe Ara Major B. V. Mariae in Coelos Assumptae. *2'da* B. V. Mariae in Capella Scapularistica. *3'tia* S. P. N. Francisci. *4'ta* S. Antonii de Padua. *5'ta* S. Petri Regalati, quibus addi potest Ara *6'ta* extra Ecclesiae Januam sub turri in honorem Christi flagellati erecta. Ecclesia una cum primis 4. Aris solemni ritu consecrata fuit die 16. Aprilis anno 1750. ab Illustrissimo, et Reverendissimo Domino, Domino Georgio Wolffgango Chiolich Segniensis, et Modrussiensis, seu Corbaviensis Ecclesiarum canonicè unitarum Episcopo de expressa licentia Excell'mi, Ill'mi, et R'mi Domini Domini Ordinarii L. B. de Klobusiczky Episcopi Zagrabiensis. Ara S. Petri fuit jam post peractam consecrationem erecta, unde tunc consecrari nequibat, Ara Christi flagellati benedicta tantùm est cum sua Capella, â tunc existente Superiore locali. Jam de Aris singulis singillatim agendo notandum.

III. Quod Ara major B. V. Mariae in Coelos, quem titulum Ecclesia praeseferebat, antequam nobis tradita fuisset, erecta nova fuerit circa annum 1706. quo Ecclesia aedificata erat, dein anno 1734. facta fuit Ara nova Goritiae ex marmore, pro qua jam anno 1712. Ill'ma Domina Barbara Sidonia Dellasimonovich nata Comitissa Peranczhy legaverat f. 800., quae summa extradita fuit mox post erectam Aram, â Fisco Regio, qui defunctae bona post mortem occupaverat, et eleemosynam pro Ara dispositam in deposito tenebat. Ara autem antiqua translata erat ad noviter aedificatam Capellam Scapularisticam, quia Confraternitas, quae expensas in aedificanda Capella tulit, non erat suffi-

ciens ad ferendas expensas in novum Altare faciendas. Pro intertenendo perpetuo lumine ante Aram majorem, ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, diversi benefactores diversa legata fecerunt, et imprimis D. Georgius Hervoy senior legavit f. 100. itidem alios 100. f. legavit praetacti Domini relicta vidua: Quaedam verò Domina Ruchich dicta legavit f. 150. qui simul sumpti conflant Summam 350. f.

IV. Anno 1634. D. Casparus Volunich legavit quamdam vineam Conventui, seu Residentiae *Radinschag* vocatam cum onere omni mense unum Sacrum pro animae suae refrigerio in perpetuum legendi: cum verò Conventus tempore reformationis bonis immobilibus renuntiâsset, etiam haec vinea divendita fuit f. 200. qui propter annexum perpetuum onus ad fructificandum elocati erant ad Arcem Jaskensem una cum prioribus 350. f. pro illuminatione lampadis, quorum se debitorem agnovit Ill'mus D. Comes Ladislaus Erdoedy, ut ex sequenti charta alba in Orig. patet hujus tenoris:

Cartabianca

Per 550 f. sage fünfhundert fünfzig gulden von denen P. P. Franciscanern in Jaska â 5 pr' Cento Jährlichen Interesse entlehnet, und zu unsern handen richtig empfangen haben, jedoch mit viertel Jähriger Aufkündung nebst verfallenen Interesse zu bezahlen schuldig sind, bescheinen es mit eigener vnterschrift und Petschaft. Gegeben in Jaska den 1ten Augusti 1767.

Graf Ladislaus Erdödy m'ppa
(L. S.)

V. Ara, et Capella Scapularistica aedificata fuit anno 1734. aere Confraternitatis Scapularisticae, ad quam posita erat Ara antiqua majoris Altaris, sed quia haec Ara jam prius exoleta erat hinc anno 1743. nova ex Gypso efformata est, ast et haec propter humiditatem loci modicae erat durationis, nam anno 1754. debuit fieri nova Ara in Capella Scapularistica, quae anno 1757. fuit depicta, et ad perfectionem deducta, ut modo videtur. Ara 3^{tia} S. P. N. Francisci fuit renovata post factam bonorum stabilium alienationem circa annum 1700., dein anno 1743. fuit Ara novo facta ex gypso, quia verò ob humiditatem loci cito defecit, fuit anno 1757. nova facta expensis Perillustris Domini Joannis Gutterer de Guttenfeld Mercatoris Carlostadiensis. Ara 4ta S. Antonii Patavini coaeva est Arae S. Francisci, easque vicissitudines passa est, dempto, quod ea, quae facta est anno 1743. ex gypso, etiamnum perstet. In loco, ubi nunc Ara S. Petri Regalati consistit, olim erat Ara S. Crucis, cui anno 1748. substituta fuit Ara S. Petri, quae post biennium destructa, et derelicta fuit, nec erat cum aliis aris consecrata, unde anno 1753. nova ex ligno fabricata fuit. Capella cum sua Ara sub turri in honorem Christi flagellati, ad quem magnus fit populi affluxus, et singulari devotionis affectu celebratur, erecta fuit anno 1764. anno 1768. depicta, et statua Christi flagellati crystallo obducta.

VI. Anno 1746. nova Cathedra, ad quam ex orientali Conventus parte aditus patet, ex gypso nova facta est. In Campanili tres

pendent Campanae justae pro hoc loco magnitudinis, quarum major anno 1762. transfusa fuit cum additamento materiae 146. lb. pariter Campana mediocris anno 1767. fracta, sequenti anno refusa, et ad turrim posita erat expensis 118. f. benefactorum diversorum ope, et auxilio. Organum novum factum fuit, anno 1776. dexteritate P. Lazari Jambschig [p. t. Con'tus Organistae],[689] qui â duobus germanis fratribus Ill'tmis Comitibus Ladislao, et Ludovico Erdoedy piissimis fundatoribus obtinuit 300. f. quorum primus pro hoc opere contribuit f. 200. alter f. 100. Anno 1778. fuerunt duae novae Cryptae factae, et Ecclesia tota lapide strata, ne imposterum effossa humo, et superingesta defunctorum cadavera sepeliantur. Ut ex Frontispicio Ecclesiae apparet, fuit illud primo anno 1747. ad perfectionem deductum, ut ex sequenti supra portam Ecclesiae inscripto Chronographico patet:

HVC fLentes CVrrIte peCCtores, aC
aVXILIVM VIrgInIs InVoCate.

§. II.
De Cryptis, viris illustribus hic sepultis, de Confraternitatibus, aliisque piis exercitiis.

I. In Ecclesia Jaskensi quatuor numerantur Cryptae, quarum prima est immediate ante Sanctuarium pro tumulandis nostris Confratribus, secunda est in Capella Scapularistica pro Confratribus Confraternitatis B. V. Mariae Sacri Scapularis expensis ejusdem Confraternitatis facta, Et aliae duae noviter in Ecclesia factae pro tumulandis personis Saecularibus. Quia autem Ecclesia in loco humido est, et saepius contigit, ut tempore majoris pluviae Cryptae aqua replerentur, ad avertendum itaque hoc incommodum fuit anno 1776. et sequenti canalis ex Cryptis eductus, per quem influens aqua semper defluit. Ecclesiae contiguum est Coemeterium, in quo totus pagus Zuetkovich suos mortuos sepeliendi gratis privilegium habet, si verò aliquis in Ecclesia sepeliri vult, solvit tantum 7. f. ubi alii 10. solvere debent, tum quia haec communitas in primordiis coepti aedificii specialiter adjuvit Conventum, tum etiam, quia hic pagus ex propriis silvis administrat ligna focalia: hujus pagi, qui quadrante â Conventu distat, incolis defunctis gratis quoque pulsatur Campana minima, quia haec ab iisdem procurata fuit.

II. In hac Ecclesia sequentes memoratu dignae personae, tacitis multis aliis, quorum notitia ad nos non pervenit, sepultae requiescunt

1740. die 9. Aprilis obiit in oppido Jaska Perillustris Domicella Francisca de Pozzi, quae penes Aram S. Francisci sepulta fuit.

1750 die 2. Maji ex hac vita migravit in Dominio Jaskensi Excellentissima, et Illustrissima Domina Domina Comitissa Regina Erdoedy de Monyorokerek, nata Comitissa de Stubenberg, conthoralis Excellentissimi, et Illustrissimi Domini Comitis Ludovici Erdoedy, quae sepulta est penes Aram Sancti Antonii de Padua.

1751. die 5. Septembris mortem oppetiit Illustrissimus Dominus Franciscus de Bonazzi in dominio suo Pokupie, et 7. ejusdem

1164

huc adductus sepultus est in Ecclesia immediate ante gradum Capellae Scapularisticae, cui superstes Ill'ma Vidua Domina Josepha de Bonazzi, nata de Pozzi, curavit apponi lapidem sepulchralem cum hac inscriptione: *Hier liegt begraben der Wohlgebohrne Herr, Herr Franz Xaveri von Wonazzi, Herr der Herrschaft Crupp, und Eden Gradecz in 25. Jahrs seines Alters. Gestorben den 5. September A'o 1751.*

1754. Mortua est Perillustris Domicella Caecilia Kusovichin, fuitque in hac Ecclesia sepulta penes Aram S. Antonii de Padua.

…… 6. Augusti naturae debitum solvit Perillustris, ac Generosus Dominus Balthasar Virnich, locumtentens in Bannatu, et sepultus fuit ante Aram S. Antonii de Padua penes scamna.

1755. 23. Aprilis sepultus est penes suum Fratrem Balthasarum Perillustris Dominus Adamus Virnich ante Aram S. Antonii.

1756. Praematura morte abrepta fuit Nobilis Domicella Anna Maria de Bonazzi, quae ex dominio Pokupie huc advecta, nacta est sepulturam sui defuncti Genitoris ante gradum Capellae Scapularisticae.

1763. die 8. Decembris sepulta fuit prima ad Cryptam Scapularisticam Nobilis Domicella Constantia Franchichin, quam postea plures in Oppido Jaska mortuae personae ad hanc Cryptam sunt secutae.

1765. 11. Januarii sepulta est Nobilis Domina Francisca Piffiana, nata Szebichiana sub scamnis penes Capellam Scapularisticam.

…… 15. Januarii sepultus est Perillustris Dominus Antonius Simanovich Provisor Dominii Jaskensis ex parte Suae Excellentiae Domini Comitis Georgii Erdoedy.

…… 8. Augusti sepultus est Perillustris Dominus Emericus Ehegely Provisor Dominii Jaskensis.

1771. In Januario temporalem vitam cum aeterna commutavit Perillustris, ac Generosus Dominus Balthasar Dellasimonovich, et ex suo bono duabus horis abhinc distante advectus est, et sub scamnis ad medium Ecclesiae ex parte Arae Sancti Antonii de Padua effossa humo, et desuper injecta tumulatus est.

III. Confraternitas unica canonicè erecta in hac Ecclesia viget, nempe Sacri Scapularis B'mae Virginis Mariae de Monte Carmelo, quae anno 1719. de facultate Reverendissimi in Christo Patris Caroli Cornaccioli totius Ordinis Fratrum beatissimae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo antiquae Observantiae Regularis Prioris Generalis de dato Romae ex Conventu Sanctae Mariae Transpontinae die 11. Novembris. Quia verò hoc eodem anno, in mense Octobri idem R'mus Pater Generalis etiam A. R. P. Ministro Provinciali Jaco-

bo Hoffstetter, et Successoribus ejus facultatem dederit recipiendi ad Confraternitatem, habitus benedicendi, ac imponendi, nec non Confratribus, et Consororibus in extremis constitutis generalem absolutionem impertiendi sub ipsissimo verborum tenore, quo et P. Guardiano Jaskensi eadem facultas data fuit, ut mox infra videbitur, fuit per facultatem P. Guardiano Jaskensi, seu potius pro tunc adhuc Praesidenti datam, revocata fuit facultas prius P. Ministro Provinciali data, ac cassa, et in nulla declarata, quae aliunde in ejus persona tantum nominalis erat; utpote quae nunquam, aut raro in actum exiret, quia P. Provincialis per sibi datam facultatem destitutus erat potestate subdelegandi, praesens autem in singulis locis erectae Confraternitatis haud esse potuit.

IV. Porro facultas benedicendi Scapularia, eaque receptis ad Confraternitatem imponendi, ac infirmis in mortis articulo, aut periculo constitutis generalem absolutionem impertiendi P. Superiori Conventus Jaskensis â Reverendissimo P. Priore Generali Ordinis Carmelitarum concessa, et ex Originali transumpta sic sonabat:

NOS FR CAROLUS CORNACCIOLI

Sacrae Thelogiae Magister, et Doctor, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum beatissimae, semperque Virginis Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo antiquae Observantiae Regularis.

Dilecto nobis in Christo Reverendo Patri Guardiano nunc, et pro tempore existenti Conventus Fratrum Ordinis Sancti Francisci Reformatorum loci Jaskensis nuncupati Dioecesis Zagrabiensis salutem in Domino.

Id â nobis exposcit Christiana Charitas, ut bona, quae nobis Divina largitate contigerunt, et Spiritualia maxime, quae data danti non pereunt, in proximos communicemus: Idcirco cum â Sede Apostolica sit nobis indulta facultas communicandi fidelibus Indulgentias, et gratias Spirituales Confraternitati nostri Scapularis ab Ea concessas, facultatem tibi damus benedicendi Scapulare, seu habitum nostri Sacri Ordinis ipsumque imponendi omnibus utriusque sexus Christifidelibus cum omnibus Indulgentiis, et gratiis Spiritualibus, quibus Confratres nostrae Sodalitatis Scapularis gaudent, et potiuntur: modo in libro dictae Sodalitatis canonicè erectae describantur: Insuper tibi concedimus auctoritatem recipiendi fideles, quibus habitum benedictum imposueris ad participationem omnium bonorum Spiritualium, quae die, noctuque fiunt â Religiosis totius nostri Ordinis, nec non eisdem Christifidelibus Sacrum Scapulare devotè gestantibus plenariam absolutionem in mortis articulo conferendi: ea tamen conditione, et non aliter, quod hac facultate non uteris extra locum, in quo habitas, nec praesente aliquo Sacerdote Ordinis nostri facultatem habente: alias ex nunc pro tunc hanc concessionem revocamus, et irritamus. Prasentibus ad nostrum, et Successorum beneplacitum valituris. In quorum fidem etc. Datum in Conventu nostro Sanctae Mariae Transpontinae de Urbe die 11. Novembris 1719.

Per praesentes tamen annullamus, et cassamus facultatem bene-

1166

dicendi etc. factam in personam A. R. Patris Provincialis Carnioliae pro tempore praedictorum Fratrum Reformatorum, quam cassam, et nullam esse volumus, et declaramus.

FR Carolus Cornaccioli
Gn'lis Carmelit.

(L. S.) Fr' Laurentius Milanesi
Pro Secret'ius

V. In hoc Conventu duo instituuntur Concionatores, quorum unus diebus Dominicis, alter festivis populo copiosè affluenti Verbum Dei ê Sugestu in lingua Croatica proponunt. Via quoque S. Crucis devote frequentatur, quae ad majorem devotionem erga hoc pium exercitium excitandum, ac ad altius recolenda Dominicae Passionis mysteria quolibet mense publicè ducitur praeeunte, et mysteria ejusdem Passionis praelegente Sacerdote. Praeter copiosam ad nostram Ecclesiam populi expiandae conscientiae gratia affluentiam Sacerdotes frequentissimè evocantur ê Vicinis D. Parochis puta Ochiczensi, Petrovinensi, in Pokopsko etc. a exaudiendas fidelium Confessiones: imo totus Pagus Zuetkoviczensis, utpote, qui longius â sua Petrovinensi Parochia distat, â nostris Religiosis ex Conventu Jaskensi omnia Sacramenta infirmorum percipit, sicut et nonnullae aliae domus in vicinia existentes. Hujus pagi proles ex Conventione inter Parochum Petrovinensem, et Jaskensem, baptismi Sacramentum percipiunt â Parocho Jaskensi utpote viciniore, â Parocho verò proprio praeter Sacramentum Matrimonii non percipiunt alia.

VI. Habuit etiam hicce Conventus pro meliori Fratrum sustentatione quamdam Praebendam, seu beneficium in Ecclesia Parochiali S. Nicolai ad lateralem Aram S. Petri in oppido Jaszka fundatum â quondam Ill'mo Domino Comite Petro Erdoedy, vi cujus Fratres qualibet Septimana duo Sacra feriâ nempe 4'tâ, et 6'tâ tam pro vivis, quam defunctis Familiae Erdoedianae celebrare obligabantur, quae verò oneri hujus utilitas fuerit? non specificatur. Hoc beneficium ab Ill'mo Domino Comite Sigismundo Erdoedy Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banno Fratribus Minoribus Conventus Jaskensis die 17. Junii anno 1629. collatum postmodum ad R. R. D. D. Petrinos devolutum fuit, quod etiamnum retinent. Litterae collativae beneficii dicti in Archivo Conventus adhuc in Originali asservantur, quae hujus sunt tenoris:

Nos Comes Sigismundus Erdeody de Monyorokerek Montis Claudii, et Comitatus Varasdiensis Comes perpetuus, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banus, Sacratissimae Caesareae, Regiaeque Majestatis Consiliarius, Cubicularius, et Confiniorum Collapianorum praefati Regni Sclavoniae Supremus Capitaneus. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quomodo nos ex certis rationibus, et respectibus Praebendam Capellae Sancti Petri ad latus Ecclesiae Parochialis Sancti Nicolai in oppido Arcis nostrae Jaztrabarzka, Comitatuque Zagrabiensi existen. sitae, Reverendis in Christo Patribus Fratribus Franciscanis Claustri beatissimae Virginis Mariae hìc in Jaztrabarzka

fundati, nostra juris patronatûs nos jure haereditario, et perpetuo concernentis, authoritate, qua jure optimo fungimur, simul cum cunctis praefatae Praebendae utilitatibus

obventionibus, proventibus, et emolumentis quibuslibet ad eamdem Praebendam de jure, et ab antiquo spectantibus, et pertinere debentibus praefatis Fratribus Franciscanis Claustri superius memorati Jaztrabarzkensis usque ad beneplacitum nostrum dandam, et conferendam pariter et habendam, talibus interpositis conditionibus, ut singulis Septimanis per anni circulum decurrentibus, quovis anno ┬ […][690] duo Sacra feriis utpote quartâ, et sextâ pro refrigerio animae Illustrissimi condam Domini Comitis Petri Erdeody de praefata Monyorokerek, et Avi nostri piae reminiscentiae fundatoris videlicet dictae Praebendae, tum etiam pro vivis, et defunctis Familiae ejusdem fundatoris in praefata Capella S. Petri facere, et celebrare; dictam verò Praebendam, dum, et quandocunque nos, aut Successores nostri repetere, et rehabere vellemus, vellentque, eamdem nobis, aut Successoribus nostris absque ulla renitentia remittere, et resignare: Inventarium quoque cum rebus in eodem conscriptis integre, et plenariè, sineque ullo defectu, prout eorumdem manibus nunc assignatum est, iidem Fratres dicti Claustri Jazkensis reddere, et relinquere debeant, et sint obligati. Harum nostrarum vigore, et testimonio litterarum mediante. Datum in praefata Arce nostra Jaztrabarzka die decima septima mensis Junii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vigesimo nono.

Comes Sigismundus Erdeody m'ppa

(L. S.)

(L. S.) Fr' Franciscus Hervoy
Guard. m'ppa

Caput V.
Catalogus Patrum et Fratrum (quorum notitia haberi potuit) in hoc Conventu piè in Domino defunctorum.

1652 10. Dec. M.V.P. Laurentius Zernar Flumin. olim hujus Residentiae Praesidens ann. Rel 47.
1655. 24. April. Rel. Fr' Petrus laicus Provinciae Bosnae Argentinae professus.
1662. 6. Junii M.V.P. Antonius Radich actualis hujus Residentiae Praesidens.
1663. 20. Maji M.V.P. Franciscus Flego Tersacten. et actualis Guard. Carlostadiensis ann. Rel. 35.
1667. 27. Aprilis V. P. Martinus Provinciae Bosnae Argentinae Alumnus.
1670. 13. Feb. M.V.P. Hyacinthus Craveggia Goritiens. actualis hujus Residentiae Praesidens ann. Rel. 15.
1680. 18. Sept. Rel. Fr' Eusebius Passer laic. ann. 50. Rel. 24.
1682. 2. Nov. MVP. Hypolithus Cerne Conc. ann. 46. Rel. 26.

1168

1688. 8. Nov. V.P. Josephus Bossich Carn. ex Piuka ann. 51. Rel. 28.
1691. 6. Nov. Rel. Fr' Gregorius Kopeschek laic. annor. 46. Rel. 25.
1692. 18. Maji V.P. Seraphinus Sorin ann. Rel. 11.
1693. 13. Octob. M.V.P. Bonifacius Kröll ann. Rel. 29.
1699. 2. Jan. VP. Samuel Jancovich Croata Carlost. ann. 33. Rel. 9.
1701. 16. Oct. M.V.P. Gabriel Scheffertnig Carn. Labac. fuit saep. Guard. Con'or, et lect. ann. 60. Rel. 40.
1707. 5. Jan. Rel. Fr' Lucas Sibar Carn. laic. ann. 36. Rel. 17.
…… 13. Julii Rel. Fr' Thomas Schuln laic. ann. Rel. 12.
1708. 3. Nov. M.V.P. Ignatius Schwarz ann. 59. Rel. 39.
1709. 30. Jan. V.P. Seraphinus Ruchich Dalmata, fuit in Saeculo Sacerdos, et Dioecesis Segniens. Vicarius Gener. ann. Rel. 5.
…… 8. Feb. Rel. Fr' Aegidius Wainer German. laic. an. Rel. 36.
…… 13. Maji Rel. Fr' Valentinus Jagodiz Carn. laic. ann. Rel. 29.
1714. 29. Sept. Rel. Fr' Josephus Schaller laic. Arcul. ann. Rel. 21.
…… 26. Oct. V.P. Celsus Crainz Goritiens. ann. 32. Rel. 13.
1715. 14. Jul. Rel. Fr' Isidorus Eigentler laic. an. Rel. 18.
1716. 5. Feb. V.P. Cyprianus Waisl Carn. Crainburgen. ann. Rel. 26.
1717. 18. Apr. V.P. Guilielmus Isanz Carn. Labacen. ann. Rel. 25.
1721. 7. Sept. V.P. Thaddaeus Jambschig Carn. Vipacens. ann. 44. Rel. 22.
1723. 31. Octob. Rel. Fr' Casparus Nusdorffer laic. Carn. Oberfeldens. ann. 67. Rel. 48.
1725. 5. Mart. M.V.P. Nicolaus Schussiz Carn. Mokrizens. olim hujus Convent. Praesidens ann. 67. Rel. 44.
1726. 3. Nov. Rel. Fr' Pontianus Lippitsch laic. Carn. Locopolitan. ann. 28. Rel. 8.
1727. 15. Januar. M.V.P. Zepherinus Francovich Liburnus Flumin. multis annis Concion. et actualis hujus Conv. Guardian. ann 53. Rel. 33.
1728. 8. Decemb. V.P. Jeremias Resch Styrus Religiosus pius, et exemplaris ann. Rel. 32.
1729. 3. Mart. Rel. Fr' Humilis Sparer laic. Styrus Marpurg. ann. 49. Rel. 21.

1740. 25. Mart. V.P. Constantinus Dellafontana Carn. Labac. dum actu ad Aram Divina operaretur, tactu apoplectico repentè perculsus, eadem die expiravit an. 64. Rel. 44.
…… 17. Maji V.P. Marianus Polschag Carn. Vippac. singularis exemplaritatis vir ann. 61. Rel. 42.
1747. 1. Jun. Rel. Fr' Remigius Jacomini laic. Gorit. an. 56. Rel. 23.
…… 13. Sept. VP. Basilius Herbitius Con'or, Gorit. an. 47. Rel. 27.
1751. 17. Apr. MVP. Dominicus Pillepich Liburn. Flum. multorum annorum Con'or eximius, saepius Guard. Religione, et Sacerdotio Jubilaeus ann. 88. Rel. 69.
1752. 17. Maji Rel. Fr' Thomas Lenh laic. Styr. ann. 53. Rel. 28.
1753. 15. Aug. Rel. Fr' Marius Kriviz laic. Salcan. an. 46. Rel. 23.
…… 19. Octob. Rel. Fr' Antonius Kuhar laic. Carn. an. 66. Rel. 41.
1754 27. Maji V.P. Januarius Saller Labac. Org. an. 47. Rel. 26.
1756. 19. Apr. VP. Faustinus Pernath Labac. ann. 45. Rel. 27.
…… 7. Nov. V.P. Constantius Soller lect. Conc. Carn. Crainb. ann. 53. Rel. 35.
1757. 6. Sept. M.V.P. Ludovicus Plauzhoffen Con'or, lect. Theolog. Carn. Labacen. ann. 58. Rel. 41.
1758. 7. Feb. V.P. Sigebertus Majetitsch Styrus an. 54. Rel. 35.
…… 22. Feb. V.P. Celsus Paradisi Flumin. multis annis Concion. ann. 67. Rel. 43.
1759. 8. Jun. V.P. Victor Janchich Labacens. ann. 58. Rel. 40.
1761. 16. Feb. V.P. Adrianus Neiner Gorit. saep. Vicar. ann. 70. Rel. 45.
1763. 24. Feb. V.P. Julius Christan Carn. Conc. Croat. olim Capellanus Campestris ann. 58. Rel. 36.
1766. 8. Jan. V.P. Philippus Blanda Carn. Neost. ann. 66. Rel. 49.
…… 5. Mart. V.P. Dionysius Susannich Flum. an. 45. Rel. 24.
…… 28. Apr. M.V.P. Raphael Kovatschitsch Carn. saepius Vicar. et Guard. bis Jubilaeus ann. 76. Rel. 58.
1769. 23. Aug. V.P. Emericus Glassisch Croat. Carlost. multis annis Concion. ann. 51. Rel. 31.
1770. 8. Julii V.P. Regalatus Oblak Carn. Labac. an. 50. Rel. 28.
1771. 23. Oct. Rel. Fr' Fidelis Franck laic. Silesita an. 49. Rel. 21.
1774. 3. Maji V.P. Alexander Michaleg lect. Polon. ann. aet. phys. 40. Rel. 24.
…… 23. Octob. M.V.P. Polycarpus Marchiolli Forojul. Concion. et Guard. Jubil. ann. 75. Rel. 53.
1775. 13. Nov. Rel. Fr' Aemilianus Schrök laic. Austriacus Stainkirch ann. 68. Rel. 41.
1776. 12. Mart. Rel. Fr' Anacletus Jarz laic. Carn. Locopolit. ann. 68. Rel. 42.
1777. 2. Mart. Rel. Fr' Vitalis Däneman laic. Bavar. ann. 66. Rel. 43.
…… 9. April V.P. Malachias Zwititsch Carn. Metlicens. ann. 62. Rel. 45.

1170

…… 20. Dec. M.V.P. Ladislaus Wergler Croata Carlost. fuit Concion. Guard. et Capellanus Campestris ann. 66. Rel. 45.
1778. 21. Mart. Rel. Fr' Panthaleon Schranzhoffer laic. Tyrol. ann. 50. Rel. 28.
…… 17. Decemb. VP. Felicianus Radesitsch Carn. Neostad. ann. 28. Rel. 8.
1779. 1. Apr. Rel. Fr' Jonas Thonni laic. Carn. ann. 58. Rel. 36.
1780. 16. Maji V.P. Abraham Essig Styr. Gonovic. an. 70. Rel. 48.
…… 18. Oct. MVP. Cyriacus Juranich Croat. Zagrab. fuit Guard. et multis annis Conc. ann. 55. Rel. 38.
1781. 28. Jan. V.P. Stanislaus Popovich Con'or act. an. 48. Rel. 30.
1782. 11. Maji VP. Camillus Benaglia Carn. Obergrass. a. 40. R. 23.
1783. 12. Sept. Rel. F. Simplicius Ertl laic. an. 53. Rel. 30.
1784. 8. Jan. Rel. Fr' Octavius Schäffer Suev. Arc. an. 80. Rel. 49.
…… 28. Jan. RP. Hypolithus Beati Gorit. an. 72. Rel. 52.
1785. 19. Jun. Rel. Fr' Humilis Koppatsch cler. Carn. Locop. ann. 50. Rel. 32.
…… 16. Oct. RP. Elias Schintelholzer Tyrol. Org. saepius Vicar. an. 72. Rel. 52.
1786. 1. Jan. RP. Henricus Fabiani Carn. Neost. an. 66. R. 46.
…… 23. Nov. Rel. Fr. Onuphrius Vogt Tert. ann. 64. Rel. 39.

Caput VI.
Elenchus Patrum Praesidentum, et Guardianorum (in quorum notitiam deveniri potuit) Conventus Jaskensis.

Praesidentes

A.V.P. Seraphinus Rodar Ex-Diff'or 1620.
M.V.P. Bonaventura Valko 1623.
A.V.P. Franciscus Hervoy Ex-Diff'or 1628. 1629.
M.V.P. Antonius Grablevich 1632.
A.V.P. Antonius Vitelius Ex-Diff'or el. 24. April. 1640.
M.V.P. Franciscus Benkovich el. 9. Julii 1640. 1641.
M.V.P. Laurentius Zernar 1642. 1643.
M.V.P. Adjutus Socholich 1644. 1645.
M.V.P. Benedictus Michalich 1646. 1647. 1648.
M.V.P. Seraphinus Koss 1649. 1650. 1651.
M.V.P. Benignus Decolaris 1652.
M.V.P. Philippus Comel Con'or 1653. 1654. 1655.
M.V.P. Emericus Michulcich 1656. 1657. 1658.
M.V.P. Timotheus Berlin 1659. 1660.
M.V.P. Antonius Radich Con'or 1661.
M.V.P. Ignatius Magorovich Con'or 1662. 1663. 1664.
M.V.P. Ludovicus Bandar Con'or el. 15. Nov. 1664. 1665.
M.V.P. Paulus Flessar Con'or 1666.
A.V.P. Michael Angelus Bosgnyak lect. Conc. gener. Ex-Diff'or 1667.
M.V.P. Gabriel Scheffertnig Con'or, et lect. 1668.
M.V.P. Hyacinthus Craveggia 1669.
M.V.P. Balthasar Mussich Con'or, lect. 1670. 1671.
M.V.P. Bernardus Martinelli 1672.
A.V.P. Gabriel Tonjutto Con'or, Ex-Diff'or 1673.
M.V.P. Paulus Faustinger Con'or, lect. 1674.
M.V.P. Fridericus Codelli 1675.
M.V.P. Bernardus Martinelli 1676. 1677.
M.V.P. Leo Colliman Con'or 1678.
M.V.P. Balthasar Mussich Con'or, lect. 1679. 1680.
M.V.P. Hyacinthus Castelz Con'or 1681. 1682.
M.V.P. Alexander Schuebel Con'or gener. 1683.
M.V.P. Hyacinthus Castelz Con'or 1684. 1685.
M.V.P. Franciscus Grandoviz Con'or 1686.
M.V.P. Josephus Bossich Con'or Gen. 1687.
M.V.P. Melchior Mulitz 1688. 1689.

1172

M.V.P. Joachimus Perger Con'or 1690. 1691. 1692.
M.V.P. Chrysostomus Perdan Con'or 1693.
M.V.P. Dominicus Pillepich Con'or el. 26. Nov. 1693. 1694.
M.V.P. Chrysostomus Perdan Con'or 1695.
M.V.P. Narcissus Crainz 1696. 1697.
M.V.P. Gabriel Scheffertnig Con'or, lect. 1698. 1699. 1700.
M.V.P. Alexius Veichtner 1701. 1702. 1703.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1704.
M.V.P. Alexius Veichtner 1705. 1706. 1707.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1708. 1709. 1710.
M.V.P. Gabriel Frey 1711. 1712. 1713.
M.V.P. Timotheus Gollobich Con'or 1714.
M.V.P. Nicolaus Schussizh 1715. 1716.
M.V.P. Xaverius Schustertschitsch 1717. 1718. 1719.
M.V.P. Vitalis Weinmann 1720.
M.V.P. Nazarius Vidrich 1721. 1722.

Guardiani
M.V.P. Nazarius Vidrich el. 20. Oct. 1723.
M.V.P. Zepherinus Francovich Con'or 1724. 1725. 1726.
M.V.P. Silverius Vidig 1727.
M.V.P. Albinus Portner 1728.
M.V.P. Juvenalis Sgauz Con'or 1729. 1730.
M.V.P. Antonius Burchkard Con'or, lect. Theolog. 1731.
M.V.P. Christophorus Pochmayr 1732.
M.V.P. Probus Maidiz Con'or 1733.
M.V.P. Paulus Spingarolli Con'or 1734.
M.V.P. Capistranus Zuppardi Con'or 1735. 1736. 1737. et 1738. ùt Praesidens.
M.V.P. Damasus Pasquan Con'or 1739. 1740.
M.V.P. Theodoricus Skenderich Con'or 1741.
M.V.P. Gregorius Thomassich Con'or 1742. 1743. 1744.
M.V.P. Benevenutus Fraccassa Con'or 1745.
M.V.P. Paschalis Novak Con'or 1746.
M.V.P. Germanus Paulitsch Con'or 1747. 1748. 1749.
M.V.P. Theodoricus Skenderich Con'or 1750. 1751.
M.V.P. Mansuetus Ehrenreich Con'or 1752. 1753. 1754.

M.V.P. Franciscus Salesius Petterman Con'or 1755.
M.V.P. Franciscus Solanus Videtitsch Con'or 1756. 1757.
M.V.P. Felix Rosencranz Con'or 1758. 1759. 1760.
M.V.P. Gandulphus Nusdorffer Con'or 1761. 1762. 1763.
M.V.P. Ladislaus Wergler Con'or 1764. 1765. 1766.
M.V.P. Ladislaus Gollobich Con'or 1767. 1768. 1769.
M.V.P. Cyriacus Juranich Con'or 1770.
M.V.P. Remigius Baschnig Con'or 1771.
M.V.P. Adalbertus Bechtan Con'or 1772.
M.V.P. Wilhelmus Sumregg Con'or 1773. 1774. 1775.
M.V.P. Engelbertus Arnold 1776. 1777.
M.V.P. Wilhelmus Sumregg Con'or 1778. 1779.
MVP.[691] Andreas Huallé Con'r 1780.
MVP. Engelbertus Arnold Con'or 1781.
MVP. Severus Sever Con'or 1782.
MVP. Cherubinus König Con'or, lect. Gn'lis 1783. 1784. 1785. 1786. 1787.[692] 1788.
M.V.P. Corbinianus, Con'r, tardius Consultor fuit guardianus ab anno 1789 usque ad annum 1804.
M.V.P. Annanias Hostnig Con'r 1805. 1806. 1807.
M.V.P. Leopoldus Au Con'r 1809.
M.V.P. Athanasius Saitz Con'r Lect. Phl'iae 1810.
M.V.P. Formosus Bihchanin Con'r 1811. 1812. 1813.
M.V.P. Adalbertus Vugrinchich Con'r 1814. 1815. 816.[693] 817. 819. 820. Deinde eligabantur tempore Capituli v. Congregat. ordinarie mense Aug. v. Sept.
Anno 1820. M.R.P. Formosus Bichanin, Con'or 1821. 822. 823.
Anno 1823. M.R.P. Stanislaus Vuković, Con'or 824. 825. 826.
~ 1826. ~ ~ ~ Ioan. Nep. Požega, Con'or 827.
~ 1827. ~ ~ ~ Hyacinthus Righetti, 828.
~ 1829. A.R.P. Emericus Gradeczky, Ex-Def'tor 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838.
~ 1838. M.R.P. Hyacinthus Righetti, 839.
~ 1839. ~ ~ ~ Carolus Grazel, Praesidens, deinde Guard. 840. 841. 842.
~ 1842. ~ ~ ~ Magnus Bosak, Con'or 843. 844.
~ 1844. ~ ~ ~ Bonifacius Jakopčić, Con'or, 845. 846. 847.
~ 1847. ~ ~ ~ Gaudentius Pokorn, 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862.
~ 1862. ~ ~ ~ Simon Hostnjak, Con'or 863. 864. 865.
~ 1865. ~ ~ ~ Romanus Testen, 866. die 3. Nov. mortuus.
~ 1867. ~ ~ ~ Simon Hostnjak Praesidens 868. usq. ad Cap.
~ 1868 ~ ~ ~ Felicianus Mathano, 1869.
~ 1869. ~ ~ ~ Simon Hostnjak, 870. die 28. Dec. mortuus.
Deinde R.P. Mathias Pernac, praesidens, dilapidator.

1174

Anno	1871.	R.P. Conradus Logonder, et eodem anno 30. Nov. mort. R.P. Felicianus Mataveš, Praesidens, deinde Guard.
~	1872.	Idem Guard. 873. 874.
~	1874.	R.P. Gilbertus Gravl, 875. 876. 877. 878.
~	1878.	R.P. Bonifacius Pavliček, conc. 1879.

Sigillum

Conventus Jaskensis repraesentat Imaginem B'mae Virginis Mariae sine labe conceptae, undique radios emittentis cum hac in orbem inscriptione: SIG. RESID. JAS. ORD. MIN. REFOR. id est *Sigillum Residentiae Jaskensis Ordinis Minorum Reformatorum*.
22. Junii 1780.

1175
N'o 50.

ADDITAMENTA
De
Hospitiis, et Monialium Monasteriis.

Additamentum I.
de
Hospitio Lauranensi.

Caput unicum
In
quo breviter recensentur hujus Hospitii vicissitudines.

I. Ad finem Deo opitulante totius Provinciae, ac singulorum Conventuum Historiâ perductâ, superest, ut quaedam notabiliora de Hospitiis, ac Sanctimonialium Monasteriis, quae olim aut Superioribus Regularibus subyciebantur, aut saltem ab his aliquem influxum habebant. Primò itaque ea delibabo, quae Ecclesiam S. Antonii Abbatis in Laurana, eique adnexum concernunt pro Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae, Croatiae, et Carnioliae erectum Hospitium. *Laurana*, vel *Lourana*, olim *Laura* â lauris, quarum magna copia quondam hìc erat, nomen nacta Civitas exigua Liburniae, Sinui flanatico insidens Comitatui Pisinensi aggregata 13. mill. Labaco 3. Tersacto remota in Dioecesi Polensi sita, in temporalibus Domui Austriacae famulatur. Ex orientali plaga adjacet Mari Adriatico, seu Flanatico, ex qua parte parvulum habet portum, ex occidente praealtum habet montem vulgò *Uzhka*, italicè *Monte Maggiore*, vel *Caldaro* dictum, qui Istriam â Liburnia dividit. Ad meridiem Insulam *Cherso*, et ad septentionem *Castuam* respicit.

II. In Laurana, seu prope eamdem fuit quondam quaedam Ecclesia in honorem S. Antonii Abbatis ante annum 1420. aedificata, ut patet ex testamento D. Parochi Lauranensis cognomento Redan, qui hoc anno certam suam possessionem huic S. Antonii Ecclesiae legavit. Quo tempore Ecclesia S. Antonii P. P. Franciscanis Provinciae Bosnae Croatiae extradita, et annexum Hospitium aedificatum fuerit? Si P. Glavinichio, qui in suo opusc. de Origin. et Progr. Prov. Bosn. Croat. fol. 32. ait: *Lontano da Tersatto doi leghe in circa, traversando un ramo di flanatico seno, piegando alquanto verso occidente, à piè di un monte, giace una terrizzola chiamata Laurana, vicino alla quale vi è una Chiesa dedicata ad honore di Sant' Antonio Abbate, con un' Hospitio appresso, e quello dipende dalla Chiesa, e Monasterio dei Padri di Tersatto, donatali, per i loro bisogni l'anno 1615. dalla felice memoria di Ferdinando Secondo al tempo del Provincialato del Padre Francesco*

Glavinich, fides adhibenda, res confecta esset. Auctori utique fides omnino adhibenda, qui ea recenset, quae suo tempore non quomodocunque agitata, sed etiam se ipso praesente, procurante, ac negotii molem sustinente, gesta, pertractata, ac obtenta sunt, prout de hoc Hospitio asserit, quod Ecclesia S. Antonii Provinciae donata fuerit sub suo Provincialatu â Ferdinando II. Archiduce anno 1615.

1176

III. Ast P. Glavinichii assertio, ni in numero anni 1615. errorem typi irrepsisse dicas, enormiter vacillat, […][694] nam annus 1615. cum nullo Provincialatu, licet terna vice id munus gessit, dicti Patris coincidit, nam prima vice electus fuit in Ministrum Provincialem anno 1610., quod munus sustinuit annos tribus: secunda vice electus erat anno 1617. et fuit anno 1620. in eodem Officio confirmatus: unde, ut tantùm virum, de quo minime praesumendum est, ea, quae se Officio Provincialatus fungente, falsò adnotasse, ab errore vindicemus, dicendum est, hanc donationem Ecclesiae S. Antonii sibi factam fuisse tempore sui primi Provincialatus intra annum 1610. et 1614. et probabilius anno 1613. facillime enim numerus 5. loco 3. â typographo per errorem inseri potuit. Sed demus, quod Ecclesia S. Antonii fuerit Provinciae Bosnae Croatiae tradita anno 1610. aut 1613. adhuc difficile creditu est, propter ea, quae anno 1619. acta sunt circa Hospitium Lauranense, quod Ecclesia primò sub Provincialatu P. Glavinich nobis tradita fuerit, ut mox videbitur.

IV. Anno namque 1619. sub secundo Provincialatu suo praedictus P. Glavinich agebat apud Ferdinandum II. hoc eodem anno in Imperatorem electum de restituendo Hospitio Lauranensi, quod nobis probabilius â Lutherana haeresi adhaerentibus, aut aliis malevolis hominibus iniqua usurpatione abreptum fuit: non autem videtur verisimile, quod Fratres vix adeptum Hospitium post 6. annos jam amississent, praesertim, quod in Inventario anno 1619. nobis una cum Ecclesia restituto Hospitium destructum dicatur, quod intra tam paucum tempus vix aedificari potuit. Non tamen inficias omnino ibo, potuisse Fratres Minores in construendo Hospitio impediri ab haereticis, aut aliis quibuscunque impiis hominibus, ac ad cessandum ab aedificando Hospitio compulsos fuisse, et sic aedificium incoeptum, et non consumatum pro destructo videri potuisse.

V. Egit itaque P. Franciscus Glavinich Minister Provincialis Provinciae Bosnae Croatiae per A. R. P. Hieronymum Strasser Ministrum Provincialem Provinciae Austriae apud Ferdinandum ~~Hungariae, et Bohemiae~~ Chrovatiae[695] Regem, et Archiducem Austriae pro restitutione abreptae Ecclesiae Antonii in Laurana, qui sub die 15. Januarii 1619. benignam Restitutionem ad I. A. Regimen submisit. Hoc autem die 24. ejusdem mensis, et anni pro dicto negotio expediendo constituit duos Commissarios nempe Ill'mum D. Stephanum L. B. de Ruvere Capitaneum Fluminensem, et Ill'^{mum}, et R'mum Dominum Antonium Zara Episcopum Petinensem sequentibus litteris:

Ferdinand der Andere von Gottes Genaden
zu Hungern und Böhaimb König, Erzherzog zu
Österreich, Herzog zu Burgund, Graue in Tyrol etc.

Ehrwürdiger, Andechtiger und Liebe, Getreüe. Wür haben auß einkhombenen Berichten gnedigist vernomben, Was massen das zu Laurana vacierunde beneficium s^{ti} Antonii vor Jahren den Franciscaner oder Parfüesser Orden Crabatischer Provinz zugehörig gewest, hernacher aber demselben entzogen worden, dahero Sye sich jezo durch mittel P. Hieronymi Strassers jezigen Provincials bey Vns widerumben darumben angemelt und etliche jura zu solchen beneficio für- und angebracht, auß

welchen Wür genedigist so viell wahrgenomben und befunden, das berürtes Beneficium den gemelten Franciscanern vor andern billich einzuraumben, Wie Wür dan auch auf Ihr der Franciscaner beÿ Vns weither beschehen demüthigist Anlangen von Landsfürstlicher Macht willen in Genaden darein verwilliget: Vnd wan es dan jezo allein an deme beruhet, das Ihnen Franciscanern eines, und anders auch würklich eingeantwordtet werde. Als haben Wür Eüch dißfahls hiemit zu Vnsern Commissarien fürgenomben mit beuelch, das Ihr mehr besagten Franciscanern erholtes Beneficium, sambt denen darzue gehörigen Güettern. zu Handen des Jenigen, welchen Er Provinzial pro Syndico Sedis Apostolicae hierzue benennen und fürstellen würdet, alßbald würklich einraumben: Inmassen Ihr dan der Sach verer rechts zu thuen wissen werdet. Vnd es beschicht hieran Vnser gnädigister Willen und Meinung. Geben in Vnserer Stadt Gräz den Vier, und Zwainzigisten Januarii Anno Sechzehen Hundert, und Neünzehen.

Carl von Schrattenbach, Fr.
Stadthalter, Ambts Verwalter
Galluß Prenner, Canzler
Ambts Verwalter

Commissio Sere^{mi} Domini Regis
Hungariae et Bohemiae in
Consilio
Christoph Moriz Fhr
zu Herberstein
Lorenz Weser.

VI. Quia autem Episcopus Petinensis in Carniolia morabatur curandae sanitatis gratia, nec ejus Petinam adventus tam cito sperabatur, unde, ne negotium nimis protraheretur, fuit ab Excelso I. A. Regimine in ejus locum substitutus Commissarius Ill^{mus}, et R^{mus} D. D. Ursinus de Berthis Episcopus Tergestinus, sub hoc litterarum tenore:

Ferdinand der Ander von Gottes Gnaden König
zu Hungern und Behaimb, Erzherzog zu Österreich,
Herzog zu Burgund, Graue zu Tyrol etc. etc.

Ehrwürdiger, Lieber, Andechtiger. Wür fiegen dir hiemit genediglich zu wissen, wasmassen Wür dem auch Ehrwürdigen Vnserm Rath, und Lieben Andechtigen Antonio Bischoven zu Piben von Vier und Zwainzigisten Januarii negsthin per Commissionem aufgetragen, sich neben Vnsern Haubtman zu S^{t} Veith am Pflaumb gebrauchen zu lassen und den Franciscanern, oder Parfueser Orden Crabatischer Provinz, das Inen entzogene und jezo vacirendt beneficium S. Antonii zu Laurana sambt denen darzue gehörigen Güettern zu handen des Jenigen einzuantworten, deme P. Hieronymus Strasser der reformierten Parfueser in Österreich und Steyer Provincial pro Syndico Sedis Apostolicae hierzue verordnen wierdet. Dieweillen aber gemelter Bischoue zu Piben, wie Vns Er Strasser angezaigt, jeziger zeit nicht bey seinem Bistumb, sondern sich in Crain befindet und

1178

schwacheit halber auch woll in etlich Monath nicht dahin gelangen mochte. So haben Wür demnoch anstatt seiner, dich zu Vnsern Commissario fürgenomben, des gnedigen Versehens du werdest dich in Sachen unwaigerlich brauchen lassen, inmassen dan Vnser gnediger beuelch hiemit ist, das du dich mit gemelten Haubtman einer gelegsamben, doch auch fürderlichen Zeit vergleichen, mit Ime Supra locum verfiegen und besagten Franciscanern nicht allein das beneficium und die angehörige Güetter alßbald würklich einantwortten, sonder in übrigen die gebier, und billichkeit verfiegen wollest. Dan es beschicht hieran Unser gnediger willen und Mainung. Geben in Vnserer Stadt Graz den Sechzehenden Februarii Anno Sechzehen Hundert und Neünzehen.

Carl von Schrattenbach, Fhr
Stadthalter, Ambts Verwalter
Gallus Prenner, Canzler
Ambts Verwalter m'ppa.

Commissio Ser'mi D'ni Regis
Hungariae et Bohemiae in
Consilio
Maximilian Krimer m'ppa
Lorenz Weser m'ppa.

VII. Die 4. Junii praedicti anni 1619. fuit Ecclesia S. Antonii in Laurana cum cunctis ad eam pertinentibus ab Ill'mo D. Stephano L. B. de Rovere Commissario Regio extradita, et restituta Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae Croatiae praesentibus pluribus testibus, ut ex sequenti in italico idiomate confecto patet instrumento authentico:

1619. Ind'e 2'a il giorno di Marte 4. Giug'o.

Nêl Territorio di Lourana Giurisditione di Pisino, nel luoco di S'to Antonio. Presenti li Sig'ri Francesco Sabbat'o Giudice di Fiume, Zuane [(id est, Joanne)][696] Miculanich Canc'ro di Castua, Gio. Nicolo Cuntalich, Gio. Vincenzo Bono, Mattio Dissich Testimonii idonei, cognosciutti, chiamati, et pregati etc.

Dove essendo venuto l'Ill'mo Sig're Stefano della Rovere di Sua R. M. Consig're, Coppiero, Cap'o di Fiume, et Giurisdicente di Castua etc. Ad instanza del Mol'o R'nd° P. Glavinich Ministro dell'Ord'e Francescano delli Zocoli di Minori Osservanti, et del P. Frà Bernardino Scrivanich Guard'o, et d'altri Padri di Santa Maria di Tersatto, il quale P. Ministro prodosse, et reprodosse à Sua Sig'ria Ill'ma la gratiosa Commissione di Sua R. M. Pro'n Clement'mo etc. Delli 24. Gen'ro pross'o passato, con la quale la prelibata Regia Majestà commanda à Sua Sig'ria Ill'ma, perche ponga essi R'di P. P. nel real, et corporal posesso della Chiesa, Monast'o, beni, et beneficio di S. Antonio pred'o vacante, et à essi P. P. Francescani gratiosamente concesso, come nella gratiosa Commissione si lege.

Onde il pred'o Ill'mo Sig'r Cap'o Commiss'o in cio deputato in esecution della sudetta gratiosa Commissione pose, et pone in real, et corporal posesso li sudetti R'ndi Padri Ministro, Guardiano, et altri Padri del Monastero di Tersatto, di essa

Chiesa di S. Antonio, Monastero et tutte le sue habentie, et pertinentie, conforme il sotto annotato Inventario, removendo ogni, et qualsivoglia detentore, et cio con tutte le solennità di sono do campana, et altre ceremonie come è solito, et consueto, et tal posesso esso Ill'mo Sig'r Commissario consegna ad essi R. R. P. P. con tutti li honori, utili, entrate, et charichi, conforme alla gratiosa mente si Sua R. M. imponendo à essi R'ndi P. P. che imposterum debbano officiar detta Chiesa, goder, posseder, usufruttuar, meliorar, et non deteriorar tutti li sudetti beni etc. À cio furono presenti oltra li sudetti testimonii, il R'endo P're Antonio Murich Pievano di Lourana, Zuane Papich Supano con diversi altri Consig[i] contentanti, et concedenti etc. Tenore gratiosae Commissionis, de qua supra VS. Ferdinandus etc.

Sequitur Inventarum bonorum supradictorum Ecclesiae
et Monasterii Sancti Antonii Vs.

La Chiesa etc. *dentro*.

1. Un' Altar maggiore con il S. Antonio in mezzo.
2. Un' altro Altar da parte con un S. Giacomo.
3. Un'altro Altar con il quadro vechio, et statua di S. Pietro.
4. Doi altre statue vechie sobboite.
5. Un quadro di S. Antonio depento sopra la tela.
6. Un banco di ingenochiar.
7. Un Crocefisso in mezzo con il cisindelo di Ottone.
8. Il Coro sopra le porte della Chiesa.
9. Tre antipendii vechi.
10. Tre Fazoli vechi.
11. Una Campana picola.
12. Una campana mezana sopra la Chiesa.
13. Il Monastero destrutto.
14. Li vignami tutti con olivari attorno il Monastero.
15. Una Vignietta chiamata *Ogradiza* sopra le scale della strada di Lourana.
16. Una Vignia S in Apriz, Giacomo Curilich paga il quartese.
17. Un'altra Vignia in Apriz l'Eredi di Francesco Curilich pagano in quartese.
18. Un'altra Vignia in Apriz Giacomo Polcich alias Perdalich paga in quartese.
19. Un'altra Vignia in Bacovo paga il quartese Zuane Simaz.
20. La Casa del Sig'r Chnessich in Lourana paga il livello l. 19. sold. 10.
21. L'Ochimaz lassato di quo'm Francesca Chiolich paga l. 50. all'anno.
22. Un terreno, ò Vignia tenuta dalli Eredi di Gasparo Zavoja à Veprinaz paga il livello.

Die, et loco retroscriptis, ac praesentibus omnibus testibus, ac aliis retroscriptis.

Ill'mus D. Commissarius retroscriptus cum praesentia, scitu, et expressa voluntate retroscriptorum R. R. P. P. Ministri, et Guardiani constituit Procuratorem actorem, defensorem, factorem, et Commissarium dictae Ecclesiae S. Antonii, Monasterii, ac bonorum

1180

de quibus suprà etc. Joannem Petrum Carbulinum praesentem, et acceptantem ad faciendum omnia opportuna, et necessaria nomine dictorum R'ndorum Patrum, Successorumque ipsorum cum auctoritate agendi etc. exigendi etc. defendendi etc. aliaque faciendi etc. sic, et omni meliori modo etc. rogantes me Notarium etc.

Alexander Calvucius Sac'ta Imperiali auctoritate Notarius publicus rogatus scripsit, publicavit, aliena manu ex Instrumentorum suo Protocollo extrahere curavit, collationavit, in fidem se subscripsit, signumque etc.

(L. Si-
Gni)

VIII. Quo tempore, et quomodo Ecclesia S. Antonii cum bonis ad eam pertinentibus ad alienas manus pervenerit? ex defectu scripturarum, quae simul cum bonis transisse censendae sunt, nil certi asseri potest. P. Glavinich, qui anno 1648. suum opusculum typis mandaverit, loquitur quidem de Hospitio Lauranensi ut existenti, sed illud anno 1640. in nostra potestate non amplius fuisse, desumitur ex quodam diffinitoriali decreto, emanato ex Congregatione in Conventu Tersactensi die 24. Aprilis 1640. celebrato sequentis tenoris: *Monasterium S. Antonii cum suis bonis recuperetur, et D. Baro Stephanus di Rovere Capitaneus terrae Fluminis demonstret, quo jure bona Monasterii S. Antonii possideat*. Cum autem non sit credibile, ut idem D. Stephanus L. B. de Rovere, qui anno 1619. Commissarii vices sustinuit, dum bona Ecclesiae S. Antonii nobis restituerentur, praedicta bona vi occupaverit, dicendum est, eumdem ea justo aut emptionis, aut alterius contractus titulo possedisse, quem ille omnino ostendere debuit, quia praedicta bona post Fratrum inquisitionem semper apud ipsum, et suos haeredes manserint. Interim hoc certum est, quod Ferdinandus filius, et haeres Stephani de Rovere manserit debitor f. 1400. post suam mortem, hoc debitum ejusdem filius Benevenutus solvi voluit ex 4000. f. quos suus Genitor â Sua Caes'ta Majestate gratiosè obtinuit: I. A. Camera tamen noluit hoc debitum solvere ex praetacto gratioso deputato, unde debitum adhuc solvendum restabat anno 1735. ut infra videbitur. An verò hoc debitum conflatum fuerit ex eleemosyna Conventus, vel verò erat tanquam residuum pretium ex bonis Lauranensibus? pariter nulla habetur certa notitia.

IX. Anno 1726. die 20. Maji, ut ex desuper confecto contractus instrumento claret, erant praedicta bona una cum vinea *Comunschiak* nuncupata vendita R'ndis Patribus Paulinis in persona A. R. D. Patris Dominici Novacich Provincialis Provinciae Istriae, et Vinodol pro Ducatis juxta aestimationem 5600. qui ger. mon. faciunt f. 6346. Xr' 40. quorum florenorum 1346. Xr' 40. Dominus Venditor Ferdinandus Antonius L. B. de Rovere filius quondam Benevenuti de Ruvere, et ultimus hujus Familiae benigne P. P. Paulinis condonavit, et insuper 1000. f. apud eosdem investitos esse voluit cum onere 2. in hebdomada Missarum f. 1000. item permisit in manibus eorumdem Patrum pro manutenenda fundatione in Ecclesia Tersactensi â suo proavo Stephano anno 1625. facta, et liberam declaravit vineam *Communschiak* â quocunque onere, ut ex §. 4. ejusdem contractu patet,

qui ita sonat: Et perche la possessione alienata è stata nel passato obligata ad un' annuo censo, et livello di contante Ducati duodeci per l'officiatura dell' Altare dell'Ill^ma^ Casa de Rovere posto nella Chiesa della Madonna Santissima delle gratie di Tersatto intitolato Sant' Anna, et di due Ziabra d'oglio in natura, alli R. R. P. P. e Convento di Tersatto annualmente: intende esso Ill'^mo^ Sig'^r^ Barone venditore, di renunciarla libera, et francha de tali aggravii, si come effettivamente s'obliga, et per francha, et libera la renuncia; per cio il residuo Capitale di f. 1000. allemani, che sono il saldo di totale pagamento delli f. 4000. sudetti cede, et renuncia alli moltò R. R. P. P. di Tersatto, et per essi da me Francesco Lorenzo Fraccassa Syndico Apostolico delli Convento, e Chiesa di Tersatto, accettati nelle mani delli Moltò R. R. P. P. Paulini, li quali si sono obligati, come effettivamente vogliono esser obligati di pagarlo, et esborsarlo alli sudetti R. R. P. P. di Tersatto, o chi per loro sino li primo 9'^bre^ 1728. con il suo Interesse di cinque per cento all'anno, che principiara à correre il primo di 9'^bre^ venturo del corrente anno 1726. senza alcuna eccettione, ò oppositione in contrario, di maniera, che col pagamento di detto Capitale, et Interesse, s'intenda perpetuis temporibus la possessione *Commuschiak* libera, et Franda di qualunque aggravio, e livello, et gia che il frutto del Capitale di sudetti f. 1000 importa qualcosa di più di quello, ci eran' aggravii sudetti, esso Ill'^mo^ Sig'r Baron Venditore, ne fà una spontanea, e volontaria donatione alla Madona Santissima di Tersatto, raccommandando alli R. R. P. P. sudetti la pontuale officiatura dell' Altare di Sant' Anna.

X. Pro majori praecedentium, et subsequentium intelligentia advertendum, quod in anno 1625. die 7. Maji Ill'^mus^ D. D. Stephanus L. B. de Rovere S. C. M. Consiliarius, et Capitaneus Fluminensis se per publicum Instrumentum obligaverit ad erigendam Aram in honorem S. Annae, et Cryptam pro se suisque posteris in Ecclesia Tersactensi, quod et opere complevit. Praeterea ordinavit, ut ad dictam Aram primo die Veneris cujuslibet mensis cantetur unum Sacrum de Requiem cum libera pro suis antenatis, et aliis verò diebus Veneris una privata Missa legeretur. Pro hoc onere assignavit annuales 12. ducatos, qui faciunt germ. mon f. 13. Xr' 16. exiguum stipendium. Anno 1584. quidam Gregorius Munticha Lauranensis donavit Ecclesiae S. Antonii vineam suam *Commuschiak*, quam dein Ill'^mo^ D. Stephano Ruvere erga 2. annuos cados […][697] olei olivarum Fratres Conventus Tersactensis, ad quos una cum caeteris Ecclesiae bonis etiam praedicta vinea devoluta fuit, elocarunt. Postquam verò praedicta omnia bona ad manus Roverianas pervenerunt, praestatio olei etiam sub nomine stipendii pro Missis venerat. Hanc totam eleemosynam reduxit D. Ferdinandus Antonius de Rovere in praetacto contractu venditionis ad 1000. f. Capitalis; unde quolibet anno Conventui obvenissent f. 50. pro Missarum praedictarum celebratione.

XI. Quia autem praedictus Contractus rescissus, nescio, qua de causa? Erat, pristina eleemosyna olei, et 12. Ducatorum denuo Conventui pendebantur, usque ad mortem Illustrissimi D. Ferdinandi Antonii de Ruvere ultimi deficientis; Is enim in suo Testamento Viennae in Austria die 4. Octobris 1735. condito tam ad extinguendum jam memoratum debitum, tum ad congruum pro Missis determinandum stipendium §. 3. sequentem fecit dispositionem:

1182

Weilen ich in meines Herrn Vatters Benevenuto Freyherrns della Rovere hinterlassenen schrüfften gefunden, das ich haereditario Nomine dem löblichen Franciscaner Closter zu Tersato 1400 f. 40 Xr' alß eine von meinen Grossvattern Ferdinand herrührende Post ganz gewiss und aufrecht schuldig seye, ich hingegen diese liquide schuld (so gern ich gewolt) biß dato nicht habe abführen können, alß thue ich in compensationem dises nunmehro an mich gedichenen wahren debiti dem besagt löbl. Franciscaner Convent zu Tersato meinen zu Lourana haben eigenthumblichen Weingarten Commuschiak genandt, sambt den dabey befindlichen Hauß, wie auch Instrumenten und Mobilien (ohne Ausnahm) sive vineam et domum instructam, so ich zusamben den innern werth nach auf 4000 f. schäzte, wie nicht weniger die dabeÿ ligende Kirchen Sancti Antonii Abbatis hiemit eigenthumblich ac omni respective jure et proprietatis et Patronatûs überlassen, und legiren, also und dergestalten das die wohl ermeldte Ehrwürdige Patres mit solchen weingarten, haus und Kürchen nach ihren belieben (gleichwie ich anmit zu disponiren befuegt bin) in perpetuum halten, schalten und walten könen; mit diesen außdrüklichen Onere jedoch, das gleichwie meine Voreltern eine Stüftung gemacht, das in besagten Closter zu Tersato an allen ersten Freytag des Monaths auf dem von denen selben fundierten Altar der h. Mutter Annae zum Trost des Stüfters so wohl als aller Verstorbenen der Familiae della Rovere ein Ambt mit dem Asperges gehalten, dan weithers alle Freytag des Jahrs hindurch zu sothannen Ende eine H. Meess gelesen werde, also auch mit haltung dieser gesungenen und lesung deren andern Heiligen Meessen unaussezlich fortgefahren werden solle: ohne jedoch, das erdeüte WohlEhrwürdige P. P. weder die 12. Silber Ducati (welche obiger Fundation willen von Jahr zu Jahr von mir biß anhero seynd entrichtet worden) noch die 2 dem Landbrauch nach so genante Spodi Öel (welche wegen des obgedachten weingarthens Commuschiak dem erholt löb. Convent all Jährlichen seynd erfolget worden) führohin mehr solten abfördern könen. In übrigen aber und so Man etwo dem oft bemelt löb. Franciscaner Convent nicht gestatten solte bona immobilia zu besizen, in diesen Fahl soll mein hierunten benambster Universal Erb damahl, wan er finito usufructu legato die Erbschaft antretten wird, schuldig seyn obigen weingarten, sambt dem hauß und Kürchen omni jure zu sich zu ziehen, und dargegen denen WohlEhrwürden Patribus 4000 f. pares Geldt (jedoch, wan es auf einmahl nicht geschehen kunte, nach und nach, so bald es aber immer möglich) hinaus zu bezahlen, welche 4000. f. alß anstatt des weingartens, theils in compensationem des obigen Crediti, und theils zu continuirung der von obgedachten VorEltern gemachten obigen Fundation dienen solten.

XII. Quia Fratres jamjam Reformati nulla amplius bona immobilia acceptare nec potuerunt, nec voluerunt, ipsemet D. Baro Ferdinandus Antonius de Ruvere praedictum Capitale 3000. f. tantum apud Carnioliae Provinciam deponere intendit, et proposuit, ut ex syngrapha signata Viennae 8. Junii 1736. et propria subscripta patet, quae ita sonat:

Ego infrascriptus virtute praesentium fidem facio, quod cum P. P. Franciscani Provinciae Carnioliae mea bona stabilia acceptare recusent, in vicem eorum Capitale 3000. f. ad Excelsam Provinciam Carnioliae deponere velim, ex quo Conventui Tersactensi quotannis debitum Interesse tribuatur, ipsi verò Patres Tersactenses legata jam ab Antecessoribus meis Sacra perficere teneantur. Datum Viennae 8. Junii 1736.

(L. S.) Ferdinandus Antonius L. B. â Ruvere m'ppa

XIII. Quamvis Ill'mus D. Ferdinandus Antonius de Ruvere se obligaverit ad deponendum tam ad extinguendum debitum f. 1400. quam ad congruum stipendium pro Missis fundatis loco 12. Ducatorum, et 2. cadorum vulgo *ziabra* olei f. 4000, vel juxta posteriorem declarationem 3000. f. attamen nec ipsemet, nec ejus haeres Ill'mus D. Josephus Benevenutus L. B. dell' Argento id opere compleverunt, sed haeres praedicta bona occupavit, ac anno 1770. die 24. Julii denuo R'ndis Patribus Paulinis Provinciae Istriae, et Vinodol, seu Vallis vinariae divendita erant cum obligatione, ut P. P. Franciscanis Conventus Tersactensis pro celebratis Missis annuè tribuant 12. Ducatos, et 2. cados olei, prout semetipsos etiam obligarunt in praedicto emptionis Contractu. Majorem notitiam de Hospitio Lauranensi, et fundatione Ruveriana ob defectum Instrumentorum, quae aut perierunt, aut emptoribus extradita erant, haurire non potui.

Additamentum II.
De
Hospitio Salcanensi.

Caput I.
De Vico Salcanensi, ac de Origine, et Progresu Hospitii Regularis.

I. Vicus *Salcanum* in pede Montis Aquarii, seu Scaunizza, nunc Montis Sancti nomine insigniti, cujus verticem Ecclesia, et Conventus B. V. Mariae Gratiarum coronant, duabus circiter leucis italicis meridiem versus dissitus, nomen â Castro *Seligan*, cujus eversi rudera retro hortum Regularis Hospitii juxta

limpidissimum aquae fontem etiamnum conspiciantur, sibi insidente mutuâsse videtur: quamvis nonnulli Scriptores *Siligani* Castelli originem ad tempora Attilae reducant, nulli certo innixi fundamento, sed potius inani auctoritati fidem adhibentes, certum tamen est praedictum Castellum antiquum fuisse, imo, ut aliqui praetendunt ipsa Goritiâ

1184

antiquiorem, utriusque tamen et *Seligani*, et Goritiae expressiorem memoriam non est reperire, quam in binis diplomatibus Othonis III. Imper. emanatis anno 1001. quae cl. P. Franciscus Maria de Rubeis Ord. Praedicatorum in Monumentis Ecclesiae Aquilejensis ad vitam Joannis IV. ejusdem Ecclesiae Patriarchae c. 53. pag. 489. et seqq. refert: quantum ad propositum Otho Imper. inter caetera â se Joanni Patriarchae Aquilejensi donata Selgani, seu Silkani, nunc Salcani castri, et Goritiae sic meminit: *Medietatem unius Castelli, quod dicitur Seliganum, et medietatem unius villae, quae Slavica lingua vocatur Goriza*: in altera donatione residuae medietatis, quam Imperator Wericheno, seu Variento Comiti Forojuliensi fecit, haec habet: *Dedimus medietatem praedii, quod Joanni Vn'bli Patriarchae Aquilejensi concessimus, Silkano, Goritia* etc. Haec duo itaque antiquissima sunt monumenta, in quo *Seligani* fiat mentio.

II. Antequam Ecclesia Montis Sancti supra Salcanum Fratribus Minoribus Provinciae Bosnae Croatiae â Serenissimo Archiduce Carolo consignata fuisset, habuit jam ea quasdam domos, hortos, et vineas Salcani, in quibus Ecclesiae proventus recondebantur, et asservabantur: sic enim Lucas Pesdenteub vendidit quamdam domum Salcani penes domum Ecclesiae S. Stephani sitam Provisoribus Ecclesiae S. Mariae in Monte Skaunizza pro pretio ducatorum 38. et solidis 24. anno 1551. Domus haec introductis subinde Fratribus Minoribus virtute Archiducalis Decreti cum Ecclesia B. V. in Monte Sancto extradita, subinde â P. Mariano â Bosnia cum domo Antonii filii Jacobi Bresungar permutata fuit die 25. Januarii 1574. ùt ex extante adhuc hodiedum in Originali permutationis instrumento, quod brevitatis gratia ommitto apertè constat. Praeter hanc domum habuit Ecclesia, et alias domos Salcani vel titulo donationis, aut emptionis ad eam devolutas.

III. Dum Fratres Minores ex domunculis ad Ecclesiam Beatae Virginis Mariae spectantibus Regulare Hospitium construere cogitarent, nimia loci angustia coarctati terrena quaedam B'mae Virginis Gratiarum remotiora, pro domunculis quibusdam construendo Hospitio vicinis cum Perillustri Domino Balthasare Arardi de Senemport Consiliario Caesareo, et nepotibus ejus ex fratre Roberto, interventibus Conventus Syndicis, et Procuratoribus DD. Francisco Maskone, Prospero Posarello, et Jacobo Zaffarino, et obtenta desuper Ferdinandi II. Imperatoris facultate, praeviè utrinque facta aestimatione permutarunt, ut protensius, et commodius Hospitium Regulare congerere, et construere potuerint. Sequitur

Aestimatio Arardiana.

Addi 26. Octobris 1628. Indictione und'ma

Noi Andrea ~~de~~ Peslaro Gastaldo del Paese, et Massimiliano Flameo, et Joanne Bap'ta Traverso muratore estimatori eletti, per il Mag'co et Nob. Sig'r Francesco Mascone Procuratore del V'ndo Convento delli R'ndi Padri della B'ma Vergine Maria de Monte Santo sopra Salcano con il consenso del M'o R'ndo Padre Bonaventura Sbona Guardiano del detto Monte Santo de una, et il M'o Ill're Sig'r Baldassar Arardi di Senembort Caesareo Cons. facendo â nome suo, et delli Ill'ri Sig'ri figlioli del q. S'r Ruberto suo fratello â stimar li lochi infrascritti

di detto Sig[r] Arardi posti in Salcano, quali intende di permutar con detto Convento, et specialmente una casa cooperta di coppi pianelata posta nella Villa di Salcano con la braida contigua confinante con la strada pubblica di detti R[ndi] Padri, Andrea Marussig, et Andrea Sinko, et li heredi Zuajeri, quali da noi visti, et mensurati stimammo ut infra vid.

	F. X.
Maro attorno la Braida con il porton in tutto passa 122½ et ↄ 4. ʒ 10. il passo ……..	122,30
Tutta la Muraglia della casa passa 84. cosi come si ritrova fio 1. K. 40. il passo ……..	106,40
Coperto pianelato passo 24½ a ↄ. 11. ʒ ……..	59,46½
Salaro di sopra senza pianella passa 14. a ↄ 4. ʒ 10. …….	14,–
Salaro con pianella passa 14. a ↄ 6. ……	18,40
Sette ferate di pesso di ↄ. 63. à ʒ 6. ……	4,12
Doi vedreate ……	4,–
Il fornello della stua ……...	6,–
La Nappa con il camino, et fogolaro ……..	8,–
La Paradana di mezo la stua, et cucina ……	1,30
La feramenta tutta, che si ritrova ……	1,–
Le scale di legno …….	1,6
La scala di fora di pietra …….	13,34
Summa f.	360,58½
Piu la Braida ivi contigua confina la strada RR. PP. heredi Zuajeri, qual trovemmo di quantità di campi doi, tole dieci, stimammo in raggion di libero, et proprio fiorini cento, et quaranta, il campo, che importa con il sito della casa …….	f. 282,–
Summa Summarum f.	642,58½
Et perche sopra questi lochi si paga alli Ill[mi] Sig[ri] Conti della Torre Vino orne una, formento pisenali sei, galline doi, si detrahe di questa summa per l'orna di vino fior. 50. per il staro di formento fio. 66. per il paro de galline fio. 7. che tutta summa fio ……..	156,40
Li quali detratti resta di netto f ……	f. 485,44

Die Jovis 26. mensis Oct. 1628.

In Salcano in domo RR. PP. â Monte Sancto publicata fuit suprascripta aestimatio per suprascriptos aestimatores, lecta per me Flameum Not. et alterum aestimatorem, quam laudavit D. Arardi nomine suo et Dominorum haeredum q[m] D. Roberti Arardi, pro quibus promisit de rata. Nob. D. Franciscus Masconus Procurator ipsius Montis S. laudavit cum praesentia suprascripti R[ndi] P. Custodis.

Aestimatio bonorum B. Virginis

Noi Andrea Peslaro Gastaldo del Paese eletto per il Molto Ill[re] Sig[r] Baltassare Arardi Caesareo Consig&. da una, et Massimiliano Flameo eletto per il M[o] Mag[co], et

Nob. Sig[r] Prospero Posarello Procuratore del R'ndo Convento del Monte Santo con la presentia del Molto R'ndo Padre Bonaventura Sbona Guardiano del Monte Santo, à stimar li beni infrascritti della Beatissima Madre di detto Monte posti in Salcano, li quali da noi visti, et mensurati, et ben considerati stimammo in scientia, et conscientia nostra, ùt infra etc.

Un pezzo di terra di quatro piante in loco detto *Sabishi poti* confina strada, et Simon Cancilier, la fraterna di S. Gabriel, et la Chiesa di S. Stefano, e campo uno quarto mezzo X. 22 â ragione di libero, et proprio …… f. 166 –

Un altero pezzo con tre piante in loco detto *Popusag nalavinah*[698] confina Sp. Andrea Sincho, et Andrea Marussig, et Gregorio Valen-

1186

	F.	X.
tincig, et strada consortiva, paga una lira di Oglio â S. Stefano, et cosi con quel incarco stimammo in	136,–	
Un altro pezzo di cinque piante in logo detto S. Vido[699] confina Daniel Srebernich, et li Padri di Franc&. Stefano Bassin, et Mattia Srebernich libero, et proprio, qual e campo quarti tre X. 46. stimammo	80,40	
Un pezzo di campo di quatro piante in loco detto *Sagradem* confina Stefano Vodapivaz, strada, et Andrea Sincho con un pezzo de Vigna, nella quale sono olivari otto, et pomari quatro, tutto il campetto, et vigna, e campo mezo, quatro mezo stimammo 75. fiorini con lo incarco d'oglio compreso li olivari, et pomari come sta	75, –	
Summa fior.	457,40	

Dicto die

Publicata fuit suprascripta aestimatio per suprascriptos, lecta per me Flameum Not'm et alterum aestimatorem suprascripto Perillustri Domino Baldassari praesenti, et pro se ipso, et nomine Illustrium Dominorum haeredum q'm Illustris D. Roberti ejus fratris, et Ad'm R'ndo Patri Bonaventurae Sbona Custodi, et Mag'co et Nob. D. Prospero Posarello Procuratori ipsius B'mae Matris Virginis Mariae. Quam D. Arardi suo, et ipsorum DD. q'm Illustris D. Roberti fratris sui haeredum nomine, pro quibus promisit de rato, laudavit etc. Et dictus Mag'cus, et Nob. D. Prosper cum praesentia, et consensu Ad'm R'ndi D. Sbonae Custodis ibidem praesentis, et consentientis pro se, et aliis Confratribus laudavit. Praesentibus ibidem Ad'm R'ndo D. Valentino Bassino, et Joanne, et Francisco fratribus Millost de Salcano, Antonio Bensa, Urbano Tarcogna testibus.

Suprascriptis anno, Indictione, die, loco, et testibus ibique perillustris D. Balthasar Arardi Caes. Cons. etc. per se, et nomine etiam Illustrium DD. haeredum q'm Ill'tris D. Roberti Arardi fratris sui, pro quibus, ut supra etc. titulo perpetuae, et irrevocabilis permutationis semper, et in perpetuum dedit, et permutavit Mag'co, et Nob. D. Prospero Posarello, et Jacobo Zaffarino Procuratoribus B'mae Virginis Mariae Montis Sancti supra Salcanum ibidem praesentibus, et acceptantibus pro se, et futuris successoribus, et Procuratoribus, et pro ipsa V'nda Ecclesia B'mae Mariae cum praesentia ipsius R'ndi Patris Custodis, quo supra nomine permutantibus domum cuppis coopertam sitam in Salcano cum braida contigua confinantem cum via publica, et bona ipsius B'mae Virginis Mariae, Andrea Sincho, Andrea Marussig, et haeredibus quondam Blasii Zuajer de Salcano, salvis etc. cum onere solvendi singulo anno de affictu Ill'mo D. Ferdinando Lib. Bar. ab Attimis etc. Pisinalia sex tritici, et unam urnam vini, et unum par gallinarum singulo anno, et cum ejusdem Domini licentia in scriptis data manu propria ipsius Domini Baronis sub die 26. Octob. currentis Gradiscae, et â me Notario visa, et lecta, et ipsi D. Procuratori relecta, ad habendum, tenendum, possidendum, dandum, donandum etc. Et hoc pretio florenorum quatuorcentum, octuagin-

ta quinque Crucig. quadraginta quatuor, de cruciferis sexaginta in singulo juxta aestimationem suprascriptam, ab utraque parte laudatam. Et e contra dicti D. Prosper, et Jacobus Procuratores cum praesentia ipsius R'ndi D. Custodis per se, et futuros Successores dederunt, permutarunt, et tradiderunt titulo perpetuo, et irrevocabilis permutationis ipsi perillustri Domino Arardi ibidem praesenti, et pro se, et ipsis DD. haeredibus q'm Ill'tris Domini Roberti ejus fratris, et eorum haeredibus, et successoribus bona superscripta in superscripta aestimatione contenta vlc&. campum *Sabishi puti*, alterum ad *Ledinah*, alterum sotto *S. Vido*, et vineam cum pecia campi *Sagradom* juxta confines descriptos in supra scripta aestimatione de uno in unum cum onere lib. unius olei Venerandae Ecclesiae Parochiali S. Stephani Salcani pro vinea, et campo ibi contiguo, et mediae lib. etiam olei ipsi V'ndae Ecclesiae pro campo *Na ledinah*. Ad habendum, tenendum, possidendum, dandum, donandum etc. Et hoc pretio florenorum quatuorcentum quinquaginta septem Kruc. quadraginta, de Cruc. sexaginta in singulo juxta aestimationem suprascriptam ab utraque parte laudatam. Et quia bona ipsius D. Arardi valent de pluri bonis ipsius B'mae Virginis confessus fuit habuisse, et effectualiter recepisse â suprà scripto D. Procuratore renuncians omni, et cuicumque exceptioni: constituentes se dicti Domini permutantes suo, et quo supra nomine alterius, et alter alterius bona ipsa, ut supra in permutationem data tenere, possidere, donec etc. quam etc. Promittentes dicti Domini permutantes unus alteri, et alter alteri pro se, et haeredibus eorum, et successoribus bona ipsa, ut supra invicem in permutationem data in jure legitime defendere, et manutenere; et litem non inferre, nec inferenti consentire, sed praesentem permutationem, et omnia, et singula in praesenti permutationis instrumento contenta semper habere firma, rata, et grata, attendere, et observare, et manutenere, et nunquam contra facere, sub mutua obligatione omnium bonorum suorum, et ipsius B'mae Virginis Mariae mobilium, stabilium praesentium, et futurorum.

Suprascriptum permutationis Instrumentum fideliter Maximilianus Flameus publicus Caes'a auctoritate Notarius in notam sumpsit, publicavit, et descripsit etc.

(L. Sign.) Laus Christo.

IV. Ut praesens permutatio firmior persisteret, ac remotior ab impugnatoribus esset, ipsi permutantes Caes'o-Regiam confirmationem obtinuerunt anno sequenti die 14. Maji sequentis tenoris:

Wür Ferdinand der Ander von Gottes Gnaden Erwöhlter Romischer Kaÿser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, zu Hungarn, Behaimb, Dalmatien, Croatien, Sclavonien König, Erzherzog zu Österreich, Herzog zu Burgund, Steyer, Carnten, Crain und Württenberg, ober und Nider Schlesien, Marggraf in Maren, Ober und Nider Laussniz, Graf zu Tyrol und Görz etc. etc. bekennen hiemit für Vns, Vnsern Erben und Nachkomben, und thun kund meniglich, alß Vns N. die Franciscaner Vnser Lieben Frauen Kürchen zu Salkan durch ihren abgeordneten Mitbruedern Priester Joan Franciscum Cenda umb Vnsern allergnädigsten Landfürstlichen

1188

Consens, damit Sye zu erweiterung Ihres Closters einen Wexel umb ein ihnen von Closter zimlich weith entlegenen Grundstukes mit Balthasern Arardi gegen ein nechsten an das Closter anrainende orth treffen mögen, in Diemuth angelanget und gebetten, das Wür demnoch auß beweglichen vrsachen und auf die in sachen einkombene gehorsambiste bericht in solches begehren hiemit in Gnaden auß beweglichen vrsachen eingewilliget, thuen soliches auch wissentlich und in Kraft dits brieffes, also, das die Supplicanten zu erweiterung ihres Closters mit besagten Arardi das jenige dem Closter zimlich weith entlegene Grundstuks gegen den nechst anrainenden orth gehorsambst gebettner massen außtauschen mögen mit vrkund dits brieffs, der geben ist in Vnserer fürstlichen Haubtstadt Graz den 14. Tag des Monaths Maÿ in 1629. Jahre.

V. Anno 1630. Ill'mus D. Comes Raymundus â Turri ardentissimus B. Virginis in Monte Sancto Mariophilus, et fautor Seraphicae Religionis munificentissimus, non solum censum unius urnae vini, tritici pesinalia 6. gallinarum 2. et 10. ovorum, quem ex fundo domus, vineae etc. nuper titulo permutationis cum Arardi factae, quot annis eidem pendere debebant Fratres, ut in mox laudato aestimationis, et permutationis instrumento est visum, sed etiam adjacentem suam vineam, Ronchum, et domunculam pleno jure donavit, cessit, transtulit, et renunciavit Ecclesiae B. V. Mariae in Monte Sancto, quae ex sequenti donationis instrumento clarius patet.

In Christi Nomine Amen. Anno ab ejus Nativitate 1630. Ind'ne 13. die vero Lunae 8. mensis Julii. Actum in Prestavo Ill'mi D. Comitis Mathia â Turri parum extra Goritiam in aula magna praesentibus ibidem testibus infrascriptis etc. Ibique Ill'mus D. Raymundus Phoebus â Turri Comes, et Lib. Baro S. R. I. de Valsasina, Dominus Vipulcianiz non vi, dolo, metu, aut aliqua alia sinistra machinatione seductus, seu circumventus, sed sponte, liberè, simpliciter voluntarie, et ex certa animi sui scientia, ac deliberata voluntate motus, charitate, et devotione, quibus prosequitur, et observat V'ndam Ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae supra Montem Salcani, omni, quo potuit, ac potest meliori modo, via, jure, et forma per se, suosque haeredes, et successores jure perpetuae, et irrevocabilis donationis inter vivos, quae nullo unquam tempore, aut quavis de causa, et occasione valeat infringi, aut revocari, dedit, donavit, cessit, transtulit, et renuntiavit, dat, donat, cedit, transfert, et perpetuo donat, ac Dei amore in eleemosynam renuntiat praelibatae Venerandae Ecclesiae Divae, et Intemeratae Virginis Mariae supra Montem Salcani pro ea praesentibus, stipulantibus, et acceptantibus Ad'm RR. PP. Bonaventura Sbona Diff'ore Provinciae, et Georgio Ugollino Guardiano Ven. Conventus praefatae Ven. Ecclesiae Divae Virginis, ac Spirituali D. Francisco Muskono Procuratore ejusdem Ven. Ecclesiae, et Conventus absente attamen pro eo stipulante, et acceptante me Notario infrascripto tanquam publica persona; Braidam unam cum Roncho contiguo, et adhaerenti quantitati camporum duorum in circa vitibus, et arboribus plantatam positis in territorio Salcani prope contam dicti loci una etiam cum domuncula desuper muro constructa, et tegulis cooperta confinante â solis ortu cum bonis Ill'mi

Domini Friderici Lib. Bar. de Atthimis D'ni S. Crucis ei cessis per Ill'mum Dominum Comitem Mathiam â Turri, â meridie cum via consortiva tendente ad fontem retro castrum, ab occasu cum D. D. filiis, et haeredibus q'm Ill'mi D. Roberti Arardi de Sennenbort, et â septentrione cum Jacobo Zefferino cum Hospitio antelati Ven. Conventus posito in Salcano, et cum haeredibus q'm Blasii Zuajeri

de eodem loco, pro quibus Braida, horto, et domuncula in praesentiarum usque RR. PP. ejusdem Ven. Conventus solvere tenebantur DD. Antecessoribus ejusdem Ill'mi D. Donantis de affictu annuali *vini* […][700] urnam unam, tritici pesinalia sex, gallinas, sive cappones duos cum ovis decem, prout partes ipsae affirmarunt, qui etiam affictus de caetero per Ill'mum D. Comitem suprascriptum remissus, et eodemmet jure cessus, et donatus fuit praelibatae Ven. Ecclesiae pro ea stipulantibus, et acceptantibus, ut suprà. Ad habendum, tenendum, utendum, et perpetuo fruendum cum omni jure, actione, usu, requisitione, utili dominio, proprietate, accessibus, et egressibus liberis, et expeditis usque ad vias publicas renuntians memoratus Ill'mus D. Comes donans per se, suosque haeredes et successores cuicunque exceptioni, et beneficio cujuscunque legis, quo modo aliquo contravenire, et contrariare praesenti voluntariae, liberae, perpetuae donationi. Promittens praefatus Ill'mus D. Comes donans per se suosque haeredes, et successores antedictae Ven. Ecclesiae pro ea, ùt suprà, praesentibus, stipulantibus, et acceptantibus suprascriptis Ad'm RR. PP. Definitore Provinciae, Conventus Custode, et me Notario infrascripto tanquam publica persona nomine Sp. D. Maschoni Procuratoris absentis, sed veluti praesentis de legitima evictione, et manutentione Braidae, Ronchi, et domunculae supradonatorum contra quoscumque in judicio, et extra, praesentemque donationem cum omnibus, et singulis in praesenti instrumento contentis, et expressis velle perpetuo habere firmam, ratam, et gratam observare, adimplere, exsequi, et non contravenire per se, vel alios aliqua ratione, causa, ingenio, seu praetextu sub obligatione omnium suorum bonorum mobilium, stabilium, praesentium, et futurorum, non refragando etiam, quin praesens donatio, quatenus opus sit, insinuetur Decreto judiciali, et authoritate Ill'mi D. Capitanei Goritiae, et illius inclyti Tribunalis supplendo cuique defectui: hoc, et omni meliori modo etc. etc.

Praesentibus Ill'mo, et Excel'mo D. D. Friderico lib. Bar. de Atthimis, Domino Sanctae Crucis, Hortensio Locatello Caes. Cons'o Joanne Baptista del Mestri de Schemperck, Matio Mozzi Cremonense, et Bartholomaeo Taliati Tulminensi testibus adhibitis. etc.

Praemissum donationis instrumentum rogatus fideliter in notam sumpsit, et publicavit, requisitus eduxit, subscripsit, et signavit Leonardus Franzonus publicus Caesarea authoritate Notarius, et Cormoni Cancellarius etc.

(L. Signi) Laus Deo.

VI. Habito sufficienti fundo partim cum aliis bonis Ecclesiae Montis Sancti permutato, partim â praedicto Ill'mo Comite â Turri eidem donato, ARP. Bonaventura Sbona Provinciae Pater, et actualis Guardianus Montis Sancti formatum, ut dici solet, et regulare Hospitium, quod in praesens visitur, construere coepit anno 1631. ut videtur ex incisione, quam arcus portae lapideus inferioris penûs praefert: intra biennium aedificavit ad meridiem quatuor Cellas, et ad septentrionem tres, et gradus, per quos ex inferiori contignatione Hospitii ad Dormitorium, inde sub tectum ascenditur usque ad medietatem hodierni Hospitii, sive ad ambitum ejus

asseribus stratum, ut ex tecti tegulis tribus ad meridionalem partem in occidentali extremitate positis dignoscitur: omnes quippe illi tres lateres aedificium Hospitii sub tectum Anno 1632. esse redactum testantur. Tempore actualis hujus aedificii alia cujusdam terreni accessit Hospitio donatio facta

1190

ab Ill'mo D. Joanne Philippo Comite â Turri filio praelaudati D. Raymundi anno 1632. die 22. Maji. Ex quo patet, quod Regulare Hospitium Salcanense plurimum Ill'mae Comitum â Turri familiae debeat.

VII. Quod Fratres utramque â praedictis Ill'mis Comitibus â Turri donatam terrae portionem in qua praesens hortus, et viridarium consitum concluditur, muro vallare, cingere, et cum Braida, sive vinea Arardi, quae jam antea cincta fuisse ex instrumento aestimationis supra laudato scitur, jungere coeperint, idque operis ducto insuper ex platea, qua ad S. Leonardum itur, penes domunculam Delfinorum a Hospitium usque muro sub locali regimine saepefati P. Bonaventura Sbona A'o scilicet 1633. compleverint, conjecto ex cuneo lapidei arcus supra portam, per quam ex area Hospitium inter, et publicum S. Antonii Patavini Sacellum interjecta ad hortum penetratur: Is quippe dictum annum 1633. cum littera **T.** quae aut Ill'morum Donatorum Comitum â Turri, aut Aedilis Traversae cognomen significare videtur, incisum praefert. Septimo dein anno videlicet 1640. 2. Aprilis, postquam Regulare Hospitium exaedificatum, et terrae ab Ill'mis Comitibus â Turri donatae muro fuissent cinctae, quaedam domuncula ad Fratres A RR DD. Joannem Jacobum Parochum Praebacinae, Carolum Parochum ad S. Joannem in Duino, et D. Joannem Baptistam Delphinos spectans, interveniente Syndico Apostolico Francisco Romano, et accedente consensu D. Leonardi de Valentinis Exactoris Cameralis pro Ill'mo Comite Jacobo ab Attimis, empta fuit f. 16. Diruta subinde hac domuncula publicum ex platea aditum A'o 1642. sub regimine P. Francisci Cenda spectabili porticu recluserunt Fratres, ut colligitur ex contemporanea cunei incisione, qui arcum portae porticus consolidat. Porticus haec eo in loco, quo hodie chorus Capellae S. Antonii adjectus extat, aditum ad Hospitium tum Religiosis cum jumentis, et curribus praebuisse dicitur ad annum usque 1734.

VIII. ARP. Casparus Pasconi anno 1735. in Moderatorem totius Provinciae assumptus ex dejectis ad septentrionalem partem dictae Capellae existentibus domibus jam olim a diversis proprietariis comparatis, et aream stabulis vicinam ampliavit, et Sacellum S. Antonii protensius fecit, porticum verò â meridionali Sacelli parte ad septentrionalem transferens in eadem arca collocavit. Prima porro domus proxima sacello S. Antonii, ex qua subinde nova Sacristia est fabricata, empta fuit interveniente Syndico Apostolico D. Francisco Persini ab Andrea Marusig die 24. Oct. 1650. ducatis 27. Altera domus stabulo nostro adjacens spectabat ad D. Balthasarem Arardi, quae anno 1650. cum alia domo ad Ecclesiam B. V. spectante permutata fuit. Tertia domus in eadem serie domorum existens cujusdam Elisabethae Carneucka, seu Carnelli viduae Hospitio accessit anno 1651. pro qua spectabilis Dominus Franciscus Persinus Syndicus Apostolicus facta praevie aestimatione ab Aedili Traversa numeravit, et solvit f. 84. Plures adhuc domus olim ad Ecclesiam B. V. Mariae Montis Sancti spectantes partim emptae pro Hospitii extensione, et Ecclesiae emptae erant, partim cum aliis permutatae, quae Hospitii commoditati magis deserviebant, aliae, quae superfluae videbantur aliis emptoribus divenditae, et pretium in fabricam conversum. Instrumenta desuper facta brevitatis causa consulto ommittenda censeo.

Caput II.
De vicissitudinibus Hospitii, notabilioribusque ejusdem accessibus.

I. Nobilis Domina Ursula Vintana Beatissimae Virgini Montis Sancti singulari devotionis affectu addicta, in hoc Sacro delubro ultimum vitae tempus transigere decrevit, in hunc finem etiam omnia sua bona mobilia, et immobilia, praesentia, et futura reservato sibi solo censu Vitalitio Ecclesiae Montis Sancti donavit, ipsamque donationem pro firmiori subsistentia per D. Carolum Cusmina Notarium in publicum instrumentum die 5. Junii 1665. redigi curavit, hac adjecta conditione, ut Fratres Hospitium in Civitate Goritiensi, seu saltem prope eam construerent. Quia verò VDiff'rium praedictam donationem sub dato Camnicii 29. Januarii 1669. acceptare renuit, cum obligatione aedificandi Goritiae Hospitii, per quod necessario hoc Salcanense deseri debuisset, praedicta Ursula suae pietati, ac studio, quo in B. V. Gratiarum, et Fratres Montis Sancti ferebatur, insistens, aliam legalem, et absolutam sine ullius modi, conditionisque adjectione praeter ususfructus reservationem omnium bonorum confecit donationem die 22. Martii anni ejusdem 1669. Porro bona omnia haeredum Vintanorum aestimata erant f. circiter 8000, divisa inter 4. filias venit ad Ursulam summa f. 2069.

II. Post mortem Ursulae Vintanae, quae circa finem anni 1677. accidisse creditur, Conventus Monialium S. Clarae â Joanne Jacobo Vintana sororum Ursulae, Dianae, Barbarae, Elisabethae, et Dorotheae genitore totius facultatis in testamento, tum codicillo 4. Martii 1622. confecto hae res eo pacto scriptus, si legitimae ejus filiae absque haerede decesserint, ille totam haereditatem Vintanam adeat, Procuratoribus Conventus Montis Sancti litem movit, haereditatemque Ursulae Vintanae praetendit. Partes, ut honestati, expensisque parcerent, in Ill'mum Dominum Comitem Herbardum Kazianer compromiserunt, se sententia, quam ille tulerit ceu arbiter, prompte parituras: qui datis sibi â partibus informationibus bene expensis inspectisque utrinque juribus declaravit, definivit, et decidit, ut Conventus Monialium semel pro semper Conventui Montis Sancti tam pro funeralibus, sepultura, et 400. celebratis Missis, quam pro victu per 14. annos praedictae Ursulae, et suae servae subministrato numerent f. 1200. quibus loco totius substantiae Fratres contentari debuerant, licet nec pro solo victu sufficientes essent. Hic tamen adverte, quod bona Ursulae Vintanae, quae Domino Thomae Rogerio Vogel A'o 1676 ab ipsa elocata fuere, ab eodem jam Vogelsperg A'o 1711. vi Decreti Guberni I. A. Graecii 10. Octobris ad supplicem P. Romualdi Sitter actualis Provinciae Ministri dati, fuerint soluta f. 450. quae pecunia in novum Conventus Montis Sancti aedificium impensa fuit.

III. Quod Ursula Vintana â Fratribus obtinere non potuit, ut scilicet Hospitium Salcanense transferretur Goritiam, hoc anno 1683. ipsimet Fratres Montis Sancti attentarunt, ut nempe in Civitate Goritiensi, vel prope aedificaretur novum Hospitium ob causas in Supplici ad Venerabile Diffinitorium dato contentas, quod […][701] [hujus est tenoris]:[702]

1192

Ad'm R'ndi Patres Min'r, et Custos, R'ndi Patres Diffinitores!

Patres Guardianus, et Discreti hujus Conventus Montis Sancti supra Salcanum humiliter exponunt Vn'bli Diff'orio, quod propter distantiam Civitatis Goritiensis â Salcano Fratribus infirmis raro de medicinis, rarius de Chyrurgo, rarissime de Medico tempore opportuno provideatur, et hinc fit, quod infirmi ob defectum necessariorum plurimum patiantur, et aliquibus quandoque mors acceleretur. 2'dò Fratres ad Civitatem missi pro negotiis Conventus, ùt plurimum cum magno suo rubore, atque saecularium frequentissimo fastidio, debeant ibidem hospitium ad tempus meridianum emendicare, vel verò negotiis imperfectis cum detrimento Conventus domum reverti. 3'tiò Fratres itinerantes praesertim aliarum Provinciarum ad Civitatem cum perveniunt, ad publicum hospitium, vel privatam aliquam domum accedunt, ibique per plures dies quandoque commorantur cum Religionis dedecore, et Saecularium admiratione. Idcirco nomine totius Conventus supplicamus, quatenus pro infirmorum Fratrum necessitate, pro itinerantium diversorio, exmissorum ad negotia commoditate Vn'ble Diffinitorium licentiam concedere dignaretur Patribus Gvardiano, et Discretis aliquod Hospitium cum quatuor, aut sex cellis erigendi ibidem Goritiae etc. Ex Conventu Montis Sancti die 10. Octobris 1683.

Fr' Bartholomaeus Zulliani lect. Gn'lis, et Discr. Con'tus
Fr' Bernardinus Rodar Vic. et Discr. Conventus
Fr' Sigismundus Sigonius Discretus Conventus
Fr' Gaspar Beltram olim Min'r Pro'alis
Fr' Bonifacius Pullini Guardian.

IV. Patres Discreti â Vn›bli Diffinitorio favorabile tulerunt responsum ex Congregatione Provinciali Camnicii die 18. Octob. celebrata hujus tenoris: *Ut petitio Patrum Discretorum Conventus Montis Sancti pro erectione hospitii in Civitate Goritiae locum habeat, annuit quidem Vn'ble Diffinitorium, ita tamen, ut omnino observatis ex toto Apostolicis, et Ordinis Constitutionibus fiat, et instituatur. Die 18. Oct. Camnicii 1683. = Fr' Casimirus Dimiakovich Vn'blis Diff'rii Secret'us* Habito consensu Vn'blis Diffinitorii petierunt etiam Patres Montis S. facultatem aedificandi Goritiae Hospitium tam â Magistratu civico, quam ab Inclyti Comitatus statibus, ab utroque loco facultas concessa fuit, et quidem â priori sub die 27. â posteriori 29. Novembris anni ejusdem. Idcirco aestimatio dein Hospitii Salcanensis, attinentiarumque hoc anno facta fuisse videtur, ut ex divenditi, si fieri posset, Hospitii Salcanensis pretio f. 6598. recens Goritiense construeretur. Quoniam verò nullus fortasse emptorum (quos inter potiores desideratissimae Societatis Jesu inclytos Patres fuisse, ex ipsorummet confidenti relatione Nostrates quidam etiamnum superstites intellexerunt) comparuit, qui statutum in aestimatione pretium exolveret, aut denique alia obvenêre impedimenta, quibus minus facile praestitutum Hospitium Goritiae construi potuit: Patres Montis Sancti inter-

misso, quod moliebantur, aedificio, animos ad Salcanense Hospitium sartum tectum servandum, et â saeculari habitatione, et strepitu prorsus sejungendum adjecêre.

V. Unde anno 1694. die 9. Novembris fundum quemdam ab omni censu, ac onere liberum cum muris Hospitio contiguis â D. Caspare Craveggia Salcanensi pro 36. libris sub Guardianatu P. Philippi Columbichii emerunt. Anno item 1699. quo Conventui Montis Sancti P. Sigismundus Sigonius praefuit, ultima portio domuum Zefferinarum in exigua quadam vinaria pennu consistens 60. libris aestimata empta fuit, et in stabulo animalium adjecta. Anno mox sequente scilicet 1700. Id. P. Guardianus retro rudera diruti castri *Selligan* limpidissimum fontem in arcam muratam conclusit, ut patet ex incisione superliminari: OPUS FRATRUM MINORUM MONTIS SANCTI SUB G. P. F. S. S. L. J. ANNO MDCC. lege: Opus Fratrum Minorum Montis Sancti sub Gvardianatu Patris Fratris Sigismundi Sigonii Lectoris Jubilati etc. Inde aquas per hortum mediis siphonibus plumbo fusis, et subterratis ad culinam usque Hospitii, et inde subtus ambitu ad aream stabulorum adduxit, ut porro siphones ab arca aquarum suffussos â penetratioribus Vinitorum sulcis immunes faceret, portiones duas terrulae illius, cui siphones commissi fuerant, ab omni onere liberas per Perill'rem D. Bartholomaeum Beucig ab Ill'mo D. Ferdinando Barone Edling, et Laurentio Abrahamig pro libris 235. anno 1701. emi curavit.

VI. Juvat hic dicti aquaeductus designationem in cubili Patris Praesidentis asservatam inserere, quae ita sonat

Notizia, come hà il suo giro il canale dell' aqua, qual
corre per il orto dell' Ospizio.

Primo. Hà la sua Origine alla casetta di muro con la porta, et seratura, sopra essendo due chiavi ligate asieme nella salvarobba.

Secondo. Corre per il Orto di Martino Plenchich assai profondo, et vienne alla strada del muro dell' Orto, dove è una pietra segnata con la calzina.

Terzo. passa il Muro dell' Orto, et come appresso un olivario con una pietra segnata con la calzina.

Quarto. altro segno sopra un olivaro parimente segnato.

Quinto. altro segno sotto una ruppe.

Sesto. altro segno sotto un scoglio.

Settimo. altro segno sotto un' olivaro.

Ottavo. altro segno sotto una nogara.

Nono. altro segno al principio d' una pergolata di mezzo.

Decimo. altro segno nell' entra sotto la prima pergolata.

Undecimo. altro segno sotto la medema pergolata, dove poi corre al luogo della salria segnato con una pietra.

Duodecimo. da questa corre dritto alla cucina, qual passa per la medema per l'ambito per la salvarobba, et vien' al cortile dei legni, et sotto una pietra segnata si divide, dove un canale và al beneficio publico, et altro al cortile.

VII. Situm descriptum aquaeductus servavit ad annum usque 1772. quo Communitas Salcanensis instantissimis precibus P. Guardiano Montis Sancti supplicabat, ut sibi ab eodem facultas

1194

concederetur aquaeductum in partem occidentalem sibi commodiorem per aream stabulorum Hospitii propriis expensis divertendi, diversum citra ullum Hospitii incommodum conservandi perpetuis futuris temporibus, prout post obtentam â Patre Guardiano, et discretis Montis Sancti facultate per medium alterius atrium versus murum â sinistro latere Januae majori adstantem educendi, sese obligarunt, sequentis tenoris.

Gorizia li 23. lug'o 1772.

Il Decano, Sindici, et uomini della communità di Salcano, tutti unitamente bramando di vedere, e che sia mutato, e riportato il corso dell' aqua della fontana detta Sagradt, che scorre dal Monte per loro maggior beneficio, e commodo hanno ricercato, et ottenuto[†] dal M'to R'ndo Padre attuale Guardiano del V'ndo Convento del Monte Santo di poter mutar, et transportar il corso di detta Aqua, e fontana, e di farla corre per il cortile di R'ndi Padri di detta Religione in Salcano per maggior commodo di detta communità à di le† spese, pericolo, e danno senza, che ne il V'ndo Convento, ne essi R'ndi Padri habbino in cio d'intraprendere alcuna minima spesa, e ciò s'intenda per sempre etc. Essendo â quest'effetto comparsi avanti me sottoscritti li supplicanti Antonio Dujach Decano attuale, Gioanne Paccor, ed Andrea Cerne Sindici per se, ed à nome di tutti li abitanti nella sudetta Communità di Salcano, per li quali promettono de rato etc. promettendo, et obligandosi in ogni piu valida forma di voler, come soprà, intraprendere, et assumere in se ogni spesa di detto trasporto del corso dell' aqua, e di tener indemne il V'ndo Convento ora, e per sempre de qualunque spesa, ed incommodo per tal mutazione, come cosi promettono, e sollenemente s'obligano di voler il tutto mantenere, ed inviolabilmente osservare in ogni piu valida, e solenne forma etc.

Jo. Pietro Pauletig Canceliere di Salcano cosi
ricercato dalli sudetti Decano, e Sindici notai
la presente. In fede etc. m'ppa

VIII. Anno 1708. P. Romualdus Sitter Lector Emeritus, et actualis Montis Sancti Guardianus Hospitium Salcanense â P. Bonaventura Sbona aedificatum orientem versus protendit, et ampliavit, ac sex cellis utrinque tribus auxit, partem nempe illam, quae asseribus strata est, in hoc aedificium expensae factae in libro computorum notatae se extendunt ad 2171. Lir. Sol. 18. numerat itaque hoc Regulare Hospitium 12. Cellas, habitant verò cum Praesidente unus, aut ad summum duo decrepiti Patres cum uno Fratre Laico coquo. Hoc eodem anno hortuli cujusdam ad limites Hospitii positi, et ad jura Parochialis Ecclesiae S. Stephani pertinentis donatio ab Ill'mo, et R'mo S. R. I. Comite Strassoldo Archidiacono, et Goritiae, et Salcani Parocho ad instantiam praelaudati P. Romualdi Sitter Patribus Salcanensibus idcirco facta fuisse legitur, ut in voces veteris maceriae, cujus aliquantula portio in supremo Viridarii angulo hodiedum prominere conspicitur, et primitivum situm, circumferentiamque Gabrielis Millost vineae *Na Bregu* dictae insinuat, ducto per hortum recenti muro firmius, remotiusque â publica via, et strepitu foraneo Regu-

lare Hospitium, adjacensque viridarium concluderetur.

X. Altera reparatio, sive insignis melioratio Hospitii Salcanensis facta est ab ARP. Casparo Pasconi lectore Emerito Anno 1734. quae ille Conventui Montis Sancti praefuit, et sequenti triennio, quo Provinciam moderabatur, prout ipsemet adnotatum reliquit tom. 1. Protocolli Conventus fol. 114. his verbis: Sciendum, quod incipiendo ab anno suprà citato (videlicet 1734.) Dormitorium, cubicula, portae Cellarum, atque contignationes, vulgo *Soffittati* illarum sint reformatae, scalae ad granarium noviter extructae, ambitus superior, et inferior ornati, crates ligneae ad fenestras erga Ecclesiam de novo laboratae, et applicatae in signum Regularis Hospitii, et Camerae Religiosorum novis oratoriis, et suppellectili â potiori nova instructae, sicut et Cellariolum pro conservando vino aestivo tempore. Refectorium item cum nova fornace ad formam regularem redactum in omnibus, et per omnia non secus, ac in quacunque regulata communitate formalis alicujus Conventus nostrae Provinciae unica excepta publica lectione mensali, caeteris precibus in utraque refectione peractis, aliisve Caerimoniis observatis, sicut in formali Religiosa Communitate. Hucusque praelaudatus P. Casparus Pasconi loc. cit.

Caput III.
De Ecclesia publica S. Antonii Patavini Hospitio Salcanensi adjacente.

I. Non tantum ipsum Sacellum privatim in Hospitio, sed etiam Ecclesia extra illud ad occidentalem plagam sita, ad vim publicam locata, et D. Antonio Sacra mox ad initium erecti Hospitii aedificata creditur, id desumitur praeprimis ex emptionis cujusdam domus instrumento anno 1640. celebrato, â tergo cujus sequens itala eadem manu exarata inscriptio: *Instrumento della compra di quella casetta appresso della Capella nel Ospizio avanti la porta, qual guarda alla strada.* Tum ex facultate Patriarchali concessa P. Provinciali Bosnae, et Croatiae Ordinis Minorum de Observantia, seu ejus substituto, et duae Capellae cum Altaribus altera in Hospitio, et infirmaria, altera contigua Monti Salcani consecrari, simulque duae campanae pro dictarum Capellarum usu â quocumque Antistite gratiam, et Communionem S. Sedis Apostolicae habente benedici possint, ac valeant. Tenor concessionis sic sonat:

Concedimus licentiam cuicunque R'mo Antistiti gratiam, et Communionem Sanctae Sedis Apostolicae obtinente consecrandi ad omnem requisitionem P. Provincialis Bossinae, et Croatiae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, seu illius substituti duas Capellas cum Altaribus alteram in Hospitio, et infirmaria Salcanensi, et alteram contiguam Monti Salcani, simulque benedicendi duas Campanas pro ipsarum Capellarum usu juxta ritum, et formam Sanctae Romanae Ecclesiae. In quorum fidem etc. Utini die 13. Aug. 1637.

Ber. Valvasonus.
(L. S.)

Ber&. Amutius Cancell's
Patri'alis Apl'cus m'ppa

1196

II. Privata Oratoria in domibus Religiosorum ab Episcopis consecrari nunquam consueverunt: Campanae item, quae ad convocandum populum sunt inventae, publicis tantum Oratoriis appendebantur. Quapropter P. Provincialis Provinciae Bosnae, et Croatiae dictam consecrandi facultatem pro Capella publica S. Antonii Patavini, et hujus occasione requisitus fortasse â loci Plebano pro alia insuper filiali Ecclesia Monti Salcano contigua fuerit, (quaecunque demum illa fuerit)[703] â Patriarchali Aquilejensi Officio petiisse, et impetrâsse optimo jure praesumitur: atque adeo inde penes certum conficitur Sacellum S. Antonii, publicum proximo ab erectione Regularis Hospitii quinquennio fuisse constructum.

III. Negotium hic nobis facessere videtur libellus â R'mo D. Joanne Baptista Crisai Goritiae, et Salcani Parocho, ac Abbate infulato confectus, et ad Eminentissimum, ac R'mum Carolum Caraffa, S. R. E. Cardinalem, Viennae in Austria Nuntium Apostolicum adversus Fratres Minores in saepedicto Sacello S. Antonii Divina in grave, ut ille conquaeritur, Parochialis Ecclesiae praejudicium exercentes datus anno 1664. sub hoc tenore:

Eminentissime Princeps, D'ne Gratiosissime!

Extat in districtu meae Parochiae Salcanensis Monasterium R. R. P. P. S. Francisci St'ris Observa'ae in loco, qui vulgo Mons Sanctus dicitur, sive verò, quia milliari prope germanico distat Goritia, concessum fuit iisdem Patribus Hospitium in pago Salcanensi pro itinerantium, ac infirmorum commodo: in ipso Hospitio privatum hactenus habuêre Sacellum, in quo infirmis, et convalescentibus Religiosis privatum tantummodo Missae Sacrificium offerre, vel audire licebat, his ita perdurantibus construxerunt memorati Patres me continuo contrarium protestante, Oratorium, et Ecclesiam ibidem in grave Parochialis Ecclesiae Salcanensis praejudicium, praesertim, quia festivis diebus in aurora celebrantes populum ab auditione Verbi Dei abstrahunt, et accurentibus Religionis suae festis majori cum solemnitate Divina peragunt, quam in ipso Monte Sancto etc. Hinc Eminentiam Vr'm supplex accedo, dignetur severe inhibere praefatis Patribus, ut deinceps â celebratione Missarum, atque ab aliis Divinis Officiis in constructa noviter Ecclesia, seu Oratorio abstineant; tam, si quando res postularit, in privato Sacello juxta veterem Observantiam, et Concessionem, privatas solum Missas legant, ac quae de Instituto suae Religionis sunt, in Monasterio Montis Sancti piè peragant, ne secus pro jurium meorum conservatione cogar populo de pulpitu promulgare illicitam dicti Oratorii erectionem. Quod dum ab Eminentia V'ra me obtenturum spero eam inclinatus reveor etc.

Eminentissimi Principis

Humillimus Servus et Capellanus
Joan. Bapt. Crisai Par. Goritiae
et Salcani m'ppa

IV. Eminentissimus Nuntius Apostolicus ad querelam Parochi Salcanensis prohibuit quidem P. Guardiano Montis S.

ne in Sacello S. Antonii Patavini Missas celebrari, et alia Divina peragi admittat, interim eidem plenam libertatem permisit sua jura coram se contra praedictam querelam producendi. Decretum emanatum ex Nunciatura Apostolica de dato Viennae 12. Julii 1664. sic sonabat:

Exhibita in Cancellaria Ap'lca die 7. Julii 1664. Viennae etc.

Mandamus Ad'm R'ndo Patri Guardiano Conventus Montis Sancti nuncupati prope Goritiam Aquilejensis Dioecesis ex parte Imperii Ordinis Sancti Francisci strict. Observ'ae, aliisque Patribus dicti Conventus, ut ab ulteriori constructione novae Ecclesiae, seu Oratorii pagi Salcanensis dictae Dioecesis, nec non â Divinorum Officiorum, et Missarum ibi publica celebratione abstineant, verum si aliquid habeant in contrarium, doceant de jure, et authoritate, quibus hoc faciant, coram nobis jus, et justitiam omnibus prout de jure administraturis. Et ita etc.

Datum Viennae die 12. Julii A'o 1664.

(L. S.) Carolus Card. Caraffa Nuntius Apostolicus

Abb's Franc'us Ant. Gallus Aud. G'lis, et Cancel'rius

V. Ista cum illis, quae ex copia Patriarchalis facultatis â Valvasono A'o 1637. Patri Provinciali Bosinae, et Croatiae concessa adduxi, minus cohaerere, quinimo ob manifestam, quam implicant repugnantiam, semet destruere videntur, ut adeo, aut facultatis Patriarchalis instrumentum omnino suppositiitium esse debeat, aut R'mus Crisai actor adversus Fratres manifestè falsa ad Nuntiaturam scripsisse convincatur. Sacellum quippe publicum, in quo rem sacram praejudicium Parochialis Ecclesiae tempore Crisai Parochi facere Religiosi incipiebant, adfirmat Actor Crisai, se continuo in contrarium protestante, recens esse constructum. Si porro A'o 1637. ut consecrationis facultas praefert, consecrari potuit dictum Sacellum, tum non recens sed 27. annis ad Divina Officia publicè peragenda constructum stetisse dici deberet: minus alia, quae in suo supplici libello adduxit, scilicet id se continuo in contrarium reclamante esse constructum, cum veritate conciliari possunt: equidem dum facultas jam constructum Sacellum consecrandi ex Patriarchali Officio emanâsset, Dominus Crisai non nisi 7. annorum puer dignoscitur ex Epitaphio suo in Ecclesia R. R. M. M. Ursulinarum vixit quippe 72. annis, et devixit 1702., proinde natus est 1630.; atque adeo tempore constructionis Capellae S. Antonii nonnisi inaniter in contrarium clamare, et protestari potuit.

VI. Haec, inquam, sunt, quae nobis aliquantum negotium facessunt, quod facile certe excuteremus, si modo constarent, quae P. Hilarion Gorzar tum Montis Sancti Gvardianus â Sacrae Viennensis Nuntiaturae Officio jussus ad libellum actoris Crisai respondendo produxit. Verum, quamvis et haec conciderint, non tamen multùm â veritate me aberraturum putem, si asseruero, P. Hilarionem adduxisse saepe memoratam Patriarchalem consecrandi Ecclesiam S. Antonii facultatem, vi

cujus Fratres per 27. continuos annos Divina Officia, et Missas publicè imperturbatè celebrabant ac per hoc fidem relationis Crisajanae enervavit. Si enim supplex libellus

1198

R'mi Crisai veritati innixus fuisset, Sacra Nuntiatura ab abs se lato Decreto non recessisset, imo ipsemet D. Parochus illius executionem totis viribus adursisset: quod verò Sacra Nunciatura capta â Fratribus Minoribus veridica informatione â prima sententia recesserit, ex eo liquide dignoscitur, quod Fratres non tantùm Sacra privata diebus festis cum pulsu Campanae ab origine Sacelli usque ad hodierna tempora sine ulteriori praedicti Parochi, licet multis adhuc annis illi Parochiae praefuerit, reclamatione, aut Successorum contradictione peragere pergant, sed etiam certis anni festivitatibus, ut fit in festo S. Antonii de Padua functiones Ecclesiasticas advocatis ex Monte S. Fratribus solemnius concelebrent: quinimo et ipse tertius Ordo S. Francisci in hac Eccleia suos Conventus qualibet 2'da mensis Dominica non impedita celebrare consuevit.

VII. Sacellum istud publicum revera fuisse consecratum, non aequum constat, ac facultatem ad id functionis perficiendum cuique R'mo Antistiti Communionem, et gratiam Sedis Apostolicae habenti fuisse datam; etenim factae facultatis instrumentum hodiedum prostat, peractae verò consecrationis documentum nuspiam reperitur. Primitus valde coarctatum, et non nisi unica, eaque lignea S. Antonii Ara, cui anno 1717. marmorea, quae hodie visitur, ex Ecclesia Montis Sancti ab ARP. Romualdo Sitter suffecta fuit, ornatum stetit usque ad annum 1734. quo pene collapsum funditus restauravit, et ampliavit, nova Sacristia providit ARP. Casparus Pasconi Guardianus Montis Sancti, et anno sequenti Minister Provincialis, prout ipsemet testatum reliquit tom. 1. Protocolli fol. 115. his verbis: *Ecclesia quoque S. Antonii undique restaurata est, sicut et ejus contignatio vulgo soffito per modum fornicis concinnè elaborata. Item Chorus, Organum, Sacristia, Altaria duo collateralia Ss'mi Crucifixi, et Sancti Patris nostri Francisci, fenestrae quatuor ad viam publicam, Turrecula, campana, ingressus ad Hospitium* etc. Tres itaque Arae in Sacello S. Antonii Salcani publico â tempore P. Pasconi numerantur, S. Antonii Patavini major, et duae laterales Ss. Crucifixi â latere Evangelii, et S. Patris Francisci â cornu Epistolae, quae posteriores retro Aram S. Antonii majorem eo in loco sunt collocatae, quo antea Sacristia dicti Sacelli anguste fuerat constructa: Sacristia porro una ex adjacentibus domunculis dejecta, quam A. R. P. Petrus Seidetti â D. D. Joanne, et Carolo Mullig fratribus Conventui Montis Sancti datam A'o 1674. Junii 15. acceptavit, amplior, et ad introitum Hospitii, ut hodie prostat, vicinius protensa, et honesta, statuique[†] Minoritico respondente utensilium suppellectile ab eodem P. Pasconi est exornata.

VIII. Ara Ss'mi Crucifixi primis suae erectionis annis Indulto Pontificio fuit praedita, seu, ut dici solet privilegiata. Postquam verò Benedictus XIV. ad humillimas preces R'mi P. Raphaelis â Lugagnano Ministri Gn'lis Fratrum Minorum cuilibet Ecclesiae Fratrum ipsius jurisdictioni subjectae altari privilegio quotidiano, et perpetuo non decoratae unum Altare sic privilegiatum concessit ex Audientia die 17. Decembris 1748. P. Casparus Pasconi Em'tum, et R'mum D. Danielem Delphinum S. R. E. Cardinalem, et Patriarcham Aquilejensem pro assignatione Arae S. Antonii pro hujusmodi privilegio interpellavit: quae etiam ab Eminentissimo D. D. Patriarcha designata fuit his conceptis verbis:

Eminentissimus, et Reverendissimus D. D. Daniel miseratione Divina tit. S. Mariae supra Minervam S. R. E. Presbiter Cardinalis Delphinus, Patriarcha Aquilejensis supplicationi prae-

1199
N^o^ 51.

missae benignè annuendo designavit, et designat Altare majus Divo Antonio Patavino dicatum pro privilegio in praefata Ecclesia Salcanensi juxta tenorem enuntiati Rescripti Apostolici. Ad quod etc. In quorum etc.

Datum ex visitatione Pastorali Parochiae de Madrisio Varmi die 15. Maji 1749.

D. Card. Delphinus Patr. Aquilej. etc.
Jo. Baptista Coronella P. Cancell^rius^
Patriarchalis Aquilejens.

IX. Praesidentum nomina, qui in hoc Hospitio Superiorem cum Subordinatione tamen ad Guardianum Montis Sancti agere consueverunt, pauca invenire licuit: Hinc eos Praesidentes adduco, qui adnotati reperiuntur, et sunt sequentes

P. Bernardus Martinelli 1686.
P. Fridericus Codelli 1700. 1701.
P. Nazarius Vidrich 1702.
P. Polycarpus Slapar 1703.
P. Fridericus Codelli 1717.
P. Joachimus de Gratia 1719.
P. Franciscus Suppanchig 1736. 1737. 1738.
P. Bonagratia Gollob 1739. 1740. 1741.
P. Franciscus Suppanchig 1741. 28. Nov.
P. Bonagratia Gollob 1742.
P. Basilius Herbitius 1743. 1744.
P. Petrus Pagliaruzzi 1745. 1746. 1747.
P. Franciscus Suppanchig 1748. 1749. 1750.
P. Bonagratia Gollob 1751. 1752. 1753.
P. Daniel Arzon 1754. 1755. 1756.
P. Bonagratia Gollob 1757. 1758.
P. Justinus Gobbi 1759. 1760. 1761. 1762. 1763. 1764. 1765. 1766. 1767. 1768. 1769. 1770. 1771. 1772. 1773. 1774.
P. Valentinus Schagnetti 1775. 1776.
P. Lucius Velischeg 1777. 1778. 1779.
P. Hermelandus Marchioli 1780. 1781. 1782. 1783.
P. Udalricus Comini 1784. 1785. 1786. usque ad mensem Martium, quo mense nostri Fratres ex Monte S. Goritiam ad Conventum Minoritarum translati etiam hoc hospitium derelinquere debuerunt.

1200

Additamentum III.
De
Monasteriis Monialium.

Caput I.
De Monasterio Münkendorffensi Ordinis S. Clarae Virg.

I. *Münkendorffium*, germanis *Münkendorf* aut *Münchendorf*, vulgò *Mekyne* locus est ab ipsa Civitate Camnicensi uno quadrante, et Labaco 3. Milliaribus distans perquam amoenus, salubris, et nonnihil in loco eminentiori situs, Dioecesis quondam Aquilejensis, nunc Goritiensis Archidioecesis. Locus hic hoc nomen habuit, ante Monasterii aedificationem; stetit prius hic Castrum hujus nominis ad Dominos de Gallenberg pertinens, ut ex litteris fundationalibus desumitur, ubi, postquam fundator ennumerat bona â se huic Coenobio legata, ait: *Et Curiam nostram in Münckendorff, in qua tunc residebat Wuosso, cum omnibus suis attinentiis, et juribus quaesitis, et inquirendis, sylvis, pratis, campis, nemoribus, pomeriis, vicis, aquaeductis, et quocunque nomine censeantur perpetuo servituros* etc. Praeextitit quoque hoc in loco quaedam Cappella in honorem B. V. Mariae extructa, de qua mentionem faciunt ejusdem fundatoris filii, et haeredes Sifridus, Fridericus, Wilhelmus, et Otto, qui anno 1301. jus Patronatus praedictae Capellae donarunt clarae Abbatissae sorori suae: sic enim habet praedictum abdicationis Instrumentum:

Sanè cum felicis memoriae Dominus Sifridus de Gallenberg ad honorem gloriosae Virginis Matris Christi, et beatae Virginis Clarae, ac per consequens necessario ad gloriam, et laudem Omnipotentis Dei, in fundo suo proprio in Münkendorff juxta Capellam ab olim ibidem in honorem beatae Virginis fabricatam, Monasterium Ordinis S. Clarae fundavit, et dotavit de omnium haeredum suorum concordi beneplacito et assensu. Nos Sifridus, Fridericus, Wilhelmus, et Otto filii eiusdem Domini Sifridi fundatoris Monasterii jam dicti …… cupientes piam intentionem praedicti Progenitoris nostri, omni, qua possumus, benevolentia prosequi, et Monasterium ab ipso fundatum, in quantum valemus, pro viribus promovere, jus Patronatus memoratae Capellae Sanctae Dei Genitricis, quod ad nos haereditaria successione â praedicto nostro Progenitore devenit, universi, et singuli nostrûm sorori Clarae Abbatissae Monasterii antedicti donavimus, et in eam, aliasque Abbatissas ei successuras pleno jure transtulimus etc.

